Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Immanuel Hoffmann Tobias Gottfried Hegelmaier

Immanuelis Hoffmanni Ling. Græc. In Acad. Tub. Prof. P. O. Et Ill. Seminarii Theol. Ephori Demonstratio Evangelica Per Ipsum Scripturarum Consensum In Oraculis Ex Vet. Testamento In Novo Allegatis Declarata

Tomus Tertius Et Ultimus

Tubingæ: Typis Et Impensis Georgii Henrici Reisii, [1781]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847

Band (Druck) Freier Zugang



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0001
DFG

Fg - 4887.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0002
DFG

Joh. Bachmann
Ropack 1859.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0003
DFG

IMMANUELIS HOFFMANNI

LING. GRÆC. IN ACAD. TUB. PROF. P. O. ET ILL.
SEMINARII THEOL. EPHORI

DEMONSTRATIO EVANGELICA

PER IPSUM

SCRIPTURARUM CONSENSUM

IN ORACULIS

EX VET. TESTAMENTO IN NOVO ALLEGATIS

DECLARATA

EDIDIT

ET

OBSERVATIONIBUS ILLUSTRAVIT

D. TOB. GODOFREDUS HEGELMAIER

SS. THEOL. PROF. PUBL. ORD. ET JLL. SEMINARII THEOLOGICI
SUPERATTENDENS.

TOMUS TERTIUS ET ULTIMUS.

TUBINGÆ

TYPIS ET IMPENSIS GEORGII HENRICI REISII.

(1781)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

L. B. S.

Paulo quidem serius, nec tamen, nisi plane fallimur, negligentius promissis stamus, atque integram tandem IMMANVELIS HOFFMANNI *Demonstrationem Evangelicam* cum erudito orbe communicamus. *Integram* jam atque perfectam nuncupamus, quia plures rationes suadent, ut *tertium* hunc operis *Tomum* ultimum esse jubeamus; non quod in his substiterint labores isti harmonici, quos *Vir Beatus* in veteris ac Novi Testamenti conciliationem impendit. Quis enim dubitet, eundem frequentissimis Allegatis in Epist. ad Hebræos obviis non minus suas operas dicavisse? Ipse quoque hujus rei duo specimina publice proposuit, in

Diss. Acad. in Oraculum Ps. XCV. 7 - 11 a Paulo Epist. ad Hebr. Cap. III. 7 - 11 citatum, & ejusdem Cap. v. 12 - 19 & Cap. IV. 1 - 13 prolixe applicatum. Tub. 1764 &

Diss. philol. crit. in Allegata quaedam Cap. I. Epist. ad Hebr. intuitu partim allegationis, partim applicationis maxime controversa. Tub. 1765.

quibus ex particulis, quid de Toto statuendum sit, judicent, qui possunt ac volunt. Ast nimium friget ad hæc studia, quod omnes norunt, nostra ætas, & ipsa *Epistolae ad Hebraeos* interpretatio recentius

quo jure? jam non disputamus, ea fata experta est, ut vel manca admodum, hisque temporibus parum accommodata videri deberet tractatio *Hoffmanniana*, vel, nimis multis accessionibus locupletata, ceu nostrum potius, quam b. Auctoris opus prodire.

Quæ in Præfatione Tomi antec. circa universum hoc de Allegatis argumentum dicta sunt, etiam post biennium non minus valent, heic non repetenda.

Fatemur ultro, *Demonstrationis Evangelicae* inscriptionem non æque convenire multis Allegationibus Apostolorum, ac quidem illis, quas Evangelistarum scripta suppeditarunt. At nihil impediebat, quo minus, uti alias, a potiori fieret denominatio, atque ad stabiliendam eandem religionem christianam referretur, quicquid utriusque Testamenti consensum vel confirmat vel illustrat.

Qui in Tomis prioribus *b. Auctorem* sua sparta summa cum laude defunctum esse judicarunt Viri eruditi, iisdem hic ultimus quoque non minus se commendabit. Neque nos a tramite, quo ibi incessimus, ulla ratione defleximus, nisi forte, quod parciores fuimus in adspergendis Observationibus, id quod necesse erat, si quidem hic Tomus priores volumine debebat æquare.

Quod *Diss. de Apostolo Paulo scripturas profanas ter allegante, nec tamen in omni litteratura graeca versatissimo* subjiciendam putavimus, in eo quidem multis nos gratum feciisse, certo confidimus.

Errata typographica, quæ Lectorem offendant, ac sensum difficilem reddant, vix se offerent. P. 112. lin. 1. not. 5. pro *verti* legendum esse *vertere*, & p. 247. l. 2. pro *Col.* III. 10. *Gal.* III. 10. nobis non monentibus, quivis videt.

Atque sic vale B. L. nominique *Hoffmanniano* ac nobis fave. Tubingæ d. 10. Oct. MDCCLXXXI.

D. T. G. HEGELMAIER.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0008
DFG

DEMONSTRATIO EVANGELICA

TOMUS TERTIUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0009
DFG



LXXXIX. ALLEGATVM.

ROM. XI. 2-5.

Οὐκ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ, ὃν προέγνω. Ἢ οὐκ οἴδατε ἐν Ἠλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή; ὡς ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραὴλ, λέγων· Κύριε, τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν, καὶ τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν· κἀγὼ ὑπελείφθην μονος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου. Ἀλλὰ τί λέγει αὐτῷ ὁ χρηματισμός; κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ. οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν.

1 REG. XIX. 14. 18.

קַנֵּא קִנֵּאתִי לַיהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת כִּי־עָזְבוּ בְרִיתְךָ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל אֶת־מִזְבְּחֹתֶיךָ הָרָסוּ וְאֶת־נְבִיאֶיךָ הָרָגוּ בֶחָרֶב וָאִוָּתֵר אֲנִי לְבַדִּי וַיְבַקְשׁוּ אֶת־נַפְשִׁי לְקַחְתָּהּ׃ — וְהִשְׁאַרְתִּי בְיִשְׂרָאֵל שִׁבְעַת אֲלָפִים כָּל־הַבִּרְכַּיִם אֲשֶׁר לֹא־כָרְעוּ לַבַּעַל וְכָל־הַפֶּה אֲשֶׁר לֹא־נָשַׁק לוֹ׃

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0011
DFG

VERSIO LXX.

Ζηλῶν ἐζήλωσα τῷ Κυρίῳ παντοκράτορι, ὅτι ἐγκατέλειπον τὴν διαθήκην σε οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ· τὰ θυσιαστήριά σε καθεῖλαν, καὶ τοὺς προφήτας σε ἀπέκτειναν ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ὑπολέλειμμαι ἐγὼ μονώτατος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν με λαβεῖν αὐτήν· — Καὶ καταλείψω ἐν Ἰσραὴλ ἑπτὰ χιλιάδας ἀνδρῶν, πάντα γόνατα, ἃ οὐκ ὠκλασαν τῷ Βάαλ, καὶ πᾶν στόμα, ὃ οὐ προσεκύνησεν αὐτῷ.

§. I.

In *collatione* utriusque textus deprehendimus iterum, Paulum hebræa non modo in compendium redegiſſe *demendo*, ſed etiam quædam *transpoſuiſſe*, & duas voculas *addidiſſe*. I.) Verba קַנֹּא קִנֵּאתִי לַיהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת *zelando zelatus ſum pro Jehova, Deo exercituum* Apoſtolus transmiſit, utpote ad ſcopum ſuum haud facientia: ſatis enim habebat, ex oratione eccleſiæ ad Dominum ea decerpſiſſe, quæ ſtatum Iſraelis deploratiſſimum adumbrabant, & ſimul rationem continebant, cur Elias ſolum ſe ſupereſſe crediderit. Ceterum, quando hic verbum קָנָא cum ל conſtruitur, obſervant nonnulli, illud cum præpos. ל conſtructum, ut hic & Num. XXV. 13. in *bonam* partem ſumi; cum ב, uti ſupra in *Allegato* ex Deut XXXII. 25. fere in malam. Cumulat etiam Elias nomina *Dei*, ut juſtitiam zeli ſui, ad ſummum usque gradum effervescentis, ex objecto demonſtret.

§. II.

2.) Verba כִּי עָזְבוּ בְרִיתְךָ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *quia deſeruerunt fœdus tuum filii Iſrael*, pariter omiſit Paulus, & compendii gratia omittere potuit, quoniam ſequentia ſatis manifeſta ſunt ſpecimina ejus, quod hæc verba dicunt. Eſt vero hæc phraſis, *fœdus Dei deſerere*, quæ etiam alibi occurrit in Vet. Teſt. vid. Deut. XXIX. 25. Dan. XI. 30. parallela iis, quæ alias frequentiores ſunt, *Deum deſerere*, *legem Dei deſerere* &c. e.g. 1 Reg. XVIII. 18. 3.) וְאֶת־מִזְבְּחֹתֶיךָ הָרָסוּ *altaria tua deſtruxerunt*, quod LXX. exacte verterunt: v. 10 τὰ θυσιαστήριά σε κατέσκαψαν, & v. 14. — καθεῖλον; Paulus

lus vero prius verbum, κατέσκαψαν, suum fecit, quia *furorem* homi num in diruendis altaribus melius exprimit. Notat enim, *suffossis* etiam *fundamentis* aliquid destruere.

§. III.

Quæritur autem jam, de *quibus altaribus* sermo sit? Sunt, qui intelligant *altaria*, quæ erant *Hierosolymae*, hique vel *altaria* in plur. per enallagen dicta existimant pro *altari*: Enallage enim est consuetum ignorantiæ asylum [a]): vel innui putant duo altaria suffitus & holocaustorum: ita CALOVIUS in *B. J. ad Rom. XI.* qui tamen ad 1 Reg. XIX. cum iis facit, qui *proprie* non altaria ipsa eorumque destructionem hic significari arbitrantur, sed *metonymice* verum Dei cultum ejusque abolitionem in terra X. tribuum per Ahabum & Jesabelem. Verum *prius* ideo admitti nequit, quia nullibi leguntur reges Israelis altaria hierosolymitana destruxisse: *posterius* autem ἀκύρως plane dicitur, quia destructio altarium quidem, ubi proprie facta est, abolitionem cultus infert; sed ubi nulla est facta, dura admodum metonymia foret, abolitionem cultus divini dicere destructionem altarium ejus. Rectius itaque hic respici putantur *altaria ista*, quæ propheta *Samuel*, aliive viri religiosi, ante conditum templum hierosolymitanum, in regno israelitico hic illic erexerant [b]): vid. 1 Sam. VII. 17. XI. 15. XVI. 2. 5.

a) *Enallagen temporum* in specie, *Grammaticorum asylum dixit* LOESCHERUS *de Causis Ling. Hebr.* p. 433. ubi docet, in multis ad hanc figuram provocari præter necessitatem, quæ alias ex genio linguæ multo rectius explicentur. Ut dicamus, quod res est, si per *Enallagen* non tantum partes orationis ipsæ, quæ *Antimeria* proprie vocatur, sed & singula singularum partium accidentia, per *Heterosin* sive *Alloeosin* inter se permutari possunt; atque id ad figuras atque ornatum sermonis referri debet: ipse solœcismus desinet esse vitiosus. Fuerunt proinde, qui omnes Enallagas ex Textu V. T. eliminatas voluerunt, quos recenset SIMONIS in *Introd. L. Hebr.* p. 238. Patrocinium contra earum suscepit, & a soloeciſmi macula illas purgavit CHRIST. BENED. MICHAELIS, in duabus Diss. ibidem allegatis. Hoc certum est, ad *Enallagen* confugiendum non esse, quousque aliud superſit responsionis fundamentum. Præcepto generali res comprehendi nequit, sed ad singulos casus dispiciendum est, num sine hoc remedio anomalia amoveri nullo modo possit.

b) Ita quoque *h.* ZACHARIÆ: *und haben die dir noch von deinen Verehrern erbaute Altäre niedergerissen.*

& quæ poſtea, condito templo, non deſtructa fuere, ſed, Achabo regnante, adhuc ſupererant, donec is ea deſtrueret, ne Iſraelitæ haberent amplius, ubi vero Deo Iſraelis ſacra facerent: unde & Elias Cap. præc. XVIII. 30. hujusmodi altare dirutum reparaſſe legitur. Excipis forte, poſt conditum templum haud licuiſſe extra Hieroſolymam ſacra facere, adeoque & deſtructionem altarium, quæ in terra X tribuum erant, non potuiſſe objectum eſſe zeli Eliæ. Sed reſp. poſtquam Jerobeam, ut omne X tribuum cum Hieroſolyma commercium aboleret, in *Dan & Bethel* altaria exſtruxiſſet, 1 Reg. XII. 26 ſeqq. ſine dubio pios in Iſraele, quibus Hieroſolymam cultus divini ergo adire interdictum erat, contra vero in Dan & Bethel ſacra facere piaculum videbatur, antiquis iſtis altaribus, quæ ex temporibus ante conditum templum adhuc reſtabant, ad ſacra facienda uſos eſſe; cum vero *Achab* illa funditus everteret, recte eapropter altaria *Dei*, cultui ejus olim dicata, & nunc Eccleſiæ preſſæ X tribuum ad eundem veri Dei cultum inſervientia, impie deſtruxiſſe dicitur. Ita GROTIUS, CLERICUS, RAMBACHIUS, STARCKIUS in *Synopſi*, ad 1 Reg. XIX. 10.

§. IV.

4.) וְאֶת־נְבִיאֶיךָ הָרְגוּ בֶחָרֶב *Et prophetas tuos occiderunt gladio.* LXX. reddiderunt: καὶ τὰς προφήτας σου ἀπέκτειναν ἐν ῥομφαίᾳ: ſicque etiam Paulus, niſi quod a) omittat, ἐν ῥομφαίᾳ, brevitatis ergo, & quod ſufficiebat, memoraſſe, Prophetas fuiſſe *occiſos*, quocunque dein id factum fuerit inſtrumento. b) Totam hanc propoſitionem Paulus antecedenti *praeponit*, quia majus ſcelus eſt, ſanctos Dei, imo prophetas occidere, quam altaria Dei deſtruere; Elias autem ordinem temporis, quo utrumque contigit, reſpexiſſe videtur, cum probabile ſit, Jeſabelem in delendo cultu Dei Iſraelis a deſtructione altarium ad cædem prophetarum progreſſam eſſe. c) Quum propoſitioni huic apoſtolus præmittit alloquium κύριε, ex antecc. addere id voluit, ut pateat, quem alloquatur propheta. d) Hiſtoriam cædis hic memoratæ haud quidem reperimus in præcedd. ſed ſubinnuitur tamen illa C. XVIII. 4. 13. Quum vero RAMBACHIUS ad h. l. Jeſabelem hac cæde prophetarum Dei cædem ſacerdotum Baalis ulciſci voluiſſe conjectat, fallitur; quia Cap. XVIII. illa cædes prophetarum Dei memoratur facta eſſe ante cædem ſacrificulorum Baalis. Vid. cit. cap. v. 4. & 13. coll. v. 40. Hanc vero cæde Eliæ reginam Jeſabel ulciſci voluiſſe Cap. XIX. 7. legitur.

§. V.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0014
DFG

§. V.

5.) וְאוֹתַר אֲנִי לְבַדִּי *Et relictus sum ego solus* : LXX. interpretati sunt: καὶ ὑπολέλειμμαι ἐγὼ μονώτατος ; Paulus autem pro superlativo habet positivum μόνος, & pro perfecto aor. 1. ὑπελείφθην· quæ posterior mutatio nil habet in recessu ; prior vero BENGELIO specimen est *subtilitatis stili apostolici*. Cum enim *superlativus* μονώτατος nimis rigide exclusivus esse, nec hebræus positivus præcise omnimodam exclusionem inferre, sed cum quadam laxitate sumendus esse videretur ; maluit Apostolus quoque positivum adhibere. Ceterum quæri potest, num Elias sibi *solus* supersesse visus sit e *Prophetis* tantum, an omnino *ex omnibus veri Dei cultoribus ? Prius* sequi videtur ex ipsius Eliæ verbis C. XVIII. 22. ubi expresse ait : *solus ego superstes Propheta Domini :* &, si objiciantur centum illi prophetæ, quos Obadias abscondidit, C. XVIII. 4. 13. dici poterit, etiam hos interea ab Isabele deprehensos & occisos fuisse, vel saltem in terram *Juda* aufugisse, ut revera præter Eliam nullus propheta Domini in terra Israel superfuerit. vid. MICHAELIS *in B H. ad h. l.* quia si vel maxime adhuc absconditi fuerunt, in isto tamen secessu suo officio prophetarum haud *publice* fungi, ac inundanti omnia Idololatriæ palam se opponere poterant. Sed malim ego nihilominus, *generatim veri Dei* cultores in X tribubus innui censere : nam *de his loquitur* divina responsio v. 13. ubi *genua sua non flectere coram Baal*, *nec eum osculari*, est periphrasis non præcise prophetarum, sed in genere cultorum veri Dei. Liquet ergo e responso divino, quomodo querela Eliæ intelligenda sit ?

§. VI.

6.) וַיְבַקְשׁוּ אֶת־נַפְשִׁי לְקַחְתָּהּ, *Et quaerunt animam meam, ut auferant eam.* LXX. exacte sic expresserunt : καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου λαβεῖν αὐτήν. Sed Paulus brevitatis causa omisit, λαβεῖν αὐτὴν, absque sensus detrimento : nam intentio quærentium vitam Eliæ satis colligi poterat ex antecc. ubi de *occisis* prophetis sermo est : hinc enim patet, Eliæ quoque vitam non alio fine quæsitam fuisse, nisi ut auferretur ipsi ; pro לְקַחְתָּהּ eidem phrasi, בַּקֵּשׁ נֶפֶשׁ, *quaerere animam*, alibi additur eodem sensu, לְהָמִית, ad

ad *perdendum* eam, Pſ. XL. 15. & τὸ קַחַת, *capere*, ac בְּצוֹת, *perdere* animam ſeu vitam, aliis in locis exprimitur per הַכּוֹת נֶפֶשׁ, *percutere* animam, Gen. XXXVII. 22. רְצַח נֶפֶשׁ, *occidere* animam; plerumque autem finis, quo alicujus anima ſeu vita quæritur, ſubaudiendus relinquitur v. g. Exod. IV. 19. 1 Sam. XXIII. 15. Addimus etiam hoc, phraſes ſynonymas eſſe אָרַב לְנֶפֶשׁ, *inſidiari* vitæ alicujus, Pſ. LIX. 4. & צוּד נֶפֶשׁ *venari* vitam alicujus. 1 Sam. XXIV. 12. Alias vero eadem phraſis, בִּקֵּשׁ נֶפֶשׁ, *in bonum* quoque accipitur, v. g. Prov. XXIX. 10. ubi *animam viri integri quaerere*, non ſignificat, vitæ ejus inſidias ſtruere, ſed ſalutem ejus quærere; conf. Pſ. CXLII. 5. ubi tamen pro בִּקֵּשׁ legitur verbum דָּרַשׁ. Cæterum Hebraismum huic phraſi ineſſe, VOSSIUS probat *Ph. S P. II. p. 245 ſeqq.* Licet enim vocem ψυχὴ etiam ab aliis ſcriptoribus græcis de *vita* uſurpari forſan probari poſſit; vid. WOLFIUS in *Cur. ad Matth. II. 20.* integra tamen phraſis ψυχήν τινος ζητεῖν manifeſte hebraizat.

§. VII.

7.) Quum v. 18. in textu hebr. ſequitur: וְהִשְׁאַרְתִּי בְיִשְׂרָאֵל, LXX. id vertunt: καὶ καταλείψω ἐν Ἰσραὴλ; Paulus autem: κατέλιπον ἑμαυτῷ, futurum *mutans* in aor. 2. *addens* ἑμαυτῷ, & ἐν Ἰσραὴλ plane *omittens*. Ad verbum וְהִשְׁאַרְתִּי notamus: a) *perſonam primam*, in qua Deus hic loquitur, indicio eſſe, quod *ille* ſit is, qui has reliquias ſupereſſe juſſerit; non enim dicitur *relicta ſunt*, quaſi fortuito, nemine curante relicta, eſſent; ſed *ego feci relinqui*: nam verbum שָׁאַר in Hiphil ſignificat *facere, ut aliquid reliquum maneat:* Deo ſic dirigente reliqui manſerunt; unde in apodoſi v. 5. ſermo eſt de reliquiis ſecundum *electionem gratiae*, quia per meram Dei gratiam ſervatæ ſunt. b) הִשְׁאַרְתִּי quidem in *praeterito* vertendum eſſet, *feci* reliqua eſſe: ſed *vav converſivum* & ipſa accentuatio, illi reſpondens, vertere jubent: *& faciam* reliqua eſſe. Nam, quod ex grammaticis notum eſt, *praeteritum penacutum*, quando ob præfixum vav fit *acutum*, ſeu accentum in ſyllaba ultima ſortitur, in futurum convertitur. Hinc etiam in *futuro* exponit *R.* LEVI *ad h. l.* nemine ex Hebræis contradicente; item *Chaldaeus*, *Vulgatus*, PAGNINUS & LUTHERUS ad 1 Reg. XIX. quin & LXX. qui habent καταλείψω, quamquam

(quod

(quod obiter notamus) communis lectio sit καταλείψεις, manifesto errore. c)

§. VIII.

Jam qu. c) quomodo cum hoc *futuro* conciliari possit Pauli *praeteritum* κατέλιπον? α) Qui, nulla ratione habita τῷ vav conversivi, τὸ הִשְׁאַרְתִּי in praeterito accipiunt, praeter auctoritatem Apostoli hac quoque observatione grammatica tueri se posse videntur, quod nonnumquam praeterita, cum nota conversionis in futuro posita, maneant nihilominus praeterita; sed nota, non facile hoc in LL. *historicis* contingere, ut conversionis nota cum praeteritis otiosa sit; quapropter sine necessitate eo non recurrendum est. d) Nullam vero hic nos urgere necessitatem, β) ex eo patet, quod textus hebraicus & graecus nihilominus conciliari possunt; ϰ) SEB. SCHMIDIUS *in Coll. B. pr. p. 340. seq.* statuit, *textum hebr. de futuro* loqui, quid Deus facturus sit: sed ex consilio & decreto, quod in praeterito, h. e. ab aeterno, factum sit: *Paulum* vero hunc textum non transtulisse ad verbum, sed ex sensu id assumsisse, quod suae de aeterna electione causae accommodatum erat, nimirum aeternum Dei decretum de relinquendis 7. millibus. Unde Pauli *praeteritum* sic resolvendum sit: reliqui mihi 7. millia, h. e. *constitui* mihi relinquere. ב) FR. WOKENIUM si audiamus, Deus erga Eliam *futurum* adhibuit, ut actum suum, veros suos adoratores sibi conservandi, etiam posthac esse duraturum insinuaret, quia non solum de praesentibus, sed & futuris sollicitus erat propheta. Quoniam vero haec conservatio diu praeterierat tempore Pauli, & in vulgus erat nota, Paulus non καταλείψω sed κατέλιπον adhibuit, ne quis in erroneo haec sensu caperet, quasi ipse haec verba ad N. T. tempora referret, & literaliter exponeret de ea conservati-

c) Tanto magis miramur, *Edit. Breiting.* non tantum καταλείψεις habere in textu, sed etiam καταλείψω ne ut variantem quidem exhibere in margine.

d) ELIAS LEVITA de hocce Vav conversivo hanc dedit regulam: si praecesserit aliud *Praeteritum*, aut *Futurum* loco praeteriti positum, sique tonus ad ultimam non est protractus, simpliciter *copulativum* est; sin minus, *conversivum* judicabitur. Nostro itaque in loco conversivum esse, inspectio textus docet. Nec tamen non potuit Paulus praeteritum usurpare κατέλιπον.

vatione, de qua ipsi h. l. sermo erat. ɔ) GROTIUS suspicatur, Paulum in aliis græcis versionibus, quas viderat, reperisse τὸ κατέλιπον, quod etiam hebræum הִשְׁאַרְתִּי melius exprimat, cum sit præteritum Hiphil, licet cum præf. *vav* futurum designet. Nos ר) missa GROTII conjectura, posterius in tantum assumimus, ut dicamus, Paulum, cum verba comm. 17. 1 Reg. XIX. ad scopum ejus non facerent, adeoque copula *vav* omittenda esset, τὸ הִשְׁאַרְתִּי simpliciter vertisse secundum conjugationem, in qua omnino significat κατέλιπον; *praeteritum* vero in futuro textus hebr. simul involvi, SCHMIDII ratio probat.

§. IX.

d) Ipsam *relictionem* quod attinet, proxime quidem α) hoc verbo וְהִשְׁאַרְתִּי intenditur conservatio in vita, vi contextus, quia v. 17. ingens clades prædicitur; cum vero mox sequatur: *qui genua non flexerunt Baali &c.* β) etiam conservatio in vera religione & præservatio a falsa simul innuitur; conf. quæ ad *Alleg.* Rom. IX. 27 - 29. diximus. In vocula ἐμαυτῷ, quam haud invito textu hebr. addidit Paulus, duplicem Interpretes observant emphasin: vel enim, *mihi ipsi* est *dativus* quasi *commodi*, ut *sibi* Deus servasse dicatur, quia servavit ad suum cultum & gloriam per eos asserendam, & tanquam peculium suum, post defectionem plurimæ partis ipsi adhuc residuum; vel τὸ *mihi* antithesin facere existimant ad querelam Eliæ de sua *solitudine*, ut sensus sit: servavi veros nominis mei cultores *tibi* ignotos, *mihi* autem probe cognitos; ita BENGELIUS in *Gnom.* & P. ANTON. *in den Anmerk. über diese Epist. ad h. l.* conf. 2 Tim. II. 19. ἐν Ἰσραὴλ omittere potuit Paulus, quia non solum, etiam absque expressa mentione, notum erat, de cujus populi reliquiis oraculum loquatur, sed etiam ipse v. 2. Israelis jam diserte meminerat.

§. X.

8.) שִׁבְעָה אֲלָפִים *septem millia: LXX.* reddunt: ἑπτὰ χιλιάδας ἀνδρῶν, & *Paulus* ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, eodem sensu. A) Voci ἄνδρας in hebr. nil respondet, sed generatim 7. millia memorantur: ac sane hæc additio id incommodi habere videtur, quod hac ratione excludum putare quis posset sexum sequiorem. Sed responderi potest: a) cum ESTIO, *viros*

viros nominari non exclusis mulieribus & liberis, ita ut præter illas & hos 7. millia *virorum* fuerint; consentit BENGELIUS ex hac ratione, quia *viri* maxime veniebant in *censum*, & *cultui publico intererant*, indeque horum conjuges ac liberos etiam ad 7. millia accedere putat. *Alii* vero b) ἄνδρας dictos putant pro ἀνθρώπους, 7. millia *hominum*, uti Hebræum אִישׁ sæpe generatim *hominem* denotat. Utrum assumas perinde est. B) Quoad vocem numeralem, שִׁבְעַת אֲלָפִים, ἑπταχιλιάδας, seu ἑπτακισχιλίους dissentiunt Interpretes, an numerus *certus* positus sit pro *incerto*? an vero definite 7. millia intelligenda sint? *Prius* qui statuunt, 7. *millia* dicta putant pro *multis*, seu *quam plurimis*, quia *septem* & *septies* sæpe sic sumatur, ut Lev. XXVI. 18. 21. 24. ad quem locum CLERICUS provocat, 1 Sam. II. 5. Ps. XII. 6. Prov. XXIV. 16. quæ loca SANCTIUS adducit. Sed malim ego *numerum finitum*, non vero infinitum, intelligere. Nam loca in contrarium citata aperte *indefinitum* quid redolent, sed *h. l.* ubi Deus ipse numerat electos suos, omnino numerus definitus intelligendus esse videtur; vid. BENGELII *Erkl. Offenb. Ed. I. p. 383. seq. ad Apoc. VII. 4.* Certe qui h. l. numerum definitum intelligit, talem etiam 1 Reg. XIX. & Rom. XI. facile agnoscet: utrinque enim de electis ex Israele sermo est, quos utique Deus in numerato habet. conf. 7. *millia* 1 Reg. XX. 15. & Apoc. II. 13. Quis hisce in locis numerum certum pro incerto poni existimet? In Apocalypsi Deus duodecim millia totidem multiplicat; nostro in loco vero unitatem Eliæ imaginariam septem millibus.

§. XI.

9.) כָּל־הַבִּרְכַּיִם אֲשֶׁר לֹא־כָרְעוּ לַבָּעַל, *omnia genua, quae non incurvarunt se Baali: LXX.* sic transtulerunt: πάντα γονάτα, ἃ οὐκ ὤκλασαν τῷ Βάαλ. *Paulus* vero ὅσα οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ. *Illi*, hebræum presse secuti, *duram hanc oppositionem* faciunt: *septem millia, omnia genua &c. hic* vero eam sic *emollit: septies mille, qui genu &c.* Hebræum כֹּל, repetitum, hoc vult: servavi mihi 7. millia, *omnia genua*, h. e septies mille viros, *eosque omnes* tales, seu *mere* tales, qui genua non flexerunt Baali, nullo sc. baalita admixto. Sic BENGELIUS; *Flexio genuum* denotat adorationem religiosam, & per meton. signi pro signato totum cultum religiosum, seu verum seu falsum, Ps. XXII. 30. Jes. XLV. 23. XLIV. 15. 17. 19. XLVI. 6. ac notanter, apud Paulum dicitur: οὐκ ἔκαμψαν γόνυ, in sing.

cum LXX. habeant plur. γόνατα. Innuitur enim, ita se istos ab idololatria puros servasse, ut ne *genu* quidem, multo minus *genua* flecterent Baali.

§. XII.

Baal erat *Idolum Sidoniorum*, cujus cultum uxor Achabi, Jesabel, filia regis Sidonii, introduxerat, 1 Reg. XVI. 31 seq. Huic Baali LXX. articulum adjiciunt in *masculino*, τῷ Βάαλ, Paulus autem in *fœminino*, τῇ Βάαλ cujus rei varii varias reddunt rationes: Sunt a) qui dicant, veteres idem numen *in utroque sexu* coluisse, unde LXX. Baali nunc *masculinum*, 3 Reg. X. 18. seqq. Hos. XI. 2. ubi legimus τοῖς Βααλείμ in plurali nunc *fœmininum* genus tribuant, v. g. Judic. II. 13. Jer. II. 8. XIX. 5. Hos. II. 8. Zeph. I. 4. Vid. SELDENUS *de Diis Syr.* L. II. C. II. Consentiunt DE DIEU, BRAISIUS, SUICERUS &c. *Alii* b) fœmininum statuunt adhibitum esse *contemtus causa*, ad designandam imbecillitatem idolorum; sic HIERONYMUS jam observavit, Hos. X. 5. idola Jerobeam non עֲגָלֵי, *vitulos*, ut 1 Reg. XII. 28. sed עֶגְלוֹת, *vitulas*, seu *vaccas* per ironiam dici. Constat etiam, Rabbinos hodienum, nec non Arabes, idolis nomina feminini generis tribuere, & RASCHI v. g. in Comm. ad Hos. II. 17. Baalim vertit אֱלֹהוֹת, *Deas*. Ac sane valde congruit h. l. quod ita elegans antithesis emergit inter ἄνδρας, *viros*, & τὴν Βάαλ, quodque *fœmina*, sc. Jesabel, cultum hujus Idoli introduxit. Hoc tamen non obstante malunt *alii* c) *ellipsin substantivi fœminini* heic statuere, subaudientibus aliis α) τῇ δαμάλει ex Tob. I. 5. ubi legitur: τῇ Βάαλ, τῇ δαμάλει, ita LIGHTFOOTUS *ad h. l.* HENKENIUS in *diss. de usu apocr. in N. T.* sed, præter quam quod in aliis Codicibus legatur, δυνάμει, quod etiam DRUSIUS præfert in *Polo ad h. l.* Rom. XI. recte GROTIUS obvertit, in Achabi historia, ad quam hæc pertineant, *Baalem* diserte distingui a *vitulis*, & in hoc culpam *Achabi* ut graviorem describi, quam *Jeroboami*, quod *hic* vitulos tantum; ille vero *Baalem* coluerit, idque Sidoniorum exemplo 1 Reg. XVI. 31. Verosimilius proinde est, subaudiendam esse vel vocem εἰκόνι, i. e. *statuae*, ex 2 Reg. X. 26. 27. ubi מַצֵּבָה, quæ Baali dicta erat, LXX. vertunt εἰκόνι, vel εἰκόνι, ex *2 Reg. XI. 18.* ubi hac voce redditur hebraica צֶלֶם. Etsi autem alibi legimus, *imagines* Baal, in plur. & alibi *statuas* Baal; hic tamen sermo est *de una* quapiam insigni statua,

ſtatua, nimirum ea, quæ in templo Baal collocata fuerat, ut omnes eam adorarent, & quam *everſam* legimus 2 Reg. X. 27.

§. XIII.

10.) וְכָל־הַפֶּה אֲשֶׁר לֹא נָשַׁק לוֹ *Et omne os, quod non oſculatum eſt eum.* LXX. verterunt: καὶ πᾶν στόμα, ὃ οὐ προσεκύνησεν αὐτῷ. *Paulus* vero hæc omiſit, quia novum tantummodo ritum in adorando Baale continent; & aliis verbis exprimunt, quod jam ante per genuflexionem ſignificatum fuit, ſcil. *adorationem religioſam*: & ſi, *oſcula dicare Idolo*, plus dicit, quam genua coram eo flectere, certe *illud*, tanquam *minus*, de viris iſtis negando, etiam *hoc* multo magis negaſſe cenſendus eſt Paulus. *Oſculis* autem colebantur idola duplici modo, vel *ſic*, ut idololatræ ore ad ſimulacrum proxime adplicito, oſcula illi figerent, quo pertinet locus Hoſ. XIII. 2. atque hinc latinorum *adorare*, quod *proprie* eſt *os ori admovere*, *vel etiam manu* ad ſimulacrum ſeu vere ſeu ſimulate admota, ac deinde ad proprium os relata, oſculoque excepta, tanquam ex contactu rei ſacræ jam ſanctificata, quem ritum reſpicit locus Hiob. XXXI. 27. ubi videatur POLI SYN. [c])

§. XIV.

Supereſt II) ut de *Applicatione* hujus dicti apoſtolica nonnihil adjiciamus; poſtquam ſc. Paulus Cap. X. gratiam Dei erga gentes & defectionem judæorum, indeque ſecutam rejectionem illorum tam graviter expoſuiſſet, nunc totum Cap. XI. impendit ſolvendo *dubio*, quod facile cuivis ſubnaſci poſſet. Dubium, quod ipſe ſibi format v. 1. hoc eſt: num ergo *abdicavit* Deus populum ſuum? ſcil. uti ſeqq. declarant, *totum* ac *in perpetuum*? Ad hoc dubium reſpondet: *Abſit!* cum deteſtatione proteſtatur adverſus conſequentiam, quæ ex hactenus dictis deduci poſſe videbatur: erat enim injuria in veracitatem Dei, qui pridem teſtatus erat in Pſ. XCIV. 14. οὐκ ἀπώσεται κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ· & Jerem. XXXI. 37. *Si cæli menſurabuntur ſuperne, & fundamenta terrae inveſtigabuntur inferne, etiam ego ſpernam* (in græco eſt ἀποδοκιμῶ, verbum, quod proprie *reprobationem* notat) TOTUM *ſemen Iſraelis*. Itaque in ſeqq. mentem

 ſuam

c) Cf. quam maxime GESNERI, *Theſ.* ad vocem *adoro*.

ſuam hac de re prolixius declarat; & quemadmodum ipſa illa loca, quæ adverſa videri poterant, ſolutionem dubii jam ſuppeditant: ſiquidem Pſalmus mox v. 15. loquitur de Iſraelitis *rectis corde*; apud Jeremiam autem Dominus eo ipſo, dum ſe non ſpreturum ait *totum* ſemen Iſraelis, haud obſcure innuit, etiamſi *pars* aliqua reprobetur, *partem* tamen exemtum iri, ut proinde reſponderi poſſit *diſtinguendo* inter Iſraelitas probos ac improbos, & inter *totum* Iſraelem ac *partem* ejus: ita & *Paulus* in ſqq. hæc duo maxime urget, α) & nunc ſalvari partem populi, & poſtea quoque, creſcente introitu gentium, permultos fore, qui credant ex Iſrael, manifeſto indicio, Deum haud reprobaſſe *totum* populum, v. 1 -- 10. β) ipſum populum aliquando ſalvatum iri, v. 11 -- 32.

§. XV.

Quod *primum* aſſertum attinet, id quod noſtri jam loci eſt, ſcilicet Deum ita reprobaſſe Iſraelem, ut tamen *aliquam* ejus *partem* ſibi reſervaverit in peculium, id probat Apoſtolus ipſo adhuc verſu 1. proprio ſuo exemplo; deinde vero *experientia* ſuæ ætatis, ubi converſio tot Judæorum aperte doceat, Deum ſibi e populo ſuo reprobato ſervaſſe *reliquias* quasdam hicque 1) fundamentum demonſtrationis ponit v. 2. 2) rem illuſtrat exemplo ſimili temporum Eliæ, v. 2 -- 4. & 3) *applicationem facit ad ſua tempora* v. 5 -- 10.

§. XVI.

Deum ſemper aliquos, ut a ſe præcognitos, ſervaſſe, plurimis licet pereuntibus, probat exemplo temporum Eliæ. *Protaſis*, ſeu *exemplum*, ad quod provocat, continetur v. 2 - 4. *apodoſis ſequitur* v. 5. Quoad *illam*, cum ipſum Allegatum jam ſatis expenſum ſit, ſola jam pene *formula allegandi* conſideranda ſupereſt: & a) quidem verba: ἢ οὐκ οἴδατε, ἐν Ἠλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή; α) particula disjunctiva, ἤ, hanc habet vim: *aut* neſcitis, quæ Eliæ temporibus contigere, *aut* agnoſcendum vobis eſt, Deum populum ſuum non penitus reprobaſſe. β) Interrogatio: οὐκ οἴδατε; frequens eſt formula appellantis ad notitiam eorum, quos convincere vult. vid. Matth. XII. 3. 5. 7. Rom. VII. 1. 1 Cor. IX. 13. γ) ἐν Ἠλίᾳ pertinet ad ſeqq. τί λέγει ἡ γραφὴ ἐν Ἠλίᾳ.

§. XVII.

§. XVII.

Quid vero hic significat phrasis: ἐν Ἡλίᾳ? Sunt ᵑ) qui vertendam putant, *de Elia*, ut ERASMUS, BEZA, FLACIUS, PAGNINUS, PISCATOR, CASAUBONUS, DE DIEU, in *Polo;* CALOVIUS, & GLASSIUS p. 1038. atque hi provocant *partim* ad similem usum hebræi *Beth*, Exod. XII. 43. non comedes *in eo*, i. e. *de eo*. 1 Sam. XIX. 3. alloquar Patrem *in te*, h. e. *de te*; *partim* ad usum eundem præpos. ἐν, aliis in locis N. T. Matth. X. 32. Phil. I. 30. sed nulla nos necessitas consuetum præpos. ἐν significatum deserere cogit; potest enim τὸ ἐν Ἡλίᾳ verti: *in historia Eliae*, h. e. *vel* in *L. Regum*, qui, quod res *Eliae* contineret, ideo metonymice de ejus nomine appellatus est, ita GROTIUS: *vel* in *ea parte* L. Regum, aut eo loco, *ubi de Elia sermo est;* ita *Syrus* & *Arabs*, CAMERARIUS, WOLFIUS, RAMBACHIUS, BENGELIUS. Nec exemplo caret hic citandi modus in N. T. Vid. Marc. XII. 26. ubi ἐπὶ τῆς βάτου, *in rubo*, valet, *in historia* rubi illius ardentis; conf. quæ ad *Alleg.* XXVII. ex Matth. XXII. 31. seq. hac de re diximus. *Rabbinis* certe pariter in usu est hæc formula citandi, ut v. g. dicant: באברהם, h. e. in *historia* Abrahami; בדויד, h. e. in *historia* Davidis &c. Certe locum in Eliæ historia, quem Paulus respicit, *aperte* designant.

§. XVIII.

b) Verba, quæ in *formula allegandi* porro sequuntur: ὡς ἐντυγχάνει τῷ θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραὴλ, λέγων· α) Ἐντυγχάνειν τινὶ generatim significat, *accedere ad aliquem*, unde HESYCHIO idem est ac προσέρχεσθαι. Id vero duplici modo fieri potest: scopo *intercedendi pro aliquo:* & sic construitur cum ὑπὲρ, Rom. VIII. 27. vel *querulando adversus aliquem*, & sic habet κατὰ, ut h. l. & 1 Macc. VIII. 32. X. 61. 63. 64. XI. 25. En differentiam inter spiritum V. & N. T. *illius* est τὸ κατὰ, h. l. *hujus* τὸ ὑπὲρ C. IX. 3 [f]) β) Vocem λέγων in fine formulæ, non habet *Cod. Alex.* cum aliis quibusdam, nec Interpres *Vulgatus*, *Arabs* & *Coptus*, idque GROTIO probatur; sed BENGELIO non plane certa est hæc lectio; c) versu 4. alteri membro

q) Egregiam de voce ἐντυγχάνειν observationem philologicam habet *das Englische Bibelw.* ad h. l.

bro allegati nova præmittitur formula allegandi: ἀλλὰ τί λέγει αὐτῷ ὁ χρηματισμός; α) ἀλλὰ τί λέγει antitheſin hic facit ad querelam Eliæ, uti C. X. 8. ad ſermonem juſtitiæ ex lege; β) χρηματισμὸς eſt reſponſum divinum ſeu oraculum; cf. Matth. II. 2. 22. Luc. II. 26. Act. X. 22. Hebr. VIII. 5. II. 7. XII. 25. alio ſenſu ſumitur χρηματίζειν Act. XI. 26. Rom. VII. 3. cf. POLUS ad c. l. Matth. II. 12. Hæc de *formulis allegandi*, quas ſequitur allegatum ipſum, ſupra expenſum.

§. XIX.

Pergimus ſecundo ad *apodoſin*, quæ habetur v. 5. ἕτως ἔν ᾧ ἐν τῳ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν· a) Particula ἕτως indicat *ſimilitudinem* eventuum tempore *Eliae* & Apoſtoli *Pauli:* ac ſane, quæ ſequuntur, eleganter reſpondent oraculo divino v. 4. verbo κατέλιπον reſpondet vox λεῖμμα, & ſicut Deus v. 4. *ſibi* tribuit τό καταλείπειν, ita hic λεῖμμα adſcribitur τῇ ἐκλογῇ χαράριτος· b) particula illativa ἔν vetat, ne *meram alluſionem* hic ſtatuamus, & recte BRAISIUS vocat *alluſionem argumentativam*. Legitima nimirum eſt conſequentia a *V.* & *N. T.* ſi Deus *tunc*, quando parcior adhuc & reſtrictior erat gratia ejus, reliquias ſanctas ſibi ſupereſſe juſſit, quanto magis *nunc*, ubi gratia abundat, λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος habebit? Vid. Act. XXI. 20. ubi pro *chiliadibus* μυριάδας credentium Judæorum legimus. Πρόγνωσις divina v. 2. & ἐκλογὴ χάριτος h. v. id præſtitere tempore Eliæ, quidni magis adhuc ἐν τῷ νῦν καιρῷ? Fundatiſſima ergo eſt *applicatio apoſtolica.*



XC. ALLEGATVM.

ROM. XI. 8. [g])

Οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν, καθὼς γέγραπται· Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας.

DEUT. XXIX. 4. (3. HEBR.)

וְלֹא נָתַן יְהוָה לָכֶם לֵב לָדַעַת וְעֵינַיִם לִרְאוֹת וְאָזְנַיִם לִשְׁמֹעַ עַד הַיּוֹם הַזֶּה׃

VERSIO LXX.

Καὶ οὐκ ἔδωκε Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῖν καρδίαν εἰδέναι, καὶ ὀφθαλμοὺς τοῦ βλέπειν, καὶ τὰ ὦτα ἀκούειν, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης.

JES. XXIX. 10.

כִּי נָסַךְ עֲלֵיכֶם יְהוָה רוּחַ תַּרְדֵּמָה וַיַּעְצֹם אֶת־עֵינֵיכֶם׃

VERSIO LXX.

Ὅτι πεπότικεν ὑμᾶς Κύριος πνεύματι κατανύξεως, καὶ καμμύσει τὰς ὀφθαλμὰς αὐτῶν.

§. I.

Quodsi I. quæras, ubi *sedes hujus Allegati* in V. T. quærenda sit? facile inquirenti apparebit, nullum illius locum *omnia*, quæ Paulus exci-

g) Constituit hoc Allegatum partem priorem Diss. academ. a Viro beato 1763 evulgatæ, sub tit. *Diss. Philol. Critica in duo Allegata N. T. e pluribus uno locis V. T. petita. Rom. XI. v. 8. & ejusd. Cap. v. 26. 27.*

excitat, *verba*, immo nec *totam rem*, iis comprehenſam, exhibere, adeoque diverſos V. T. locos adeundos eſſe, ut ſuam quisque ſymbolam conferat. Duo vero hic potiſſimum in cenſum venire poſſunt, *unus* apud Moſen, Deut. XXIX. 4. & *alter* in Jeſaiæ prophetia, Cap. XXIX. 10. plane uti Apoſtolus etiam præced. Cap. X. 19. 20. *Moſen* & *Jeſaiam* conjungit, eosque teſtes advocat.

§. II.

Fuere quidem, qui his duobus locis etiam tertium adjungerent, nimirum Jeſ. VI. 9. 10. ubi Deus ad prophetam ait: *Vade, & dices populo huic: audite audiendo, & ne intelligite; & videte videndo, & ne cognoſcite: obeſum fac cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus illine, ne videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & ſanatio illi* (ſit.) Hunc vero locum conferendum quidem cum noſtro eſſe, at huc tamen non pertinere exiſtimamus, uti ex ſequentibus patebit: quare nec textum hebræum nec Verſ. LXX. exhibere voluimus: legi vero poteſt & ille & hæc *Alleg.* XVIII. P. I. *Demonſtr. Evang.* p. 100.

§. III.

Quodſi enim *tria* hæc loca cum allegato Paulino conferamus, manifeſtum omnino eſt, 1) locum *Deut. XXIX.* 4. Apoſtolo, quoad *maximam* partem, & *rem* & *verba* dediſſe. *Res* quidem omnibus hiſce locis communis eſt, cum nullus non eorum loquatur de *obdurationе* & *excoecatione* gentis Judaicæ, ac eatenus iſta omnia Paulus reſpexiſſe dici poteſt; verum ratione *verborum* maxima eſt convenientia inter locum *Moſis* & *Pauli*: *ille* enim *huic* aperte ſuppeditavit tam verba *initialia* ἔδωκεν ὁ Θεὸς, quam ea, quæ *in fine*, allegati occurrunt, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας, pro quo, levi admodum differentia, Moſes habet, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. Verba *media* autem apud *Moſen* magis quidem dicunt, quid Deus Iſraëli *non dederit*, ſcil. *non dediſſe oculos ad videndum, nec aures ad audiendum*, & apud *Paulum*, quid illis *dederit*, ſcil. *oculos ad non videndum, & aures ad non audiendum.* At quis aliam nobis inter utrumque loquendi modum differentiam oſtendere valet, niſi hanc, quod Paulinus *Judicium Dei* in obdurandis & excoecandis Judæis efficacius paullo repræſentet, quam Moſaicus? & quid aliud inde ſequitur, niſi hoc, quod Pauli animo loca

ca parallela *Jesaiae*, in quibus, certo sensu, *positive* Deo adscribitur induratio Judæorum, simul obversata fuerint? id quod haud negamus: Certe ipsa etiam verba *media* apud *Mosen* melius respondent verbis *mediis* apud Paulum, quam verba *utriusque* loci *Jesaiani*, ceu collatio quemvis docet.

§. IV.

Quod 2) ad locum *Jesai. VI*, 10. spectat, mirum est, Interpretes longe plurimos *istum* una cum altero C. *XXIX.* pro *sede* allegati habere potuisse, cum parallelismus mere *realis* sit, non *verbalis*, qui *posterior* tamen præcipue attendendus est in determinanda sede alicujus allegati, nisi plurima allegata in pluribus uno locis quærere velis. Taceo, locum Jesai. VI. indurationem & excoecationem Judæorum non tam *Deo*, quod a Mose & Paulo fit, nec non ab Jesaiâ C. XXIX. quam *Prophetae*, ut causæ instrumentali & internuncio, adscribere. 3) quoad locum Jes. XXIX, 10 præter manifestum paralleliſmum realem, negari omnino nequit, Paulum ex eo sua feciſſe verba רוּחַ תַּרְדֵּמָה, quæ LXX. vertunt: πνεῦμα κατανύξεως; nam in neutro reliquorum locorum hæc phrasis reperitur.

§. V.

His de sede allegati præmissis, pergimus II.) *ad collationem* textus *graeci* cum textibus *hebraeis*. 1) ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς sumtum est e LXX. virali Deut. XXIX. 4. ut supra monuimus h). In eo tamen est discre-

h) Non ita videtur *Perill.* D. Michaelis, qui hoc ἔδωκεν a Paulo surrogatum existimat in locum τὸ πεπότικεν LXX. in loco Jes. XXIX. id quod durius Apostolo visum sit; atque sic hunc locum etiam exemplo esse putat, quod Apostoli Versionem LXX. studio nonnunquam *corrigere* voluerint. Verba ejus hæc sunt: Rom. XI. 8. *wird* Jes. XXIX. 10. *mit einer Aenderung citirt, davon sich die Ursache leicht errathen läßt. Die LXX lasen vermuthlich für* נָסַךְ, *er hat ausgeschüttet, so wie Hieronymus, der miscuit übersezt,* מָסַךְ, *verstanden diß vom Mischen eines Taumelbechers, und übersezten,* πεπότικεν ὑμᾶς Κύριος πνεύματι κατανύξεως. *Die Redensart,* einen mit einem Geiste des Todesschlafs tränken, *ist etwas hart: Paulus sezt deßwegen, ohne es genau nach dem Hebräischen zu corrigiren, ein allgemeines Wort:* ἔδωκεν αὐτοῖς &c. *bloß das den LXX eigene* κατάνυξις *für* Schlaf *ist kenntlich beybehal-*

pantia quædam, quod A) cit. loc. induratio *negative* exprimitur: *non dedit* vobis cor ad intelligendum &c. Paulus autem *positive* id effert: *Dedit* illis Spiritum compunctionis: Ita enim inflectendus erat sermo, cum ex Jesaia judicium Dei in Judæos incredulos *rigidius* describere vellet, quam Moses illud descripserat. Nimirum in induratione & excœcatione hominum non id tantum fit, ut Deus illos, qui *dari* sibi *non sinunt*, i. e. Deo *dante*, non tamen *accipiunt*, cor intelligens, oculos videntes & aures audientes, (vid. GROTIUS ad hunc locum Deuteronomii) gratia sua deserat, atque ita sibimet ipsis relinquat, sed etiam tanquam justus Judex *partim* Satanæ tradat, magis magisque ab eo indurandos excœcandosque, *partim* ipsemet ea *faciat*, quæ non quidem *per se* ac necessario cordis duritiem ac cœcitatem in ipsis producunt seu efficiunt, sed tamen eis *per accidens* & sua ipsorum culpa occasio sunt, semetipsos contra omnem & lucem & sensum veritatis plus plusque obfirmandi: *Moses* describit *antecedens*, scilicet *culpam* Israelis, quod *non fuerit* sibi *dari* a Deo cor intelligens, seu, quod Deo dare volente non acceptaverit, adeoque nec revera acceperit, uti vox *dandi* etiam sumitur 2 Tim. II. 25. & verbum *implevit* Act. V. 3. *Paulus* autem ex Jesaia *consequens* culpæ scil. pœnam justissimam, qua Deus pro *corde intelligente*, quod habere nolebant, illis dedit *Spiritum compunctionis*. CLERICUS *in Comm.* ad Pentateuch. verba Mosis *interrogative* accipit: *nonne* dedit vobis Deus &c. provocans ad Exod. VIII. 26. 1 Sam. XX. 9 ubi הֲלֹא pariter valeat *nonne?* sed ita non congruit, quod sequitur: usque *in hunc diem*, ut recte observat MICHAELIS *in Bibl. Hal. ad h. l.* B) Discrepantia inter Mosen & Paulum hæc est, quod *ille* habet לָכֶם *vobis*, *his* vero αὐτοῖς, *illis*, nec evitatur illa dicendo, quod Paulus heic *Jesaiam* alleget, cum & *hic* C. XXIX. habeat עֲלֵיכֶם, *super vos*. At levis est hæc differentia, & *contextus* apud Paulum illam requirebat; Moses enim populum Israelis *directe* alloquitur, Paulus autem, postquam sub finem v. 7. de incredulis Judæis jam in tertia persona locutus esset, non poterat non allegatum quoque ad eandem inflectere.

behalten. Sed si uterque locus, tum Mosis, tum Jesaiæ cum Paulino confertur, semper apparet, Apostolum, excepto τῷ πνεύματι κατανύξεως, Mosen plane, nec Jesaiam, citasse, ut itaque etiam τὸ ἔδωκεν ex Mose sumsisse censendus sit. πνεῦμα κατανύξεως, de qua voce mox plura occurrent, tanquam phraseologia valde emphatica, hærere potuit in memoria Apostoli, etiamsi ad ipsum Jesaiæ locum excitandum animum heic minime adverteret.

§. VI.

§. VI.

2) Verba Pauli: πνεῦμα κατανύξεως, respondere hebraicis רוּחַ תַּרְדֵּמָה quæ Jesaias habet C. XXIX. 10. supra observavimus. Atque hic A) phrasis *hebraea* proprie notat *spiritum soporis*, quemadmodum & LUTHERUS vertit, *einen Geist des harten Schlafs*. a) תַּרְדֵּמָה est vox admodum emphatica; denotat enim *somnum gravem & profundum*, e quo difficulter quis excitatur, vid. Gen. II. 21. XV. 12. AQUILA proinde heic adhibet vocem καταφορὰ, quæ *veternum* seu lethargum notat, & THEODOTION vocabulum ἔκστασις, qua ὁι LXX. quoque pro תַּרְדֵּמָה utuntur cc. ll. Gen. II. 21. XV. 12. Ecquid autem b) est *spiritus* soporis? α) CASTALIO vertit: *animum*, quo sensu רוּחַ occurrit Esr. I. 1. Jesai. XIX. 3. at quam dura foret locutio: *effundam* in vos *animum &c.* *Inebriatio* certe, de qua v. 9. sermo est, fit per aliquid *extra animum*, per quod *animus* demum inebriatur. Rectius igitur β) ii calculos suos subducunt, qui *vel* intelligi putant *spiritum malum*, h. e. Satanam, reprobis a Deo immissum in pœnam, *vel* ipsum illum *affectum soporis spiritualis*, quem *Satanas* divino permissu in homine producit: solebant enim veteres omnes affectus vehementiores *spiritibus*, eos in animis hominum producentibus aut foventibus, adscribere: neque tamen Deus heic saltem *ex opinione vulgi* loquitur, sed *ex veritate rei*, quia revera *spiritus* aliquis malignus suberat indurationi & excœcationi Judæorum: conf. Jesai. XIX. 14. 2 Cor. IV. 4. 2 Thess. II. 9 -- 12. i) c) Quo sensu *Deus* hunc spiritum soporis super populum Judaicum *effudisse* dicatur, VITRINGA *in Comm.* ad h. l. solide ita docet: hi affectus dicuntur immitti a Deo, ut judice severo, non sane, ac si ab ipso, purissimo & sanctissimo ente, in animo hominis producerentur, sed, quod hominem, gratiæ ipsius diu multumque resistentem, plane deserens, relinquat potestati satanæ magis magisque indurandum & excœcandum. Hæc de phrasi *hebraea*.

i) Et explicatius & magis determinate hæc sine dubio enunciasset Vir beatus, si post recentiores his de argumentis obortas controversias scripsisset. Sed neque nostrum esse nos putamus, ad ista heic excurrere, præsertim cum alibi abunde id fecerimus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0029
DFG

§. VII.

Quæritur jam β) quomodo illi reſpondeat græca: πνεῦμα κατανύξεως; תַּרְדֵּמָה enim ſignificat *ſoporem*, uti & *Vulgatus* in Jeſaia reddidit; κατάνυξις autem *compunctionem*, qua & voce Interpres latinus in hoc Ep. ad Rom. loco uſus eſt. Videntur ergo οἱ LXX. & cum iis Paulus a ſenſu vocis hebrææ aberraſſe, id quod eruditis occaſionem dedit, varias conciliandi rationes excogitandi. Sunt a) qui nil intentatum relinquunt, ut vocem κατάνυξις eodem ſignificatu induant, quem hebræum תַּרְדֵּמָה habere inficiari nequeunt, ſcilicet ſignificatu *ſoporis*: fuere adeo α) qui putarent, LXX. forſan hanc vocem confinxiſſe, tamquam a νὺξ deductam, ad denotandum ſoporem altum, qualis denſiſſima *nocte* eſſe ſolet; ita PISCATOR *in Poli Synopſi* ad h. l. vel, quod LUD. CAPPELLUS maluit *in Crit. Angl. ad h. l.* LXX. verbo κατανύσσειν ideo forte hunc ſignificatum *ſopiendi* tribuiſſe, ϰ) quod videretur ipſis vox græca νὺξ deducta eſſe a νύσσειν, *nox* autem quieti & ſomno a natura dicata ſit; ב) quod νυϛάζειν, *dormitare*, eis videretur eſſe veluti frequentativum τοῦ νύσσω, & alterum ab altero deductum; ג) quod verbum νύσσειν ex arabiſmo habere putarent ſignificatum *ſopiendi*, uti ex chaldaiſmo ſignificatum *pungendi*. Sed fatemur, ſuperare fidem noſtram, quod LXX. in verſione, communi Judæorum helleniſtarum uſui deſtinata, *vel* vocabula nove confinxerint, *vel* etiam recepta pridem novo ac alio plane, quam uſus communis ferebat, ſenſu induerint. Quin ipſe etiam CAPPELLUS in præcedd. dixerat, Judæis, qui, inter Græcos verſantes, lingua græca, ſed impuriore, uſi ſint, νύσσειν idem ſignificaſſe, quod νυϛάζειν: cur ergo in ſeqq. Interpretibus alexandrinis tantum tribuit, quod antea generatim Judæis helleniſtis uſu receptum fuiſſe ſuſpicatus erat?

§. VIII.

β) Haud multo melior eſt GROTII conjectura, quando exiſtimat, κατάνυξιν *hoc loco* non eſſe a κατανύττειν, *pungere*, ſed a veteri καταγύω: ſimplex enim νύω (unde in latino manſerit *nuo*) poſtea demum mutatum eſſe in νεύω, a νύω vero derivatum eſſe νυϛάζω, quod ſit *nutare*, ut ſoleant non tantum dormientes ac ſenes, ſed etiam, quos invaſit *ſtupor*.

Certe

Certe longius hæc quæsita esse, ex eo liquet, quod contra genium linguæ græcæ κατάνυξις derivatur a verbo κατανύω; ab hoc enim, si quidem umquam exstitit, descendere quidem potuisset κατάνυσις, vel κατάνευσις, per aor. 1. κατένυσα, vel κατένευσα; non vero κατάνυξις.

§. IX.

Restat igitur b) ut concedamus quidem, κατάνυξιν, vi etymi sui, etiam hoc loco notare *compunctionem*; simul autem statuamus, LXX. vocem תַּרְדֵּמָה sic vertisse, quia *frequentem* compunctionem, quam forte præpositio κατὰ innuit, æque ac *somnum profundum*, seu, ut Poeta vocat, ferreum, sequi solet *stupor* aliquis h. e. obtusio sensuum, imo totalis ἀναισθησία. Facile etiam accidere potuit vocabulo κατάνυξις, quod innumeris aliis contigisse certum est, ut scilicet, cum ex origine sua grammatica primum significaret *compunctionem*, quo sensu verbum κατανύττω usurpatum legimus Act. II. 37. & a τοῖς LXX. Gen. XXXIV. 7. deinceps, per metonymiam effectus pro causa, translatum sit ad designandum *stuporem*, quacumque de causa ortum, sive ex compunctione, seu ex lethargo. Ac sane vocem κατάνυξις generali hoc sensu acceptam fuisse a τοῖς LXX. ad oculum patet ex eo, quod illam, ipsumque verbum κατανύσσω, *nunc* usurparunt pro hebraico יִתְעַצְּבוּ *acutissimo dolore compuncti seu discruciati sunt*, adeoque proprie ad designandam *compunctionem*, c. 1. Gen. XXXIV. 7. *nunc* pro hebraico הוּם *flere*, scilicet *ex stupore*, Lev. X. 3. Jesai. XLVII. 5. item de silentio ex *convictione*, seu *compunctione* cordis Psalm. IV. 5. *nunc* pro hebræo תַּרְעֵלָה Psalm. LX. 5. ubi vinum *horroris* seu *stuporis* dicitur, quod præ nimia animi consternatione cerebrique obnubilatione tremulos reddit potores ac vacillantes, ad omnia ineptos. Vid. GEIERUS *in Comm. ad h. l.* *nunc* denique pro hebræo תַּרְדֵּמָה, *de stupore ex somno*, ut hoc loco. Quis, quæso, crediderit, LXX. voces hebraicas tam diversæ potestatis una eademque voce græca reddituros fuisse, nisi hæc tale quid, in significatione sua generaliori, designaret, quod *istis* omnibus commune est, scilicet in genere *stuporem*?

§. X.

§. X.

Atque jam ex hactenus disputatis liquere arbitror, quo sensu Deus ab Jesaia dicatur Judæis *dedisse*, sive, ut Propheta loquitur, *super eos effudisse* spiritum soporis? Nimirum hoc vult propheta, & cum eo Paulus: Deum, ut justum judicem, satanæ potestatem concessisse, Judæos incredulos ita *quasi inebriandi*, (hanc enim metaphoram propheta adhibet *versu* immediate præcedente *nono*) & tamquam *ebrios* in tam *ferreum soporem* conjiciendi, ut nullas amplius *compunctiones* in conscientia sua sentiant, ac tam *insensati* sint, (qua voce *Vulgatus* utitur Gal. III. 1.) ac ii, quos nulla *compunctio* e *lethargo* suo excitare potest, ob *callum*, quem ex crebra compunctione sibi contraxerunt, quæ metaphora inest verbo ἐπωρώθησαν, quo Paulus immediate ante allegatum nostrum utitur v. 7.

§. XI.

Sequitur 3) in textu: ὀφθαλμὺς τῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τῦ μὴ ακύειν· quæ verba, prout jacent, nec Deut. XXIX. nec Jesai. VI. nec Jesai. XXIX. leguntur. Interea tamen, quamvis etiam *Jesaiae* loca *quoad rem* parallela sint, major in his *verborum* a textu Pauli discrepantia observatur, quam in loco Deuteronomii. *Jesai VI.* legimus: τοῖς ὠσὶν αὐτῶν βαρέως ἤκουσαν, καὶ τὺς ὀφθαλμὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ακύσωσι. & *Jesai. XXIX.* καὶ καμμύσει (scil. κύριος) τὺς ὀφθαλμὺς αὐτῶν. Atqui hæc minus consonant cum textu nostro, quam illa *Deut. XXIX.* ὐκ ἔδωκε κύριος ὑμῖν ὀφθαλμὺς τῦ βλέπειν, καὶ τὰ ὦτα ακύειν· quæ in nulla alia re a verbis Pauli discrepant, quam in *situ* particulæ ὐκ: apud *Mosen* hæc præmittitur verbo ἔδωκε, notatque, quid Deus *non dederit*, apud *Paulum* vero particula μὴ immediate jungitur verbis βλέπειν & ακύειν, ad significandum, quid *dederit* Deus, scilicet oculos quidem, sed tales, qui non videant, & aures quidem, sed tales, quæ non audiant; id quod Jesai. VI. sic exprimitur: *aures ejus aggrava, & oculos ejus illine, ne videat oculis suis, & auribus suis audiat*, quorum verborum explicatio, alibi a nobis data, scilicet ad Allegatum XVIII. Matth. XIII. 14. 15. etiam Pauli verba explicat; *Ebrius*, somno profundissimo sepultus, habet quidem oculos ac aures, sed quibus nec videat, nec audiat.

§. XII.

§. XII.

Superſunt 4) verba: ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας, quæ omnino ex *Deut. XXIX.* deſumpta ſunt, ubi *in fine commatis* quarti legitur: עַד הַיּוֹם הַזֶּה, pro quo LXX habent: ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. Sunt quidem A) quibus aliter videatur: a) SURENHUSIUS in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 499. agnoſcit quidem, hæc quoque verba *non eſſe Pauli*, neque ex Jeſ. VI. aut Jeſ XXIX. ſed *ex alio loco* petita, ad majorem probationis confirmationem; verum non video, ipſum deſignaſſe *hunc alium locum*, quod exſtet Deut. XXIX. *Alii* b) longius procedunt, & verba hæc nec *Jeſaiae*, quod nulla cum ſpecie dici poteſt, nec *Moſis*, ſed *Pauli*, atque hinc non amplius ad Allegatum referenda eſſe contendunt, hocque fine illa, *per trajectionem*, conſtruunt cum verbo ἐπωρώθησαν v. 7. ut ultima commatis 7. cum fine comm. 8. ſic cohæreant: *reliqui vero indurati ſunt usque in hodiernum diem*, qua ratione *Allegatum* comm. 8. parentheſi includendum foret. Eousque invaluit hæc opinio, ut nonnullæ N. T. Editiones hæc verba per parentheſeos ſignum ab Allegato ſeparata exhibeant, BEZÆ v. g. LEVSDENII, MILLII, &c. Conſentit etiam GROTIUS, PISCATOR, PARAEUS, VORSTIUS, ER. SCHMIDIUS, ESTIUS, HAMMONDUS *in Paraphraſi*, WOLFIUS *in Cur.* aliique. Sed putaverim, præter neceſſitatem heic fingi trajectionem, eamque tam duram, cum hæc ipſa fere verba occurrant Deut. XXIX. cujus loci parallelismum ſupra evicimus. Sint itaque verba *Moſis*, quæ in *Pauli* quoque tempora quadraſſe, tam ex h. l. quam ex 2 Cor. III. 14. 15. abunde patet: Quemadmodum Moſes ſuo tempore populo Iſrael exprobrare potuit perſeverantem & invincibilem ejus incredulitatem, etiam ſub continuis miraculis; ita & Paulus Judæis ſui temporis, & eo majori quidem jure, quo illuſtrior & liberalior erat gratia N. T.

§. XIII.

Collationi textus græci cum textibus hebræis ſuccedant nunc III) Vindiciæ *Applicationis*, ab Apoſtolo factæ. 1) Quoad locum *Jeſai. VI.* cujus parallelismum *realem* ſupra jam §. IV. agnovimus, & quem Paulus omnino ſimul reſpexiſſe cenſendus eſt, quoniam is, uti mox invicte demonſtrabitur, ſimul *prophetice* loquitur de induratione Judæo-

rum, non saltem *historice*, quemadmodum Moses; quoad hunc, inquam, locum certum est, Jesaiam ista, jussu divino, *sui jam temporis hominibus* dixisse, in iisque vaticinii sui implementum quoddam vidisse; docent hoc verba: *Vade, & dic populo huic*, docet etiam allegatio Pauli Act. XXVIII. 25. ubi diserte πρὸς τὲς πατέρας Spiritum S. ita per Jesaiam dixisse affirmat. Num vero hinc sequitur: Ergo male ista in N. T. ad *suos auditores*, h. e. Judæos suæ ætatis, applicarunt Christus & Apostoli? Non putem: Unum idemque dictum tempore *Jesaiae* & *deinceps*, ac *plane* tempore *Messiae* impletum fuit.

§. XIV.

Certe non per meram accommodationem verba Jesaiæ a Christo & Paulo applicari ad Judæos sui temporis, ob similitudinem aliquam populi Jesaiæ coævi, & populi tempore Christi, quo GROTII interpretatio tendit; sed plane ad mentem Spiritus S. vaticinium hoc per Jesaiam edentis *cum prospectu ad tempora Messiae*, probari potest α) e phrasi: ἀναπληρῶται ἐπ' αὐτοῖς, qua Christus apud *Matthaeum* C. XIII. 14. utitur; heic enim non modo τὸ ἀναπληρῶται, loco consueti alias verbi simplicis πληρῶσθαι, adhibitum, *continuatam* quandam & *repetitam* impletionem innuit; κ) sed etiam aperte dicitur, ἐπ' αὐτοῖς, h. e. *in auditoribus Christi*, impletum fuisse dictum illud.

§. XV.

κ) Reprehendit in nobis hanc ipsam observationem *S. R. D. D.* ERNESTI *in der Neuesten Theol. Bibl.* P. III. p. 496. cum illam in *Commentatione Praliminari* P. I. *Dem. Evang.* p. LVII. nostram feciſſemus. Negat Vir eruditissimus, ἀναπληρῶν plus significare quam πληρῶν, & alia quædam verba affert, in quibus hæc *compositio* ne tantillum immutet significationem *simplicis*. Concedamus allata exempla; neque enim quisquam Grammaticus edixit, ἀνὰ in compositione *semper* & *ubivis* iterationem inferre: verum & hoc nemo alius dixit, *nunquam* hunc sensum compositis ex ἀνὰ indui. De ἀναζάω, ἀναβιόω & multis aliis negare id velle, effet hypothesi inservire. Quid inde? hoc, quod compositio *sola* nihil probet, sed materia substrata audienda sit. Jam, si idem oraculum propheticum *semel atque iterum* ad casus similes applicetur, jure quæritur, annon & hic implementi *iteratio* ista compositione significari possit? Certe *hoc in casu* dubio marte pugnabitur. Liceat vero porro quærere: cur, forma simplice πληρῶσθαι toties in N. T. de impletis vaticiniis occurrente, *hoc uno loco* Matth. XIII. 14. ubi *iterum* implebatur dictum prophetæ, positum sit ἀναπληρῶται?

§. XV.

β) Idem recte colligitur e verbis *Johannis Evangeliſtae* C. XII. 41. ubi, poſtquam hunc ipſum Jeſaiæ locum citaſſet, conſiderate ſubjungit: ταῦτα εἶπεν Ἡσαΐας, ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ. Manifeſtum eſt, *idem* ubique in toto orationis contextu *ſubjectum* eſſe, ad quod *relativum* αὐτοῦ pertineat, inde a v. 36. ubi *Jeſu* expreſſa fit mentio: *Hunc* indubie reſpicit τὸ αὐτοῦ & τὸ εἰς αὐτὸν v. 37. *cum tot ſigna coram iis edidiſſet Jeſus, non credebant tamen* εἰς αὐτὸν, *in Eum*; quod ne cui paradoxum videatur, demonſtrat Evangeliſta *binis* Jeſaiæ teſtimoniis, illud jam in V. T. prædictum fuiſſe, altero quidem ex *Jeſai LIII. 1.* altero ex *Jeſai. VI. 10.* Jam vero prævidens *Johannes*, fieri poſſe, ut contra *poſterius teſtimonium* aliqui exciperent, non ſpectare illud *ad praeſens tempus Meſſiae*, atque *ad Judaeos hujus aetatis*, adeoque fruſtra huc pertrahi; prævertit exceptionem & ſimul ſubvertit, lectorem monens, teſtimonium hoc omnino facere ad rem præſentem, recteque a ſe adduci, quoniam Jeſaias, cum hoc acciperet oraculum, *viderit Gloriam ejus*, i. e Chriſti, & *de ipſo* ibidem locutus ſit: Quæ cum dixiſſet, in eodem contextu v. 42. addit: *veruntamen etiam ex primoribus multi credebant in eum.* Incaſſum itaque *Sociniani* relativum αὐτοῦ v. 41. ad *Dominum* iſtum referunt, de quo v. 38. ſermo eſt, ubi vox κυρίου citra controverſiam *Deum Patrem* indigitat. Tota enim ſeries orationis huic conſtructioni refragatur. At, inquis, *codex* aliquis & verſio *coptica* pro αὐτοῦ habent θεοῦ ℞. hanc lectionem nullam mereri attentionem, cum omnes reliqui Codices ac Verſiones reclament: Unde ARTEMONIUS (*Sam. Crellius*) non debebat eam tam cupide amplecti in *Init. Ev. Joh. reſtituto P. I. C. 45. p. 254.*

§. XVI.

γ) In ipſo quoque contextu Jeſaiæ, & quidem v. 11 - 13. deprehendimus, quod aſſertum noſtrum confirmat; Propheta, fulmine hujus ſententiæ cœleſtis v. 9. 10. perculſus, non obloquitur Domino, ſed agnoſcit æquitatem ejus & juſtitiam, imo, cum ſe ad officium ultro obtuliſſet v. 8. non detrectat obſequium; commiſeratione tamen populi, cui feralis hæc ſententia denuncianda erat, ductus, ſubmiſſe & reverenter interloquitur, pauculis hisce verbis: *usque quo Domine?* & reſpon-

spondet Dominus: *usque ad plenarium Reipublicae excidium*, hoc enim v. 11. s. innui, vix dubitare licet. Qua igitur, quæsumus, specie negari potest, oraculum hoc ad tempora N. T. pertinere?

§. XVII.

2) *Alterum* locum, Jesai. XXIX. qui Apostolo suppeditavit phrasin *de spiritu soporis*, itidem directe tempus N. T. respicere, a) testem habemus omni exceptione majorem, Christum, quando Matth. XV. 7-9. *Jesaiam* hujus ipsius Capitis versu 13. *de hypocritis* sui temporis *prophetasse* ait. CLERICUS quidem Jesaiam hisce verbis „*nil praedicere*, sed castigare tantum hebræos sui temporis ait, Christum vero ita loqui existimat, quia Jesaias, veteres Judæos describens, eadem opera indolem ultimorum nepotum graphice expresserit; quare το προφητευειν hic non debeat urgeri, nec alia verborum Christi sententia sit, præter hanc: Ea dixit de majoribus vestris Propheta Jesaias, quæ in vos aptissime quadrant, ut, si reipsa vos respexisset, aliter loqui non potuisset. „ Sed quid est, ἀποδείξει Novi Testamenti e Veteri omnes nervos incidere, si hoc non est? & quæ nos cogit necessitas, ut, propriam τὸ προφητεύειν significationem h. l. deserentes, figuratam præferamus? Certe & *pœna*, v. 14. apud Jesaiam descripta, 1 Cor. I. 19. diserte a Paulo applicatur ad tempora N. T.

§. XVIII.

b) Si curatius & animo non præoccupato inquiramus, *quo scopo* Apostolus hoc *Jesaiae* dictum, una cum sequente, quod *Davidis* est e Ps. LXIX. 23. 24. alleget, facile deprehendemus, eo plane consilio hæc dicta ab ipso excitata esse, ut probaret, se, cum maximam gentis suæ partem *induratam* dicat, quia Evangelium non recipiat, nil aliud dicere, *nisi quod Prophetae jam dixerint*, prospicientes in tempora N. T. Rigidam certe probationem, non qualemcunque illustrationem per phrases propheticas, revera aliud quid pro objecto habentes, postulabat thesis sub finem comm. 7. οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν, quæ sane non poterat non Judæis summopere exosa esse. At vero talis non esset probatio apostoli; si Jesaias & Davides de sui tantum temporis hominibus, aut,

aut, si de aliis post illos exstituris, non tamen de Iudæis Christi & Apostolorum ætate victuris, loquerentur. Recte prorsus *Cel.* VITRINGA *in Comment. ad h. l. Absit*, inquit, *ut Prophetam intra hunc angustum circulum constringamus, ac persuadeamus nobis, illum de errore judicii profanorum quorundam Procerum* Iudaicorum *circa expeditionem Sennacheribi* (uti GROTIUS vult) *tam alte clamare, ut in describenda illius spiritualis cæcitatis vi omnem veluti orationis suae copiam exhauriat; conspectus vatis nostri multo fuit latior & augustior; solent enim Prophetae praecipue respicere judiciorum divinorum complementa, ubi conspiciuntur in summo suo gradu; vidit ergo Esaias h. l. & praevidit, ac continuo in oculis habuit, Doctores & Proceres Judaeae gentis, cum plebe iis obnoxia, circa extrema reipublicae, - - - aliquando commissuros esse errorem gravissimum circa personam Christi Jesu, & Regnum ab eo in orbe fundandum, - - eumque errorem populo & proceribus ejus fore exitialem, pœnitendum ac lugendum in longa tempora.*

§. XIX.

Quod 3tium *locum* concernit, *Deut. XXIX.* omnino quidem fatendum est, *Mosen* in eo exprobrare populo Israel ingentem illum *stuporem*, qui ipsum inde ab exitu ex Ægypto usque in hodiernum diem occupatum tenuerit, ita ut hactenus absque fructu tot Dei miracula viderit, ejusque legem audiverit, adeoque *nullam* hic *prophetiam* haberi de obdurationc & excœcatione Iudæorum *tempore N. T.* Quoniam tamen hæc querela Mosis præluſit querelæ Prophetarum, Christi ipsius, & Apostolorum, nec horum temporibus demum Israel cœpit cœcitatem suam & cordis duritiem prodere, sed eadem, Mosis jam ætate, varia Dei judicia in se provocavit, scite prorsum Apostolus verba Mosis ad scopum suum attemperavit, ita tamen, ut illis quædam *ex Jesaia*, quem directe tempora N. T. respicere noverat, intexeret, sicque haud obscure significaret, Mosen ipsi plurima *verba*, & *rem generatim spectatam*, Iesaiam vero partim *verba nonnulla*, partim *rem* cum speciali *applicatione* ad Iudæos *tempore N. T.* suppeditasse. Hac certe ratione Iudæis suæ ætatis revocare simul in memoriam poterat pristina contumaciæ ipsorum specimina, qua olim jam *Mosi*, ac deinceps reliquorum *Prophetarum*, patientiam exercuerint, uti postea *Christi*, & nunc *Apostolorum* ejus.

XCI. ALLEGATVM.

ROM. XI. 9. 10.

Καὶ Δαυὶδ λέγει· Γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς θήραν, καὶ εἰς σκάνδαλον καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς· σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τὸ μὴ βλέπειν, καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διαπαντὸς σύγκαμψον.

PSALM. LXIX. 23. 24.

יְהִי־שֻׁלְחָנָם לִפְנֵיהֶם לְפָח וְלִשְׁלוֹמִים לְמוֹקֵשׁ׃ תֶּחְשַׁכְנָה עֵינֵיהֶם מֵרְאוֹת וּמָתְנֵיהֶם תָּמִיד הַמְעַד׃

VERSIO LXX.

Γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν ἐνώπιον αὐτῶν εἰς παγίδα, καὶ εἰς ανταπόδοσιν, καὶ εἰς σκάνδαλον· σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τὸ μὴ βλέπειν, καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διαπαντὸς σύγκαμψον.

§. I.

In *Collatione* textus græci cum hebræo occurrit, 1) verbum יְהִי per γενηθήτω redditum; in Pſalmo יְהִי proprie eſt futurum, notans, *erit*, quæ prædictio tamen ſimul involvit *ſanctam approbationem* judicii divini, a Meſſia ut propheta prævifi, ut יְהִי ſimul valeat *fit!* apud Paulum vero & LXX. hoc poſterius maxime exprimitur, per aor. 1. paſſ. imperativi, γενηθήτω *ſit*, vel *fiat*. 2) שֻׁלְחָנָם propriiſſime vertitur ἡ τράπεζα αὐτῶν, *menſa eorum*. Qu. autem, quid per *menſam* intelligendum ſit? Sunt A) qui non intelligant menſam a Judæis *ſibimetipſis paratam*, ſed eam, quam *Chriſto* pararunt, ſecundum v. præc. 22. ut ſenſus ſit: Menſa illa *fellis & aceti*, quam mihi pararunt, ſit eis in *laqueum*. Ita poſt *Int. Chaldaeum* TIRINUS, MUISIUS &c. Sed absque dubio B) magis obvium eſt,

est, cogitare hic de *mensa Judaeorum propria*, nec quidquam cogit, sensum, qui legenti sub primum quasi obtutum se offert, deserere. Rursum vero in partes hic abeunt Interpretes.

§. II.

Sunt a) qui per *mensam* metonymice designari putant *mensae participes*, ut GROTIUS ad Rom. XI. & SURENHUSIUS B. K. p. 501. init. quorum ille c. l. haec annotat: *Loquitur David de iisdem, de quibus Psalm. XLI. 10. qui cum adeo familiares ipsi fuissent, ut quotidie conviviis ipsius interessent, ipsum apud Saulem fœde calumniati erant, perniciemque ei struxerant. Eis ex spiritu legis optat paria, ut scil. amicis & convivae eorum eos decipiant.* Si autem quæras, quomodo Paulus haec ad Judæos sui temporis applicare potuerit? respondet: *Mystico sensu mensa potest intelligi altare, Mal. I. 7. & per altare συνεκδοχικῶς templum, quo incenso multi Judaei partim flammis interiere, partim capti sunt.* Sed praeter id, quod hac ratione Allegatio Apostoli in *meram accommodationem* convertitur, dura nimis est tam *metonymia*, quam *synecdoche* illa *Grotiana*, ut taceam, hac illam plane destrui, qui enim mensa literaliter notare potest *convivas*, & simul mystice: *templum hierosolymitanum?*

§. III.

Alii proinde b) per mensam literaliter denotari existimant *altare holocaustorum* in templo Hieros. quod erat centrum quasi cultus levitici, & mensa dicitur, non modo c. l. Mal. I. 7. 12. sed etiam Ezech. XLIV. 16. Hoc autem Judæis *in laqueum fuisse* dicunt, vel α) quatenus sacrificiis leviticis, quæ vero usu remoto mera sunt abominatio, tanquam rebus per se salutaribus pertinacissime adhæserunt; sacrificio Christi, cujus illa typus erant, proterve repudiato. Ita COCCEJUS, in *Polo ad Psalm. LXIX.* vel β) quatenus iidem in bellis suis adversus Romanos zelum præ se ferebant, altare & templum suum, a profanatione gentilium vindicandi, sicque ultimum tandem exilium sibi accersebant. Ita SAL. VAN TIL, & NIC. GURTLERUS. Ne vero objici possit, altare fuisse & cc. ll. dici mensam non Judæorum, sed Dei, hic autem de mensa Judæorum sermonem esse; monet COCCEJUS, altare, quod alias *Dei mensa* dicatur, respectu cultus levitici olim reprobandi, h. l. vocari *mensam*

ſam hominum, uti & templum, quod *Dei domus* alias audiat, Matth. XXIII. 38. a Chriſto per contemtum dicatur *domus Judaeorum.*

§. IV.

Rurſum alii c) reſpici arbitrantur *menſam paſchalem*, quam Judæi ipſo illo tempore parabant, cum necem Chriſti meditarentur: Deus autem quadraginta annis poſt in laqueum iis convertit, cum Romani tempore paſchatos urbem obſidione cingerent, quam ſententiam cum priore jungit RAMBACHIUS *in der Erkl. der Epiſt. an die Röm. p. 802.* *Alii* d) generatim innui volunt, Judæis *omnia* eorum *bona* ac *commoda*, quibus, jam tanquam *menſa* opipare inſtructa, carnaliter delectentur, in exitium convertenda eſſe: *Menſae* autem prophetam ideo meminiſſe ſuſpicantur, quia Judæi, hanc, ceu Dei ſui, h. e. ventris Phil. III. 19. aram omnium maxime curabant, innocenti vero & afflictiſſimo Meſſiæ vel tantillum juſti potus ſeu refectionis invidebant, felle ac aceto ipſi porrecto. Ita GEIERUS *ad h. l.* *Alii* denique e) nil aliud hic prædici exiſtimant, quam hoc: *dum cibum capiant ſecuri, eos capiendos fore:* propterea quod Meſſiæ menſam paraverint ex felle & aceto, v. 22. Ita BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.* Conferre hic poſſis de hominibus tempore diluvii Matth. XXIV. 38. 39. τρώγοντες καὶ πίνοντες -- οὐκ ἔγνωσαν, ἕως ἦλθεν ὁ κατακλυσμὸς, καὶ ἦρεν ἅπαντας· & de hominibus in fine mundi Luc. XXI. 34 35. ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ -- ὡς παγὶς -- Atque hæc ſententia, uti minimum habet artificii, ita omnium maxime ſua ſe nobis ſimplicitate commendat.

§. V.

3) לִפְנֵיהֶם LXX. reddiderunt ἐνώπιον αὐτῶν. Paulus autem plane omiſit; & abeſſe omnino poterat ſalva ſenſus ſubſtantia. Quamvis enim in hebræo hanc habeat emphaſin, ut notet, menſam ipſorum, dum vel maxime *oculorum* & *gulae* pabulum eis futura ſit, in laqueum ipſis converſum iri, hæc ipſa tamen emphaſis non pertinet ad ſubſtantiam ſenſus, ſed ad ideas acceſſorias. 4) לְפַח recte vertitur εἰς παγίδα, *in laqueum*, metaphora ab *avibus* ſeu *feris* ducta, quæ ineſcatæ illaqueantur. conf. GEIERUS *ad h. l.* 5) Sequitur in hebræo וְלִשְׁלוּמִים לְמוֹקֵשׁ, pro quibus duobus verbis in græco apud Paulum legimus: καὶ εἰς θήραν, καὶ εἰς

εἰσ σκάνδαλον, καὶ εἰσ ἀνταπόδομα αὐτοῖς: apud LXX. autem: καὶ εἰσ ἀνταπόδοσιν, καὶ εἰς σκάνδαλον. Diſpiciendum hic A) quorſum in textu hebr. referenda ſint græca: καὶ εἰσ θήραν? B) num וְלִשְׁלוֹמִים recte verſum ſit: καὶ εἰσ ἀνταπόδομα αὐτοῖς? C) Quid proprie notet לְמוֹקֵשׁ, redditum a Paulo & LXX. καὶ εἰσ σκάνδαλον? D) Cur Apoſtolus in verſione ſua וְלִשְׁלוֹמִים poſtpoſuerit τῷ לְמוֹקֵשׁ?

§. VI.

Ad A) quæſt. reſpondemus: Licet Apoſtolus hæc duo conjungat: καὶ εἰσ θήραν, καὶ εἰσ σκάνδαλον, adeoque videri poſſit utraque vox adhibita eſſe ad exprimendam unicam vocem לְמוֹקֵשׁ; εἰσ θήραν tamen non ad hanc, ſed ad præcedentem לְפָח, εἰσ παγίδα, referendum eſſe. *Illaqueatio* fit ad *capturam*, quod ergo eſt εἰσ παγίδα, eſt etiam εἰσ θήραν. Nil igitur addidit Paulus, niſi quod implicite jam inerat phraſi לְפָח. Quod B) interpretationem vocabuli וְלִשְׁלוֹמִים attinet, notamus a) eſſe, qui ex eo, quod LXX. & Paulus vocem hanc interpretati ſunt ἀνταπόδοσιν & ἀνταπόδομα, colligant, eos vel α) in Codicibus ſuis revera non habuiſſe שְׁלוֹמִים, ſed שְׁלֻמִים, *hoc* enim notare *retributiones*, Pſalm. XCI. 8. Jeſ. XXXIV. 8. Mich. VII. 3. Hoſ. IX. 7. non *illud*, ut quod proprie notet *perfectiones*, *paces*, *pacatos* ſeu *pacificos*. Ita PISCATOR, vel β) ad minimum Codice non punctato uſos pro שְׁלוֹמִים legiſſe שְׁלֻמִים; ita LUD. CAPPELLUS, ſed merito *alii* abhorrent a temeraria hac criſi 1), & b) lectionem שְׁלוֹמִים pro genuina habent; qui vero rurſum in determinando ejus ſignificatu diſſentiunt: α) *aliqui* inhærendum putant ordinariæ

1) Noſtro tempore non ita temerarium hoc plerisque videtur; neque tamen, qui textum ſacrum reverenter tractant, pro lubitu & præter neceſſitatem eo confugiunt. Videntur nobis hac in re duæ quæſtiones hodie confundi, quæ bene debebant diſtingui. Si quæritur, num *Criſis ſacra* iisdem regulis adſtricta ſit, quibus *profana*; nemo diſſentiet: una enim eademque logica utramque debet regere. Sed aliud eſt, num quis exiſtimare poſſit, idem ſibi in *textum ſacrum* licere, quod in *profanum*? Hoc qui affirmandum putat, is ſane divinum inter & humanum quid interſit, nondum ſerio cogitavit. Utinam omnes, quod de BENGELIO novimus, eo *unice* conſilio ad Criſin ſacram accederent, ne quid ſibi, ut verbi divini particula, obtrudatur, quod non eſt; neve, quod eſt, eripiatur.

nariæ vocis שָׁלוֹם significationi, qua *pacem*, seu *prosperitatem* notat, indeque pluralem שְׁלוֹמִים vertunt *paces*, *prosperitates*, ut vel א) sensus sit: *Paces seu prosperitates eorum fiant ipsis in rete*, quo pacto præfixum ל in לִשְׁלוֹמִים esset nota *nominativi*, idquod locis quibusdam Scripturæ S. probat DE DIEU *in Polo ad Psalm. LXIX.* vel ב) &, *quoad* paces, sint illæ ipsis in rete. Vid. GUSSETIUS *Lex. Ebr. p. 863.* WOLFIUS *in Cur. ad h. l.* vel ג) & *pro* pacibus, seu pace, qua in mensis seu conviviis suis jam fruuntur, seu, quam communis mensa conciliare inter homines solet, mensa ipsorum fiat ipsis in rete, s. scandalum, h. e. rixæ & discordiæ excitentur. *Alii* β) לִשְׁלוֹמִים vertunt *pacatis*, *tranquillis*, quo sensu vox hæc occurrit Psalm. LV. 21. nec uspiam alias in V. T. ut adeo & h. l. ita videatur accipienda esse. Atque sic sensus hic foret: *Pacatis*, *tranquillis & pace fruentibus*, i. e. cum securissimi sunt, fiat ipsis mensa eorum in rete, seu scandalum. Vid. inter alios GEIERVS *ad h. l.* *Alii* γ) per שְׁלוֹמִים intelligunt *sacrificia pacifica*, שְׁלָמִים alias dicta, a שֶׁלֶם, *sacrificium eucharisticum* seu *pacificum*, Exod. XX. 24. XXIV. 5. Amos. V. 22. Unde COCCEJVS, quem supra monuimus per mensam *altare* intelligere, & *metonymice sacrificia*, hunc verborum sensum facit: *Mensa eorum*, h. e. *altare cum sacrificiis*, *fiat in laqueum*, וְלִשְׁלוֹמִים *& usque ad pacificatoria*, *in decipulam seu scandalum.* *Alii* δ) per hactenus datas expositiones vadimonium fine causa deseri, & interpretationem vocis לִשְׁלוֹמִים per *retributiones*, omni modo tuendam esse existimant, ut sensus sit: *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, & (*in retributiones*, aut si mavis *pro* retributionibus, *seu jure talionis*) *in scandalum.* Conf. BVRKII *Gnomon ad h. l. Psalmi*, & BENGELIVS *ad vocem* ἀνταπόδομα· secundum quos וְלִשְׁלוֹמִים, parenthesi inclusum, justitiam pœnæ hic prædictæ declarat. Quia scil. Judæi mensam fellis & aceti pararunt Messiæ, jure talionis mensa eorum ipsis facta est in laqueum & scandalum.

§. VII.

Expendamus א) num vox hebraica שְׁלוֹמִים admittat hanc significatum *retributionis*? ב) An LXX. & Paulus *pluralem* recte interpretati sint per singularem ἀνταπόδοσις & ἀνταπόδομα? ג) Annon structuræ sermonis alia ratione consuli possit, quam per parenthesin? Quoad א) negari

gari omnino nequit, שָׁלוֹם in *singulari* semper notare, *pacem*, *prosperitatem*, & *pluralem* שְׁלוֹמִים, qui præter hunc locum nostrum nonnisi Psalm. LV. 21. & Jer. XIII. 19. occurrit, *ibi notare pacificos* seu *pacatos*; *hic* vero vel iterum *pacatos*, ut BUXTORFIUS vult; vel *perfecte*, in *universum*; ut LVTHERVS reddidit. Neque tamen exinde sequitur, LXX. & Paulum, vel non legisse שְׁלוֹמִים, sed שְׁלוֹמוֹ, vel שְׁלוֹמִים male vertisse per *retributiones*: Licet enim hic significatus τῆ שְׁלוֹמִים nullo V. T. exemplo probari possit, temere tamen inde quis argueret, vocem hanc ab hebræis nunquam hoc sensu adhibitam fuisse, cum frustra in V. T. quærantur *omnes* omnium vocum hebraicarum *significatus*. Recte potius κατ' ἀναλογίαν sic concludimus: Quemadmodum verbum שָׁלַם, quod thema est vocis nostræ controversæ, πολύσημον est, nunc significans, *compleri & perfici*, nunc *pacem habere & colere*, nunc *pace frui*, nunc *pacem precari*, seu *salutare*; nunc autem in Pihel, *retribuere*, compensare seu bonum seu malum, Lev. VI. 5. Psalm. LXV 2. Jer. XXXII. 18. quemadmodum porro derivatum שָׁלֵם non modo notat *integrum*, *perfectum*, sed etiam pluralis שְׁלֵמִים *pacificos*; quemadmodum denique ipsa vox שָׁלוֹם, in sing. designat *pacem*, *prosperitatem*, in plur. vero, שְׁלוֹמִים, non *paces*, quo sensu nusquam occurrit, sed *pacificos*: Ita haud absurde creditur, hunc ipsum pluralem, שְׁלוֹמִים, etiam in significatu *retributionum* apud veteres hebræos in usu fuisse, æque ac cognatas voces שְׁלֵם, שֶׁלֶם, שָׁלוֹם & שַׁלְמוֹנִים quæ in V. T. passim hoc sensu adhibentur. LXX. certe, *Syrus*, *Arabs*, *Aethiops*, & *Vulgatus* τὸ שְׁלוֹמִים (aliter enim legisse probari nequit) sic verterunt.

§. VIII.

Quoad ב) quæstionem non est, quod male nos habeat interpretatio *pluralis* שְׁלוֹמִים per *sing.* ἀνταπόδοσις & ἀνταπόδομα cum & *singularis* intelligi possit de retributione *multiplici*, quam pluralis hebraicus indigitat. Quoad ג) haud quidem desunt, qui *vel* לִשְׁלוֹמִים æque cum verbo יְהִי construant, ac לְפָח & לְמוֹקֵשׁ, hoc sensu: mensa eorum fiat coram ipsis in *laqueum*, in *retributionem*, & *in rete*, vel verba: לְמוֹקֵשׁ וְלִשְׁלוֹמִים peculiarem sententiam absolvere statuant, quæ hæc sit: *& rete sit ipsorum retributio*. Sed neutrum potest admitti: non *illud*, quia sic præfixum *vav*

incommode voci mediæ adjectum fuisset; aut enim per *polysyndeton* dictum fuisset: in laqueum, & in retributionem & in rete, aut per *asyndeton*, in laqueum, in retributionem, in rete seu scandalum; non vero, in laqueum, & in retributionem, in rete. Neque etiam *hoc*, quia, licet præfixum ל quandoque sit nota nominativi, v. g. Jes. XXXIII. 1. hic tamen *ter* illud sic accipere durum foret. Præstat igitur cum LXX. & Paulo vertere per præpos. εἰσ. Ita autem si vertas, לִשְׁלוֹמִים ut in *parenthesi* positum consideres necesse est, ut sensus sit: *mensa eorum fiat in laqueum*, &, (*jure talionis*) *in scandalum.*

§. IX.

Et jam c) quæritur: quid proprie significet לְמוֹקֵשׁ? Resp. vox מוֹקֵשׁ, a יָקַשׁ, *laqueum tetendit*, proprie quidem notare videtur *laqueum aucupis*: nam יוֹקֵשׁ, יָקוּשׁ & קוּשׁ *aucupem* denotant, Ps. CXXIV. 7. Hos. IX. 8. Prov. 6. 5. Jer. V. 26. Quia vero sæpe פַּח, quod pariter *laqueum aucupis* designat, Ps. CXXIV. 7. & מוֹקֵשׁ junguntur, e. g. *h. l.* & Jos. XXIII. 13. לְפַח וּלְמוֹקֵשׁ, LXX scite פַּח παγίδα & מוֹקֵשׁ σκάνδαλον reddiderunt. Conf. Judic. II. 3. cum & *scandalum*, proprie sic dictum, sit instrumentum *capturae* cum insectatione conjunctum. Vid. BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.* m) Supereſt d) & ultima quæstio: cur Apostolus in Versione sua וְלִשְׁלוֹמִים postposuerit τῷ לְמוֹקֵשׁ? Resp. Absque dubio ideo id factum esse, quia לְמוֹקֵשׁ pertinet ad prædictionem pœnæ, & arcte cohæret cum לְפַח, εἰσ παγίδα καὶ εἰσ θήραν; לִשְׁלוֹמִים vero justitiam hujus pœnæ indicat, quod scilicet in *jure talionis* fundata sit, non in absoluto quodam decreto. Quod ergo vates divinus & cum eo LXX. ipsi pœnæ descriptioni parenthetice inseruerant, id Paulus eidem apte subjungit, hoc sensu: *Mensa eorum fiat coram ipsis in laqueum & capturam & scandalum*, & (hæc omnia ipsis eveniant) *in retributionem.* Tantum ad v. 23. Psalmi, & v. 9. apud Paulum.

§. X.

y) Σκάνδαλον dicunt Grammatici quidam esse lignum incurvum, quo tendicula seu decipula sustinetur, & in quod impingens animal, ipsam tendiculam seu decipulam super se subita ruina prosternit. *Scapula.*

§. X.

Jam sequitur in isto versus 24. & apud hunc versus 10. e quibus nunc expendenda sunt 6) verba: תָּחְשַׁכְנָה עֵינֵיהֶם מֵרְאוֹת, quæ Paulus cum LXX. reddidit: Σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν. A) σκοτισθήτωσαν, *obtenebrentur*, iterum *imperative* exprimit hebræum תָּחְשַׁכְנָה, quod proprie est *futurum*, *obtenebrabuntur*, uti antea futurum יְהִי per γενηθήτω redditum fuit. Nimirum & hic Messias *suffragatur* judicio Patris in Judæos incredulos. B) עֵינֵיהֶם, ὀφθαλμοὶ αὐτῶν, non accipiendum de *oculis corporis*, quo GROTII tendit interpretatio, quando hic annotat: *Solet hoc dici de gravibus miseriis, ut videre est Thren. V. 17. Hebetes facti sunt oculi nostri*, scilicet *lacrumis*; sed de *oculis mentis*, de quibus & in præc. Allegato v. 8. sermo erat; sensus est: priventur lumine intellectus tum *naturali* tum *spirituali*, quorum *illo* hactenus tam turpiter abusi sunt, *hoc* autem plane non admiserunt; obbrutescant justo tuo judicio, sicque ruant de plaga in plagam, de fovea in foveam. Ac sane utrumque impletum fuit in Judæis: Caligarunt non modo in *spiritualibus* media in luce Evangelii, Joh XII. 39 40 Act. XXVIII. 26. 27. 2 Cor. III. 14. 15. IV. 4. sed etiam in rebus *politicis*, ut JOSEPHUS notat, quod scilicet furiosorum more in exitium ruerint. C) מֵרְאוֹת recte versum est: τοῦ μὴ βλέπειν: nam præfixum *mem* inclusam habet negationem. Sensus est: *ut ne videant*, mala scilicet imminentia, & modum illa effugiendi. Luc. XIX. 41.

§. XI.

Supersunt 7) postrema oraculi verba: וּמָתְנֵיהֶם תָּמִיד הַמְעַד, quæ Paulus pariter, ut præcedentia, eodem, quo LXX. modo reddidit: καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διαπαντὸς σύγκαμψον. A) Vox מָתְנַיִם proprie designat *lumbos*, Jes. XI. 5. Jer. XIII. 11. cui respondet græca αἱ ὀσφύες· qua & LXX. illam reddiderunt cc. ll. cur ergo h. l. LXX. & Paulus vertunt νῶτον, *dorsum*? Recte respondet GROTIUS, ob vicinitatem solere id nomen etiam pro *dorso* poni, ut Psalm. LXVI. 11 unde & LUTHERUS Deut. XXXIII. 11. מָתְנַיִם vertit: *den Ruken*, & LUD. DE DIEU observat, ARISTOTELEM *L. I. de Hist. anim.* tres facere partes τοῦ νώτου, *scapulas*, *spinam*, & *lumbos*, ut adeo dorsum etiam *lumbos* comprehendat. B) Imperati-

vus Hiphil, הַמְעַר, proprie significat, *fac ut nutent seu vacillent.* Sed Paulus cum LXX. pro illo habet: σύγκαμψον, *incurva*, sensu eodem: nam *dorsi incurvatio lumborum infirmitatem* arguit. Hinc AQUILA verbum מְעַר h. l. vertit per ἀτονεῖν, quod defectum *toni* in dorso & lumbis indicat; & LXX. idem verbum Psalm. XXVI. 1. interpretantur ἀσθενεῖν, *infirmum esse.* Jam & heic quidem GROTIUS nonnisi de *corporali* pœna cogitat, scilicet *servitute*, quam Judæi subire coacti fuerint tempore excidii hierosolymitani per Titum: nec diffitemur, valde sic congruere, metaphoram *dorsi incurvati*, sub onere scilicet & jugo. Conf Lev. XXVI. 13. Deut XXVIII. 48. Ast malim ego metaphoram repetere ab ea dorsi & lumborum infirmitate, quæ ab interno harum partium vitio provenit: hæc enim aptior est ad designandam illam pœnam spiritualem, de qua inde a v. 7. C. XI. ad Rom. sermo est. Scilicet hoc vult Messias: fac, ut tanquam *cæci* & *claudi* ipsimet ruant in perniciem suam, ruentes de peccato in peccatum, ut nunquam veniant ad justitiam Dei, velut id exprimitur Psalmi v. 28. Atque hinc etiam h. l. additur תָּמִיד, jugiter; *ad diuturnitatem* hujus miseriæ indicandam.

§. XII.

Altera nostræ tractationis parte, quæ *Vindicias applicationis* complecti debebat, hoc in loco egregie supersedere possumus, cum jam ad tria alia Allegata scil. XXXV. Joh. II. 17. XLIV. Joh. XV. 25 & XLVIII. Act. I. 20. multis argumentis demonstratum sit, Psalmum LXIX. *litteraliter* agere de Christo, quæ repetere nolumus. Consentit *b.* ZACHARIÆ *in der paraphr. Erkl. dieses Br. p. 77. Eben deßhalb trift bey ihnen auch das schrekliche Unglük und die traurige Folge ihrer eigenen Verblendung ein, so David längst den boßhaften-Feinden Christi vorhergesaget, wann er in einem seiner Psalme Christum also reden läßet: denen, welche mich haßen, und mit bittern Kräutern und Essich speissen und tränken, müsse es wieder an ihren Speisen und Getränken vergolten werden.*

XCII. AL-

XCII. ALLEGATVM. n)

ROM. XI. 26. 27.

Καθὼς γέγραπται· Ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος, καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ· καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη, ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.

JES. LIX. 20. 21.

וּבָא לְצִיּוֹן גּוֹאֵל וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע בְּיַעֲקֹב נְאֻם יְהוָה׃ וַאֲנִי זֹאת בְּרִיתִי אוֹתָם אָמַר יְהוָה׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἥξει ἕνεκεν Σιὼν ὁ ῥυόμενος, καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ, εἶπε Κύριος. Καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη, εἶπε Κύριος.

JES. XXVII. 9.

לָכֵן בְּזֹאת יְכֻפַּר עֲוֹן־יַעֲקֹב וְזֶה כָּל־פְּרִי הָסִר חַטָּאתוֹ׃

VERSIO LXX.

Διὰ τοῦτο ἀφαιρεθήσεται ἡ ἀνομία Ἰακώβ, καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ εὐλογία αὐτοῦ, ὅταν ἀφέλωμαι αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν.

§. I.

Provocat ad hæc Prophetæ verba Apostolus, postquam v. 25. & initio v. 26. dixisset: πώρωσιν (qua ipsa voce aperte respicit ad assertum sub

n) Fuit hoc Allegatum pars altera *Dissertationis*, quam supra ad *Allegatum* XC. uot. r) indicavimus.

ſub fin. v. 7 οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν, cui v. 8. ſubjunxerat *Allegatum* ex Deut. XXIX. 4. & Jeſ. XXIX. 10.) ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γεγονέναι; *obdurationem ex parte Iſraeli obigiſſe, usque dum plenitudo gentium ingreſſa fuerit, atque ſic totus Iſraël ſalvus fiat.* Cum vero *collatio* textus græci cum hoc textu hebræo manifeſte doceat, in iſto *ex Sione* venturum dici, qui in hoc *Sioni* venturus dicitur; atque etiam ultima *Allegati* verba in textu hebræo prorſus non exſtare, adeoque alibi in V. T. quærenda eſſe: vix dubio locus ſupereſt, Apoſtolum oraculo principali ex Jeſ. LIX. citato quædam ex aliis V. T. locis inſeruiſſe; nosque adeo iterum heic habere Allegatum ex pluribus contextum, id quod quanta cum ſapientia & ſenſus fœcunditate factum ſit, mox diluceſcet.

§. II.

Inſtituimus iterum I. *Collationem* utriusque Textus. 1) וּבָא *Et veniet*, emphatice Paulus poſt LXX. reddidit ἥξει, *aderit*, ſubito quaſi & inexſpectatus, ſaltim a maxima hominum parte, in ſenſu ſano, *tanquam Deus ex machina.* Conf. quæ BENGELIUS ad verbum ἥξω annotat Apoc. II. 25. 2) לְצִיּוֹן *Sioni*, quod *Dativus commodi* eſt, LXX. quoad ſenſum recte interpretati ſunt: ἕνεκεν Σιών, *propter Sionem*, ſeu *in gratiam Sionis*, & *bono Sionis.* Quæritur ergo: quo jure Paulus ſcripſerit: ἐκ Σιών; A) BEZA conjectat, ex ἕνεκα forſan librariorum culpa factum eſſe ἐκ; ſed nullum heic variæ lectionis veſtigium obſervare potuerunt Critici. *Alii* propterea B) in ſubſidium vocant diverſam ſignificationem præfixi ל, quod nunc ſit nota *Dativi* (& quidem frequentiſſime, licet alias *aliorum* quoque *caſuum* nota ſit, vid. GLASSII *Phil. S. p. 1182.* ſ.) nunc autem variarum *præpoſitionum* vicem ſuſtineat, interque illas etiam præpoſitionis *de* vel *ex.* Conf. GLASSIUS *p. 1180.* quo ſenſu τὸ ל hic accepiſſe Paulum ſtatuunt TOLETUS *in Polo*, & SURENHUSIUS *B. K. p. 504.* qui & pro iſto allegat loca Neh. III. 15. 1 Chron. XII. 22. Prov. XIV. 20. Hiob XI. 16. Sed non placet hoc VITRINGÆ *in Comm. ad h. l. p. 796.* neque etiam nobis, cum hæc præfixi ל ſignificatio & *inſolita* ſit, &, quod magis, adhuc *dubia.*

§. III.

Præſtat C) cum *laudato* VITRINGA dicere, quod Paulus heic non *unum*, ſed *plura* reſpiciat loca, quæ idem ad ipſum hoc tempus pertinere cen-

censuerit, præsertim locum *Psalm. XIV. 7.* cujus *odae* idem plane argumentum sit, quod hujus prophetiæ nostræ, ita quidem, ut non solum res ipsæ, sed etiam phrases aliquæ consentiant. Postquam scilicet *c. l.* descripta fuisset *universalis* aliqua *corruptio*, per quam Ecclesia Dei ad exiguum redacta erat numerum, subjicitur votum hoc: *quis dabit* מִצִּיּוֹן, ἐκ Σιὼν, ut LXX. reddunt, *salutem Israelis?* Conf. Psalm. LIII. 7. LX. 2. CX. 2. Jesai. II. 3. ubi hæc ipsa phrasis occurrit. Ornat hanc sententiam BENGELIUS ex eo, quod *elegans* hoc modo *parallelismus* emergat inter tractationem Pauli de *peccato*, sub *initia* Epistolæ ad Romanos, & tractationem de *salute* peccatorum, omni credenti promissa, C IX - XI. Quemadmodum enim *ibi* potissimum allegaverit Psalmum XIV. & Jesaiæ Caput LIX. ita nunc eum conjungere textus eosdem, & quidem *ultima* utriusque commata, quemadmodum ibi *prima*. Accedit, intime connexa esse מציון & לציון; *e Sione* venire debuit, qui *Sioni* futurus esset *Goel.*

§. IV.

3) גואל proprie notat *Redemtorem*, seu *proximum*, *propinquitatis jure vindicem & asserto rem.* Vid. Lev. XXV. 25. Num. XXXV. 19. 1 Reg. XVI. 11. ut adeo hæc ipsa vox *cognationem* Messiæ cum Judæis jam involvat: quapropter etiam B. RAMBACHIVS *in Exposs. vernacula Ep. ad Rom. p. 840.* existimat, quia vox ῥυόμενος, a LXX. Intr. adhibita, *cognationem* hanc, ex qua *voluntas & jus* oppressos cognatos vindicandi oriatur, non exprimat, sed *potentiam* modo Messiæ, in opere redemtionis demonstratam, Paulum, quod hac ratione decedere videbatur ἐμφάσει nominis *Goel*, resarcire voluisse per hoc, ut לציון verteret ἐκ Σιὼν. Id quod vero nostrum haud facimus, cum, aliunde potius hanc versionem repetendam esse, supra ostensum fuerit.

§. V.

Quæritur autem jam: an accurate satis *Goel* translatum sit per ῥυόμενος? A) GROTIUS invenisse sibi visus est loca, ubi גואל non præcise *redemtorem* ex *jure propinquitatis*, seu *liberatorem* per λύτρον denotet, sed, per *catachresin*, quemcumque liberatorem, eum quoque, qui tantummodo *vi* adhibita, nec ullo *pretio* interveniente, liberat, e. g. Prov. XXIII. 11. Jerem. L. 34. unde & *hoc loco* Cyrum autumat *catachrestice* Goe-

lem appellari potuisse, etsi nec jure propinquitatis, nec soluto pretio Israelitas liberaverit. Enimvero falsum est a) *loca citata* necessario accipi debere de *liberatore quocumque*, non præcise de *redemtore*, cum potius in illis intelligendus sit *Deus*, ut Redemtor suorum per Christum, vel ipse *Christus*, Redemtor Israelis. b) Si vel maxime evinci posset *catachresticus* hujus vocabuli usus, nondum tamen evictum foret, etiam *hoc loco* catachresin statuendam esse, cum Paulus manifeste ad Christum applicet hoc oraculum, qui in omni ἐμφάσει Redemtor est.

§. VI.

Itaque B) nomen *Goel* omnino hic in omni suo ambitu sumendum esse statuimus, uti & in reliquis *Jesaiae* locis, ubi occurrit, v. g. C. XLI. 14. XLIII. 1. 14. XLIV. 6. 24. XLVII. 6. XLIX. 7. 26. LIV. 5. LX. 16. LXIII. 9. Neque Paulus *jus propinquitatis*, utpote quod verba ἥξει ἐκ Σιὼν jam innuunt, aut *solutionem pretii*, quam eo ipso, dum *ad Christum* applicat hoc dictum, supponit, excluisse putandus est, quando גואל cum LXX. vertit: ὁ ῥυόμενος. *Potentiam* Christi in opere redemtionis conspicuam hoc verbo deprædicat, uti & *Jesaias v. 16. hujus ipsius Cap. LIX.* non excluso, quod in eo simul *justitia* Dei Christique suas sibi partes habuerit, ceu pariter dictum erat *ejusdem Cap. v. 16. 17.*

§. VII.

Sequitur in textu apud Prophetam 4) וְלְשָׁבֵי פֶשַׁע בְּיַעֲקֹב. Atque hic A) notandum est, *singularem* פֶּשַׁע, qui utique *collectivus* est, recte Paulum cum LXX. vertisse per *pluralem* ἀσεβείας, *impietates*, hac ipse voce, ut & forma ejus plurali, scite exprimentem vim hebraicæ, quæ peccatum *haud vulgare*, nec *unum*, aut *unius generis* peccata, denotat, sed *totum* illum populi Judaici *statum deploratissimum*, qui Jesai. LIX. 1 - 15. tam graphice depingitur. B) Præfixum *vav* in וְלְשָׁבֵי, uti HAMMONDUS bene observat, vertendum est *scilicet*, ut sensus sit: veniet Sioni Redemtor, iis *scilicet*, qui se convertunt ab impietate in Jacob: nam *vav* sæpe est *expletivum*, aut præfigitur *appositioni*, quæ rem dictam repetit & explicat, ut valeat, *id est*, *scilicet*, vel, *inquam*. Vid. GLASSIUS p. 1193. s.

§. VII.

§. VII.

C) Constructio שָׁבֵי פֶּשַׁע plane est *singularis*, neque, ut VITRINGA observat, alibi occurrit. *Ellipticam* esse, ex eo patet, quod, si ad verbum reddas, *revertentes iniquitatis*, sensus est nullus. SYMMACHUS quidem & AQUILA פֶּשַׁע habuerunt pro *accusativo*, atque hinc verterunt: τοῖς ἀποστρέψασιν τὴν ἀσέβειαν ἐν Ἰακὼβ, *aversantibus impietatem in Jacob*, qua ratione nulla heic foret *ellipsis*. Sed dubito, an umquam שוב significet *aversari* aliquid; deinde ἀποστρέφεσθαι quidem notat *aversari*, sed non ἀποστρέφειν. Certum est itaque, statuendum hic esse ellipsin præfixi *mem* ante פֶּשַׁע, quasi dictum esset מפשע, ut sensus sit: *avertentibus* vel *convertentibus* se *ab* impietate in Jacob.

§. IX.

Si autem hebraica id sibi velint, qui respondent illis græca τῶν LXX. & Pauli: καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακὼβ, cum in hebræo non legatur: וְיָשִׁיב פֶּשַׁע מִיַּעֲקֹב, quod græca illa sonant? Sunt a) qui Interpretes Alexandrinos *vel revera* in Codicibus suis legisse putant וְיָשִׁיב non לְשָׁבֵי, ut nos hodie in Codice nostro masorethico legimus; vel saltem *per incuriam*, pro לְשָׁבֵי, וְיָשִׁיב, ut BEZA, GROTIUS, DE DIEU, volunt, vel etiam *de industria* לְשָׁבֵי mutando in וְיָשִׁיב, qualis litterarum commutatio ad majorem rei elucidationem veteribus hebræorum Doctoribus in usu fuerit, Apostolis hac in re deinceps illos imitantibus, quæ SURENHUSII est opinio *in B. K. p. 504. f.* sed non opus est *vel* ipsum textum sollicitare, *vel* incuriæ τῶν LXX. tribuere, quod ex alia ratione potuit factum esse, *vel* Apostolos Rabbinorum Simias facere.

§. X.

Magis b) nobis arridet VITRINGÆ sententia, qui statuit, Alexandrinos *hoc loco*, ut alibi sæpe, non tam *verba*, quam *sensum* dare voluisse sententiæ propheticæ, quem & feliciter assecuti sint, ac Paulus deinde suo probaverit calculo; nec dubium esse, quin sensum loci recte perceperint; cum enim dicat oraculum, *venturum esse Messiam Sioni*, h. e. *in commodum ejus*, hoc ipso significari Messiam eo fine venturum,

ut Jacobum, h. e. Jacobi posteros, *convertat ab impietate sua*, quemadmodum & CHALDÆUS *in Paraphrasi sua* hanc conversionem *Messiae* adscribat. *Convertere* autem quid aliud est, quam *avertere impietates ab aliquo*, quod ipsum versio græca exprimit? Idem sane mox exponitur per ἀφαιρεῖν τὰς ἁμαρτίας.

§. XI.

Pergimus ad verba commatis 21. וְאֹתִי זֹאת בְּרִיתִי אוֹתָם, quibus κατὰ διάνοιαν, licet non κατὰ ῥητὸν, bene respondent græca: καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη. Quod A) ad *hebraea* spectat, a) וְאֹתִי *& ego* est *nominativus absolutus*, ita vertendus: *& ad me quod attinet*, quem in sensum etiam τὸ וְאַתְּ Jes. LXVI. 18. exponendum est. b) זֹאת בְּרִיתִי אוֹתָם *hoc* (est) *fœdus meum cum illis*, continet fundamentum futuræ conversionis Judæorum. Conf. Rom. IX. 4. ὧν ἡ διαθήκη. Jam quid aliud B) sibi volunt græca? αὕτη ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη exprimit hebræa: זֹאת בְּרִיתִי, & לָהֶם respondet dativus commodi αὐτοῖς· uti & phrasis: אֶת־בֵּית יִשְׂרָאֵל Jer. XXXI. 33. per dativum commodi vertitur τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ Hebr. VIII. 10.

§. XII.

At jam quæritur: unde reliqua verba: ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, desumta sint? nam Jesaiæ LIX. 21. post verba: *me quod attinet, hoc est fœdus meum cum illis*, nil legimus, quod græcis istis respondeat, sed alia plane quoad *rem & verba*. Sunt A) quibus ea videntur petita esse ex *Jer. XXXI. 33. & 34.* ubi initio *v. 33.* dicitur: *hoc est fœdus meum, quod pangam cum domo Israel*, & sub finem *v. 34. nam condonabo iniquitates eorum.* Ita v. g. CALOVIUS *in Bibl. Illustr. ad h. l.* & recentius b ZACHARIÆ *in der paraphr. Erkl. p. 93.* ast *similia* heic quidem legimus, sed non *eadem*, quæ apud Paulum, cum Propheta habeat: ὅτι ἵλεως ἔσομαι ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν. Semper autem verisimilius est, locum, quoad rem & verba simul parallelum, sedem alicujus allegati esse, quam locum, cujus parallelismus nonnisi realis est. Itaque rectius *alii* B) Apostoli animo heic obversatum esse existimant locum *Jesaiae C. XXVII. 9* ubi LXX. verba hebræa: הֲסִר חַטָּאתוֹ iisdem fere, quæ & Paulus habet, verbis inter-

terpretantur: ὅταν ἀφέλωμαι αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν. Enimvero hic nova se offert difficultas, eaque non una: Quæri potest a) num LXX. hebræum הָסִר הַטָּאתוֹ *recte* sic reddiderint, adeoque & Paulus eorum versionem *recte* suam fecerit? b) quomodo hæc verba *cohaereant* cum præcedentibus: καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη.

§. XIII.

Quoad a) observamus: Hebræa, in nexu suo spectata, hunc sensum fundere: *propterea* (quod nimirum castigatio Ecclesiæ ex parte Dei non illius perniciem, sed purgationem ab idololatria aliisque peccatis pro scopo habet) *hoc ipso expiabitur iniquitas Jacob, & hic omnis erit fructus, amovere peccatum ejus, ita ut* ponat ille omnes lapides altaris ut lapides calcis disjectos, non stabunt (vel, nec stent amplius) luci & imagines solares; sive brevius: *Effectus fructusque castigationis erit purgatio* populi *partim* per remissionem peccatorum, (quam innuit verbum יְכֻפַּר *expiabitur*) *partim* per actualem eorum remotionem seu ablationem, (quæ notatur verbo הָסִר, *amovebit*) eamque in destructione & abolitione idololatriæ conspicuam. Jam his in verbis speciatim phrasin illam: *removere peccatum ejus*, LXX. & cum iis Paulus, omnino recte interpretati sunt: ὅταν ἀφέλωμαι αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν, seu, quia vox αὐτοῦ & vox ἁμαρτία manifeste *collectiva* est, τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.

§. XIV.

Nec mirum nobis videri debet, Apostolum, omissis illis, quæ apud Jesaiam verba priora commatis 21. insequuntur, hæc *Capitis XXVII.* verba illis substituisse, cum omnino grande momentum habeant in causa, quam hic tractat. Si quidquam Judæorum restitutioni intercedere videri potest, id sane est *summa* ipsorum *impietas*; sapienter itaque addidit Paulus testimonium, quo Deus se *peccata eorum* sic *ablaturum* esse pollicetur, ut ipsi quoque *detestationem* illorum *ipso* facto testentur. Conf. Jerem. XXXIII. 8. L. 20. At, inquis, b) *minus* tamen *apte cohaerent* hæc verba cum præcedd. καὶ αὕτη -- διαθήκη, cum sequi potius deberet: ὅτι ἀφαιρήσω, quam ὅταν ἀφέλωμαι. ℞. Locutio est *elliptica*, sic supplenda: *& haec* illis facta *promissio testamentaria* παρ' ἐμοῦ, *a me* (uti facta est,

ita & præſtabitur) *cum abſtulero peccata ipſorum*; ſic omnia optime conſpirant.

§. XV.

Supereſt II) ut *de applicatione* Paulina nonnihil adjiciamus. Quod 1) ad locum principalem, qui heic citatur, attinet, ſcil. Jeſai. LIX. 20. ſ. A) GROTIVS quidem impetrare a ſe potuit, ut de *Cyro proxime* ac *literaliter* heic agi crederet, qui venturus ſit ad liberandos Judæos, nempe *eos*, *qui* ex Jacobo, i. e inter Iſraelitas, *ab impietate ſe converterint*, uti textus hebræus *nunc* habeat (quaſi vero aliter *olim* habuerit) cum e contrario LXX. ita hæc verba acceperint, quaſi dicatur Cyrus liberaturus Iſraelitas, & impietates eorum, i. e. *pœnas* impietatum, averſurus; *Chriſto* autem nonniſi *myſtice* ac *typice* hoc dictum a Paulo aptari putat, idem ſentiente CALVINO & MVSCVLO. Sed pudere illos debebat hujus detorſionis, cum non modo inter ipſosmet Judæorum Magiſtros fuerint, qui *de Meſſia* hoc oraculum directe exponerent, ceu videre eſt in CALOVII *Bibl. ill. ap Jeſ. LIX. & in Bibl. Hebr. Hal. ad h. l.* ubi *Rabh Acha* vel ex *vav parenthetico* in גואל *Meſſiam* eruit, Redemtorem *conſummatum*, ſed etiam titulus *Goel*, & reliqua prædicata *Cyro* aptari queant ut infanti Herculis cothurni.

§. XVI.

Inconcuſſum potius manet B) oraculum noſtrum directe & literaliter *Chriſtum* reſpicere & *tempora N. T.* ſpeciatim vero *illuſtrem* illam *converſionem Judaeorum*, ultimis temporibus introitum plenitudinis gentium ſecuturam, adeoque & Paulum hanc ſolide ex iſto probare. Agit ſcilicet Propheta *de adventu Goelis*, pridem equidem facto, ſed *toti* populo Judaico demum ſalutari futuro, *partim* poſt illuſtre & ſpectabile judicium in hoſtes Eccleſiæ fere ad incitas redactæ edendum v. 18. *partim* poſt ipſarum gentium converſionem v. 19. Agit itaque & Paulus de converſione Iſraelis, non ſane *illa*, quæ converſionem gentium *praeceſſit*, atque in Actis Apoſtolorum paſſim deſcribitur; verum, ut nexus comm. 19. & 20 apud Jeſaiam condocefacit, de *ea*, quæ iſtam, eamque conſummatam, demum *excipiet*, conſequenter non de *praeterita*, ſed de *futura* quadam converſione Judæorum, ubi Meſſias, poſtquam dudum reve-

revelatus est *gentibus*, atque ab iis agnitus, tandem, quasi de novo, apparebit ac innotescet *Judaeis*, qui, longum gementes sub severitate judicii divini, tandem recipientur in gratiam, & tum demum ad notitiam ac fidem veri Messiæ perducentur. Plura dabunt *Theologi*, qui magnam istam conversionem Judæorum ex hoc loco adstruxerunt.

§. XVII.

2) Quod ad voculam מִצִּיּוֹן *e fine Psalmi XIV.* petitam, & loco Jesai. LIX. insertam, spectat, omnino illa nobis referenda esse videtur *ad adventum Messiae*, medicinam allaturum *corruptioni universali* v. 1 & seqq. descriptæ. Conf. Rom. III. 10. ff. & S. R. D. D. SARTORII *Diss. Inaug. ad Psalm. LIII.* Hæc vero medicina cum efficaciam suam salutarem, magis quam umquam antea, ultimis temporibus demonstratura sit, *in gentibus* quidem, quando plenitudo illarum intrabit, & *in Israele*, quando *totus* Israel salvabitur, recte prorsum adventus Messiæ *ex Sion*, in effectu suo spectatus, eo usque pertingere censetur. 3) Denique quoad locum *Jesai. XXVII. 9* negari quidem haud potest, implementum *ex parte* & quoad *initia* sua quæri posse in emendatiore quodammodo statu populi judaici post Captivitatem Babylonicam tempore Maccabæorum, sed longius tamen Prophetam in futurum prospexisse, & *ulteriores* etiam *gradus* implementi coram oculis habuisse, nos quidem, per regulas optices propheticæ, ἐξαγώνιον esse plane persuasum habemus. [a])

a) Sub finem hujus tractationis studio reservavimus observationes *Viri Perill.* MICHAËLIS de hoc ipso Allegato, ut ista perlecta tanto facilius rectiusque de his etiam judicari possit. Bis ac diverso quidem scopo ad hocce Allegatum provocat *in der Einleitung* P. I. p. 225. & p. 241. *Primo*, quod loco posteriore legitur, isto tanquam exemplo utitur, quod Apostoli, secuti morem Iudæorum, nonnunquam tantum initium alicujus dicti citaverint, reliqua vero subintelligenda seu addenda lectoribus reliquerint. Sic Verba Apostoli: ἡ αὕτη αὐτοῖς --- τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν ait suspensum tenere lectorem, apodosi sua, quæ exspectetur, carere, & neque sensum habere, neque grammatice bene construi posse. Quæ impedimenta tollantur omnia, adeo ut etiam rite probet Apostolus futuram Judæorum conversionem, quam probare velit, si suppleantur, quæ apud Jes. v. 21. legantur, à Paulo non expressa: *Und diß soll der Bund seyn, den ich mit ihnen machen will, spricht Jehova, mein Geist, der über dir ruhet, und meine Worte, die ich in deinen Mund gelegt habe (die wahre, durch Propheten aus dem Volk der Juden geoffenbarte Religion) sollen nicht von deinem Munde weichen, nicht vom Munde deiner Kinder, und der Kinder deiner Kinder, von nun an*

an biß in Ewigkeit. (*Du und deine ſpäteſte Nachkommen werden nie wieder aufhören die wahre Religion zu bekennen.*) Neque negamus, ſpeciem hæc inſignem habere, cum ſemper durius ſit, ſub verbis Pauli ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη id intelligere, quod jam verſu antec. dictum erat. *Veniet ex Sione liberator*: atque ſi præterea paralleliſmum realem inter hunc *Jeſaiae* & illum *Jeremiae* locum Cap. XXXI. 31-33. ante oculos habeamus, difficulter aſſenſum denegabimus, modo ejusmodi citandi ratio etiam al is exemplis probari poſſit. Sed nos jam non poſſumus ſingula ab Auctore prolata examinare. Quando vero idem ad verba ὅταν ἀφέλωμαι &c. ait: *hier ſcheint der Apoſtel entweder die ganze Stelle* Jer. XXXI. 33-37. *Vom Leſer hinzugedacht haben zu wollen, oder er müſſte dieſe Worte in ſeinem Exemplar des Jeſaias geleſen haben*: minus aſſentiri poſſumus. Neque enim hæc verba in citato Jer. loco leguntur, cf. *Noſter* §. XII. neque ſtatim eo delabi debemus, excidiſſe ex noſtris Codicibus, quæ Pauli tempore in illis exſtiterint. In hoc facile vincet ſolutio in *Allegato* data, quæ iſta verba ex Jeſ. XXVII. repetiit. Et ſi Paulus integrum locum Jer. XXXI. in mente habere potuit, quidni etiam hæc verba ejusdem Jeſaiæ?

Secundo autem pro exemplo ipſi eſt locus noſter, prout apud Paulum & apud LXX. legitur, ad probandum, quod ipſe adeo textus V. T. ex Allegatis, cum LXX. ſed non cum Hebræo conſentientibus, *corrigi* poſſit ac debeat: etenim, ſi loco vocis לְשָׁבֵי legiſſe primitus ponatur Jeſaias וְלִשְׁבִית pro יְלַהֲשִׁבִית, & conſtructionem planiorem fore ait, & conſenſuros LXX. & Paulum cum Jeſaia, & Apoſtolum ſolidius probaturum, quod probare intenderat. Gratum lectoribus facturos nos putamus, ſi ipſa Viri doctiſſimi verba exhibeamus: *Paulus will eine künftige allgemeine Bekehrung der Juden* Jes. LIX. 20. *geweiſſaget finden. Allein was thut dieſe Stelle zur Sache, wie ſie in den gewöhnlichen Ausgaben lautet*: Für Zion wird ein Erlöſer kommen, (וְלִשְׁבֵי בְיַעֲקֹב) und für die von Jacob, die ſich von dem Abfall bekehren. *Jeder Leſer würde ja ſagen, ſelbſt aus dieſer Stelle ſehe ich, daß nicht* ganz *Iſrael, wie* du *ſagſt, ſich bekehren wird, ſondern nur einige: der Erlöſer ſoll nur für die aus Jacob kommen, die ſich bekehren: alſo werden ſie ſich nicht alle bekehren. Die Weiſſagung handelt von eben einer ſolchen Zeit, als die iſt, in der wir izt leben; in der viele, viel tauſend Juden ſich zu Chriſto bekehrt haben, der bey weitem gröſſere Theil aber verſtokt bleiben. Und doch iſt klar Pauli Meynung, die Stelle nicht von einer ſolchem partiellen Bekehrung, als er ſchon erlebt hatte, ſondern von einer allgemeinen anzuführen. Davon handelt ſie auch gewiß, wann ich mit den* LXX. *und ihm einen einigen Buchſtaben mehr leſe,* יְלִשְׁבִית. Für Zion wird ein Erlöſer kommen, und einer, der dem Abfall ein Ende in Jacob macht. Miramur hic admodum ingenium Viri, nec dubitamus, omnibus hanc obſervationem ſeſe approbaturam eſſe, qui religioni ſibi non ducunt, & vocales mutare textus maſorethici. & adjicere vel demere aliquam litteram. Quid? ſi *Collationes Kennicottianae* iſtud ת textui iterum vindicarent?

XCIII. AL-

XCIII. ALLEGATVM.

ROM. XII. 19.

Μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, ἀγαπητοὶ, ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ· γέγραπται γάρ· Ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει Κύριος.

HEBR. X. 30.

Οἴδαμεν γὰρ τὸν εἰπόντα· Ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει Κύριος.

DEUT. XXXII. 35.

לִי נָקָם וְשִׁלֵּם׃

VERSIO LXX.

Ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω.

§. I.

Pro ratione inſtituti noſtri *conferendus* hic eſt I) textus *graecus* cum *hebraeo*. 1) לִי נָקָם, proprie ſonat: *mihi ultio*, ſcilicet, eſt, idemque valet, quod locutio latina: *mea eſt ultio;* ſolent enim hebræi dativum, *mihi*, adhibere loco pronominis poſſeſſivi, *meus*, *mea*, *meum*, ad denotandam *poſſeſſionem* quandam ſeu *jus*. Unde græca dictio: ἐμοὶ ἐκδίκησις, qua Paulus hebraicum: לִי נָקָם, expreſſit, VORSTIO *in Phil. S. P. I. p. 240.* Hebraismum ſapere videtur, contradicente tamen GEORGIO *in Vindiciis N. T. ab Ebraismis p. 234.* & WOLFIO *in Cur. ad Hebr. X. 30.* qui ad loca quædam *Xenophontis* provocant. Mihi vero adducta loca probandum haud probare videntur, cum ἐμοὶ in iſtis partim accipi queat pro nominativo plurali, partim aperte per adjectum verbum determinetur in da-

tivum. Et si vel maxime profani etiam Græci ita locuti essent, nondum tamen sequeretur, Paulum a *Xenophonte* potius, quam e lingua sibi vernacula, i. e. hebræa, hanc loquendi rationem habuisse.

§. II.

Est vero eadem plane emphatica: nam dativo *mihi* jus ac potestatem ulciscendi plane & in solidum *sibi* vendicat Deus, q. d. *mihi* competit vindicta; *ad me* illa unice pertinet; *meum est* ulcisci. Jure etiam Paulus hac in re deseruit τὰς LXX. verba: לִי נָקָם, reddentes: ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως, quasi legissent: לְיוֹם נָקָם: *in die ultionis.* LUD. CAPPELLUS quidem *in Crit. S. p.* 517. ex hoc ipso, quod Interpretes Alexandr. τὸ לִי verterunt, ἐν ἡμέρᾳ, colligit, primitus scriptum fuisse, לְיוֹם: ac proinde hodiernum textum hebr. corruptum, & genuinam lectionem e Vers. LXX. restituendam esse, cum præsertim Codex samaritanus quoque habeat לְיוֹם. Enim vero, quod a) ad *Vers. LXX.* spectat, α) frivola est hæc suppositio: Versio ita legit hodie; ergo & textus ab initio ita legit. Non emendandi sunt fontes e rivulis, sed v. v. rivuli e fontibus; β) *temporis* vindictæ mentio demum fit in seqq. b) *textui samaritano* opponimus α). constantem hebræorum Codicum lectionem, β) citationes N. T. *in Epist. ad Rom. & Hebr.* γ) versiones orientales præcipuas, *chaldaeam* utramque, ONKELOSI & *Targum hierosolymitani*, *syriacam*, *& arabicam*, quibus & *Vulgatus* suffragabitur. b)

b) Tangit hanc causam idem MICHAËLIS *in der Einleitung* P. I. p. 225. sq. Nobis vero ex differentia, quæ inter textum masorethicum, Versionem LXX. & Allegationes Pauli intercedit, nondum videtur certo concludi posse, LXX. in suo Codice legisse לְיוֹם נָקָם & Paulum in suo לִי נָקָם וְאֲשַׁלֵּם quam lectionem etiam adoptavit *b.* ZACHARIÆ *in der paraphr. Erklärung* p. 99. Si enim a lectione hodierna LXX. valeret consequentia ad lectionem codicis, quo illi usi fuerint, ab omni mutatione immunis mansisse dicenda foret hæc versio; prærogativa, quam ne fontibus quidem vindicare possumus. Et cum infinita dentur oscitantiæ & imbecillitatis humanæ in hac versione specimina, malim equidem etiam hunc locum eo referre, cum in eodem versu יוֹם אֵידָם occurrat, quod occasionem suppeditare potuit etiam τῷ יוֹם נָקָם. Quod vero ad Paulum spectat; tum sequeretur, eum in suo exemplari legisse וְאֲשַׁלֵּם, si evictum esset, Apostolos in suis citatis ipsa verba retinuisse, nec satis unquam habuisse, sensum exprimere. Conf. infra §. IV. A citatione ad ipsam lectionem textus, quo Apostoli usi sint, concludere, supponit, eos ad quamvis citationem Codicem in manu habuisse; quod tamen nemo serio contendet.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0058
DFG

§. III.

Circa posterius oraculi membrum, quod absolvitur verbo: 2) וְשִׁלֵּם, dissentire video Interpretes. Sunt A) qui habeant pro præterito *Piel* verbi שלם, quod cum vav conversivo futuri significet *& retribuet.* Ita, post R. SALOMON, SEB. SCHMIDIUS; qui propter ea Mosi hæc verba tribuit. At duriusculum videtur, aliam hic personam interpellare Deum hactenus loquentem, & v. 39. sermonem suum continuantem, licet inter media commata v. 36 -- 38 de Deo loquantur in 3. pers. nam & Deus sæpe h. m. de se verba facit. *Aliis* B) שִׁלֵּם est Infinitivus *Piel*, habens vim substantivi, ut sensus sit: *Mein ist die Rache, und Vergelten*, h. e. *die Vergeltung.* Ita JAC. CAPPELLUS *in Crit. Anglic.* & JO. D'OUTREIN *in Comm. ad Hebr.* Sed non probabile est, Spiritum S. substantivo נָקָם subjuncturum fuisse infinitivum, cum suppeterent substantiva a radice שָׁלַם.

§. IV.

Præstat igitur C) illa sententia, qua שִׁלֵּם, æque ac שִׁלּוּם & שֶׁלֶם, habetur pro nomine substantivo, ut sensus sit: mea est vindicta *& retributio.* Ita sane ABEN ESRA, qui eadem ratione Jer. XLIV. 21. קִטֵּר, *suffitus*, e Piel verbi קִטֵּר formatum existimat, & R. SALOMO *in Michlal Jophi*, qui in exemplum allegat substantivum חִבֵּל, *malus, der Maßbaum.* Conf. BUXTORF. *in Lex. ad has voces.* Hoc autem significatu admisso haud immerito quæritur, quomodo sic cum textu hebræo conspiret græcus: ἐγὼ ἀνταποδώτω? Videtur enim וְשִׁלֵּם hac ratione potius vertendum fuisse, καὶ ἀνταπόδομα. Nequaquam hic a) audiendi sunt CAPPELLUS supra notatus, & WHISTONUS, qui ex hac textus hebræi & græci discrepantia temere arguunt, oraculum citatum vel prorsus hodie in V. T. desiderari, vel saltem insigniter interpolatum esse; quod posterius autem PEIRCIO, *Anglo*, placuit, quando *in N. N. ad Hebr. X. 30.* scriptum a Mose primitus fuisse, & LXX. quoque legisse putat non וְשִׁלֵּם, *& retribuet*, vel *& retributio*, sed, אֲשַׁלֵּם, *retribuam*, quod ipsum futurum etiam v. 41. Deut. XXXII. exstet, atque græco: ἀνταποδώτω exacte respondeat: suspicatur scil. אֲשַׁלֵּם facile in וְשִׁלֵּם depravari potuis-

se, si media linea literæ *aleph* clare expressa, duæ, quæ ab utraque parte sunt, detritæ fuerint. Sed jure nos perhorrescimus violenta hæc remedia; utrique textui optime profecto convenit per omnia, hoc uno excepto, quod in græco pro altero nomine hebræo ponitur verbum ejusdem significatus; neque enim statutum fuit Scriptoribus N. T. in citando V. T. verbum verbo reddere, sed sensum exhibere.

§. V.

Supereſt 3) formula: λέγει κύριος, quam Paulus hic & Hebr. X. allegato subjicit, ita quidem, ut præcedens γέγραπται etiam ad hanc pertinere videatur, cum tamen eidem in hebræo, ac inde nil etiam in vers. LXX. respondeat. Id quod dubio procul in causa fuit, cur c. l. Hebr. X. unus alterve Codex, *Interpres vulgatus*, *Syrus*, *Æthiops*, *Coptus*, hæc verba omiserint, quapropter etiam MILLIUS ex Rom. XII 19. huc translata putavit. Sed, cum Paulus alibi quoque, loca V. T. excitans, hanc formulam addere soleat, licet in hebræo non exstet, e. g. Rom. XIV. 11. 2 Cor. VI. 17. & verba ante citata revera sint verba Domini, Mose ipso v. 20. id innuente, eam nec Hebr. X. expungendam, nec a Paulo utroque in loco, invito textu hebr. additam esse, recte statuitur.

§. VI.

Jam vindiciis Allegationis nonnulla II) subjungemus de *Applicatione* Paulina. Hic expendenda sunt 1) monita Apostoli, quibus Allegato hoc robur addere instituit; 2) ostendendum erit, quod citatum oraculum ad ea corroboranda omnino egregie faciat. 1) *Quod monita* attinet, monet A) Christianos, ne *ipsi semet ulciscantur*, μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες. Hicque a) observat, non pertinere hoc monitum ad *Magistratus*; hi enim non seipsos vindicant, quando delicta puniunt, sed rempublicam, cujus tutela ipsis commissa est, adeoque interdicitur saltem *vindicta privata*. b) Verbum ἐκδικεῖν utrumque quidem significare potest α) *tueri* seu *defendere*, quo sensu PLINIO *Epp. L. 13. Ep. 3. Defensores* civitatum *Ecdici* dicuntur; unde & Vulgatus ἐκδικοῦντες vertit, *defendentes*, sine dubio verbum hoc adhibens in significatu *ulciscendi*; alioquin enim Christianis omnino permissum est, se *defendere*, h. e. injurias depellere. BEZA certe temere Vulgatum hic reprehendit, & ERASMUS contra probe

probe perſpexit, *defendere* priſcis Eccleſiæ Doctoribus idem fuiſſe, quod *ulciſci*; ita enim v. 9. TERTULLIANUS *adv. Marc. L. II. c. 18.* locum noſtrum ita interpretatur: *mihi defenſa, & ego rependam*, poſt quam antea ſcripſiſſet: *Defenſam (die Rache) a Deo exſpectare debemus.* Conf. GROTIUS *D. J. B. & P. L. I. c. 2. §. 8. n. 12.* Sed hoc quidem loco prævalere alterum ſignificatum, quo ἐκδικεῖν β) ſignificat, *ulciſci*, patet *non modo* ex uſu hujus verbi Luc. XVIII. 7. 8. XXI. 22: 2 Theſſ. I. 8. 1 Petr II. 14. Rom. XIII. 4. 1 Theſſ. IV. 6. ſed etiam ex nexu loci noſtri; præceſſerat enim: ne *rependatis* ulli *malum* pro *malo*; hæc autem eſt *ultionis* non *defenſionis* deſcriptio, & monitum ſuum fulcit Paulus loco Deut. XXXII. ubi in hebræo eſt, לִי נָקָם, quo *ultionem* ſignificari tum vocis proprietas indicat, tum ipſa loci ſententia, quæ *defenſionem* intelligi non patitur. Vid. GROTIUS *l. c. L. I. C. III. §. III. n. 6.*

§. VII.

B) Monitum eſt in verbis: ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ. Hic quær. quænam intelligenda ſit ira? an ira *laedentis*, an *laeſi*, an potius *Dei*? Qui a) iram *laedentis* intelligunt, a POLO *ad h. l.* allegati e. g. DRUSIUS, LAMB. BOSIUS, SURENHUSIUS p. 307. RAPHELIUS *in append. ad Annott. Herod. p. 692.* SCHOETGENIUS & HARENBERGIUS *Bibl. Lubec.* P VI. p. 246. hunc moniti ſenſum faciunt: *Cedite* adverſario furenti, aut declinando ex ejus præſentia, aut patienter ferendo ejus injurias; atque his favere videtur, quod Luc. XIV. 9. τόπον διδόναι in ſignificatu *cedendi* occurrit, & juſta h. m. antitheſis emergit inter vindictam ſui ipſius & tolerantiam mali. Sed nolim ego phraſin, τόπον διδόναι, noſtro in loco, parallelam facere iſti, quæ habetur Luc XIV. 9. ubi de ceſſione loci in convivio ſermo eſt. Deinde, licet in ſe verum ſit, iram adverſarii mitigari poſſe patientia, & tolerantia mali recte opponatur vindictæ ſui ipſius; hoc tamen loco ſequens allegatum, idque per modum ætiologiæ adductum, non permittit, ut phraſin δότε τόπον h. m. explicemus: DODDRIDGIUS certe in paraphraſi hujus loci neceſſe habet, nonnulla inſerere, ut ſententiæ textus cohæreant: *Gebet Raum dem Zorn des Feindes, und benehmet ihm durch ein weiſes Nachgeben die Gelegenheit, ſich mehr zu entrüſten.* — — Bleibet er aber dennoch in ſeiner Wuth, ſo überlaſſet ihn dem unpartheyiſchen Gerichte Gottes: denn Er hat geſagt &c.

§. VIII.

Alii proinde b) malunt intelligere iram *laesi*, quæ per illatam injuriam provocatur. Atque hic α) non moramur expositionem *Surenhusianam & Harenbergianam*, a WOLFIO adductas *in Cur. ad h. l.* utpote satis contortas; majorem speciem β) habet illa, quæ Christianis hic præcipi statuit, ut iræ suæ efferveſcenti *spatium defervescendi* concedant; nam ira furor brevis est, qui, si spatium illi detur, sedari solet. Datur autem eidem *spatium*, si compescatur vel reprimatur, ne protinus in vindictam erumpat. Hunc in sensum *Arabs* jam hæc verba vertit: *reprimite iram, donec transierit a vobis*, ut LUD. DE DIEU observat. LAMB. BOSIUS in subsidium hic advocat loca quædam LIVII, *Histor. L. II. C. 56. & L. VIII. C. 32.* ubi hæc ipsa phrasis: *irae suae spatium dare*, occurrit; ita enim posteriore v. g. loco legimus: *Legati, circumstantes sellam, orabant* (dictatorem) *ut rem in posterum diem differret, & irae suae spatium, & consilio tempus daret.* Conf. SENECA *de Ira L. III. C. 39.* Talem moram Cæsari Augusto suasit ATHENODONUS *Philosophus*, apud PLUTARCHUM *in Apophthegm. p. 207.* ὅταν ὀργισθῇς, καῖσαρ, μηδὲν εἴπῃς, μηδὲ ποιήσῃς πρότερον, ἢ καὶ εἴκοσι καὶ τέτταρα γράμματα διελθεῖν πρὸς σε αὐτόν. *Cum iratus es, Caesar, nil neque dicas neque facias prius, quam viginti quatuor literas*, (Alphabeti scil.) *tecum percurreris.* Atque hanc sententiam amplexi quoque sunt ALETHÆUS *T. III. der Erläut. p. 434.* & CHRISTOPH. WOLLIUS in *XXX. Regulis ad circumspectam N. T. illustrationem ex auctoribus profanis, p. 23.* Verum & hæc, æque ac illa, quæ iram læsi intelligit, insigni hoc nævo laborat, quod hac ratione sententia: *date spatium irae vestrae, ut deferveat*, non immediate cohæret cum seq. ætiologia.

§. IX.

Restat igitur c) ut dicamus, Apostolum loqui de *ira Dei*, eique velle *locum dari* eo fere sensu, quo Eph. IV. 27. dicitur, *locum non esse dandum diabolo*, h. e. tempus, animum magis magisque occupandi, iracundia nostra nimis diu protracta. Sensus itaque hic est: Deo relinquite partes Judicis: ultionem ipsi permittite, eamque patienter exspectate; nolite *spatium*, quod Deus iræ suæ ostendendæ fixit, vindicta vestra anticipare, sed date vindictæ divinæ suum spatium, exemplo Christi 1 Petr. II.

II. 23. Conf. Prov. XX. 22. Ita post CHRYSOSTOMVM, THEOPHYLACTVM & OECVMENIVM, locum nostrum exposuere LVTHERVS, BEZA, CASAVBONVS, GATAKERVS, CAMERO, ER. SCHMIDIVS, HAMMONDVS, KNACHTBVLLVS, CLERICVS, CALOVIVS, LANGIVS, WOLFIVS, EISNERVS, BENGELIUS &c. Et vel maxime hanc sententiam commendat, α) quod alibi quoque ira *Dei*, vocabulo *ira* absolute posito, designari solet, v. g. 2 Chron. XXIV. 17. Eph. II. 3. 1 Thess. II. 16. uti & *Dei* vindicta simpliciter ἐκδίκησις audit Luc. VXI. 22. BENGELIUS *in Gnom.* omissionem nominis Θεᾶ vocat *ellipsin religiosam*; Apostolus scil. venerabundus iram Dei simpliciter & absolute *iram* vocat, quoniam ipsa *illa* est ira, cujus tam multa est in scripturis mentio, & quæ sola est *justa*, solaque non vana sine viribus ira, qualis e contrario hominum ira est, si Deus vires illi deneget. Conf. WOLFIUM *in Cur. p.* 201. f β) Monitis apostolicis egregie hoc modo per chiasmum directum respondet sequens Allegatum, nim. monito primo, primum oraculi, *vosmet ipsos ne ulciscamini*, membrum: *mea est ultio*; & alteri monito: *date locum irae*, alterum oraculi membrum: *Ego rependam!*

§. X.

Atque hinc simul 2) in aprico est, quod Apostolus apposite omnino dicto hoc usus sit ad corroboranda monita sua. Quod enim nemo *seipsum* ulcisci debeat, efficacius probare haud potuit, quam ipso Dei effato, quo *sibi soli* jus vindicandi vindicat, *Domini est punire servos, non conservorum*: quodque Christiani iræ divinæ *spatium* dare, & ab illa ultionem sui patienter exspectare debeant, firmissime probatur ex asseveratione divina: *ego retribuam.* q. d. non inultæ manebunt injuriæ vobis illatæ, etsi vosmet ipsi eas non ulciscamini; Deus enim id in se recepit; exspectate igitur, donec faciat, quod facere promisit, nec illius vindictam vestra antevertite. Optime B. CHEMNITIUS: vindicta privata non ægre facimus hostibus nostris, sed cursum iræ Dei, ipsis destinatæ, intercipimus, & ab illis avertimus, ac in nos derivamus. Qui igitur cupit ultionem de inimicis suis, Deo illam commendet. Ita locus datur iræ Dei.

XCIV. AL-

XCIV. ALLEGATVM.

ROM. XII. 20.

Ἐὰν οὖν πεινᾷ ὁ ἐχθρός σε, ψώμιζε αὐτόν· ἐὰν διψᾷ, πότιζε αὐτόν. Τοῦτο γὰρ ποιῶν ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.

PROV. XXV. 21. 22.

אִם – רָעֵב שִׂנְאֲךָ הַאֲכִילֵהוּ לָחֶם : וְאִם – צָמֵא הַשְׁקֵהוּ מָיִם : כִּי גֶחָלִים אַתָּה חֹתֶה עַל – רֹאשׁוֹ וַיהוָה יְשַׁלֶּם – לָךְ :

VERSIO LXX.

Ἐὰν πεινᾷ ὁ ἐχθρός σε, ψώμιζε αὐτόν, ἐὰν διψᾷ, πότιζε αὐτόν. Τοῦτο γὰρ ποιῶν ἄνθρακας σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, ὁ δὲ Κύριος ἀνταποδώσει σοι ἀγαθά.

§. I.

Nulla quidem heic præcedit vel ſequitur *Formula allegandi*, unde aliqui *alluſionem* duntaxat heic agnoſcunt ad locum Prov. XXV. 21. 22. Quia tamen ipſiſſima hujus loci verba abs Paulo adducta cernimus, & *Proverbia Salomonis* inter Judæos notiſſima fuiſſe, e variis indiciis ſcripturæ ipſius conſtat, ut adeo expreſſa citatione opus haud fuerit; Apoſtolique alibi etiam formulam, *ſcriptum eſt*, ad dogmata magis quam ad mores adhibuerunt, merito hoc dictum inter *Allegata* referimus.

§. II.

In *Collatione* textus græci cum hebræo deprehendimus, iſtum exacte hunc referre, nec niſi leviſſimam inter utrumque differentiam intercedere. 1) אִם רָעֵב שִׂנְאֲךָ, optime Paulus cum LXX. vertit: ἐὰν πεινᾷ ὁ ἐχθρός

ἐχθρός σου. A) Hebræum שֹׂנְאֶךָ, *oſor*, emphatice exponitur per græcum, ἐχθρὸς: indicatur enim h. m. non eum modo intelligi debere, qui qualitercunque odio habet, ſed etiam *hoſtem* apertum, eumque acerbum & vehementem. Nam LXX. per ἐχθρὸς interpretantur non modo שֹׂנְאֶךָ, ſed etiam צַר & אוֹיֵב. Vid. BENGELIUS *in Gnom.* B) Verbum רָעֵב, *eſurivit*, uti & ſequens, צָמָא, *ſitivit*, *quemvis ſtatum indigentiae* notat, per *Synecdochen ſpeciei* pro *genere*; neque enim præceptum hoc cum THOMA *Aquinate* & PERERIO reſtringendum eſt ad illum extremæ neceſſitatis caſum, ubi hoſti noſtro fame pereundum eſſet, licet hanc vel maxime innui haud negemus.

§. III.

2) Verba: הַאֲכִילֵהוּ לָחֶם, *ciba illum pane*, Paulus, omiſſa cum *Alexandrinis* voce לָחֶם, reddidit: ψώμιζε, quod verbum etiam habetur in Vers. LXX. LAMB. BOSII juxta exemplar Vaticanum, quod & *Breitingeriana* editio ſequitur; *Aldina* vero & *Complutenſis* habet τρέφε. Et ſingularem ſane emphaſin habet verbum ψωμίζειν, ad connotandum affectum amoris, quo fieri debet, quod hic præcipitur; nam SCAPULA teſte, *in Lex. fol. 1846.* proprie ſignificat, *buccellis blande in os inſertis amanter nutrire.* Conf. LXX. ad 2 Sam. XIII. 5. ubi LUTHERUS optime vertit, *ätzen.* Conf. ψωμίον Joh. XIII. 26. Cæterum, uti ſupra diximus τὸ *eſurire* & *ſitire* quamlibet *indigentiam* notare, ita nunc per ſimilem Synecdochen τὸ *cibare* & *potare quaevis opera charitatis* complectitur, quibus inimici neceſſitatibus ſubvenitur; duobus notiſſimis exemplis omnia beneficiorum genera indicantur, & ſub cibo ac potu cætera *neceſſaria* ſubintelliguntur, ut Matth. XXV. 25. 3) In verbis: לָחֶם, & מַיִם nova eſt Synecdoche: nam & hæc duo omnia vitæ neceſſaria deſignant. Jeſ. XXXI. 33. 16. Matth. VI. 11.

§. IV.

4) Particulam hebræam כִּי Apoſtolus cum LXX. non per ὅτι, quod illa proprie ſonat, ſed phraſi: τοῦτο ποιῶν, ſcite & emphatice interpretatus eſt. 5) גֶּחָלִים אַתָּה חֹתֶה recte a Paulo & LXX. translatum eſt: ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις. Licet enim חָתָה proprie ſignificet *accipere*, adeo-

que אַתָּה חֹתֶה vertendum fuiſſet: *tu accipiens eris*, hoc ipſum tamen verbum, ubi conſtructum reperitur cum partic. עַל, uti hic, aliud verbum includit, atque per: *accipiendo ponens*, *ſeu coacervans* eris, exponendum eſt. Quæ figura grammatica alias vocatur *Syntheſis*, ſeu *Metalepſis*. Exempla videantur in GLASSII *Phil. S. p. 747. ſ.*

§. V.

Quid per גֶּחָלִים, *prunas*, ſeu *carbones*, h l. intelligendum ſit, diſſentire video Interpretes. Sunt a) qui interpretantur *in malam partem*, per *carbones* ſeu *prunas* intelligentes *iram Dei* ejusque *pœnas*, ut ſenſus ſit: Inimico lædenti non ſolum malum malo non rependendum, ſed potius benefaciendum eſſe, quia ſic pœnas ejus in judicio Dei *cumulemus*. Ita e PP. ORIGENES, CHRYSOSTOMUS, THEODORETUS, THEOPHYLACTUS, qui ita: *vis magnifice ulciſci inimicum tuum? Accumula in illum beneficia: Sic enim futurum eſt, ut atrocius a Deo puniatur*; ex recentioribus BEZA, GROTIUS, CAMERO, LIMBORCHIUS, CLERICUS aliique. Commendabilem reddunt hanc ſententiam ſequentia: α) *nexus* cum præcedd. quibus verſus 20 per particulam illativam οὖν ſubjungitur. Dixerat Apoſtolus v. 19. vindictam Deo relinquendam eſſe, nunc infert v. 20. hoſti *ergo* benefaciendum potius eſſe, quia ſic eo magis exaſperaturi ſimus adverſus eum vindictam divinam, ſi benefactis noſtris emendari ſeſe haud patiatur. Hac ratione τὸ οὖν vim ſuam nativam retinet, cum e contrario vix perſpici queat, quomodo Apoſtolus ex eo, quod nemo ſe ipſum ulciſci, ſed ultionem Deo relinquere debeat, inferre potuerit, hoſtem beneficiis oppugnandum eſſe, ut pœnitentia ductus in gratiam nobiscum redeat. β) Ipſe phraſeos *de carbonibus ignis* in ſcriptura uſus. In hac enim, inquiunt primæ hujus ſententiæ patroni, *carbones ignis* nunquam pœnitentiam aut charitatem, ſed ſemper pœnas peccatoribus a Deo rrogandas ſignificant, e. g. Pſalm. XVIII. 9. *aſcendit fumus in ira ejus, & ignis ex ore ejus conſumſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Pſalm. CXL. 11.* cadant ſuper eos *prunae*, ſeu carbones, ſcilicet de cœlo, ut *Chaldaeus* addit, h e pœnæ horribiles & lethiferæ 4. *Esdr. C. XVI. 54. der Sünder ſoll nicht ſagen, daß er nicht geſündiget habe: denn* feurige Kohlen *werden brennen* auf deſſen Haupt, *welcher da ſaget: ich habe nicht geſündiget für Gott dem HErrn und ſeiner Herrlichkeit.* Sicque etiam alibi Metaphora ſumitur non ab uſu, quem pœnæ

pœnæ seu carbones habere queunt, bono ac optabili, sed noxio ac tristi, Prov. VI. 28. XXVI. 21. Hiob. XLI. 12. Psalm. CXX. 5. γ) Dubio, a parte adversa moto, quod scil. charitati, & præcepto de diligendo inimico, repugnet, id spectare in suis erga eundem beneficiis, hocque pro scopo habere, ut cumuletur ei vindicta apud Deum, sic videtur occurri posse, ut dicatur, δ) intelligenda esse hæc verba non *intentionaliter*, sed *eventualiter*, h. e. non quidem asseri, quod proprie *eo fine* benefaciendum sit inimico, ut cumuletur ei vindicta apud Deum, sed simpliciter hoc, quod ei benefaciendum sit quamvis inimico, nec tamen is nostro beneficio evasurus sit ultionem, sed gravius puniendus, eo quod nec beneficiis affectus ab odio destiterit. ε) Non alienum esse a scriptura, ut justi adversum impios & persecutores expetant & exspectent vindictam a Deo, Luc. XVIII. 7. 2 Tim. IV. 14. Apoc VI. 10.

§. VI.

His tamen non obstantibus *alii* b) præferendam putant interpretationem *in bonam partem*, qua *collectio carbonum ignis super caput inimici* exponitur de beneficiorum, quibus a læso afficitur, *effectu salutari*, pro diversa vi carbonum, vel *urendi*, vel *emolliendi*, vel *inflammandi*, vel *fovendi*, vel *recreandi*, item diverso. *Aliqui* eum α) in *pœnitentia* potissimum ponunt, quæ per beneficia nostra in animo inimici producatur, quando istis, velut carbonibus ignitis, *uritur*, ut eum pudeat malitiæ suæ. Ita AUGUSTINUS *de Doctr. Christ. L. 3. C. 16.* carbones ignis interpretatur *urentes* pœnitentiæ gemitus. Pertinent huc etiam ea, quæ MARTINUS DE ROA, *Singularium P. II. L. I. C. XC. p. 120. 128.* affert de *igneo* vultus, pudore suffusi, *rubore*, item de *cineribus*, (quibus carbones immisti esse solent) *super capita sparsis a pœnitentibus. Alii* β) effectum *emolliendi & liquefaciendi* potius attendendum esse existimant, ut sensus sit: Beneficentia tua animus inimici non minus *emollietur*, quam si collecto igne corpus aliquid durum liquefaceremus. Ita VORSTIUS. Plenius autem hanc metaphoram exponit HAMMONDUS *in Paraphr. hujus loci: Si beneficiis*, inquiens, *oppugnaemus inimicos, tandem illis mitescent & emollientur, quamlibet duri & contumaces: sic, cum artifex, qui metalla tractat, non potest ea liquefacere, igne latino subjecto, ardentes prunas iis imponit, qua arte difficillima liquefactu, tandem liquefacit.* Nec γ) longe abeunt *illi*, qui in explicanda hac Metaphora vim *succendendi* seu *inflammandi* maxime respiciunt,

& collectionem prunarum ignis ſuper caput inimici denotare exiſtimant eum amoris erga inimicos effectum, quo animus illorum *accenditur* ad redamandos benefactores ſuos, malum bono rependentes. Sic BEDA, EM. SAA, MARIANA, MENOCHIUS. *Alii* δ) trinum hunc carbonis igniti effectum, hactenus memoratum, conjungunt, & cum his & *nos* facimus, ſecuti poſt Latinos Patres, a MARCKIO allegatos, *in Syll. Diſſ. Philol. Theol. p. 790. ſſ. Marckium* ipſum, CALOVIUM, WOLFIUM, BENGELIUM &c.

§. VII.

Militat pro hac ſententia ϰ) quod non modo *nexus* c) cum *praecedd.* hanc interpretationem *admittit*, ſed etiam *nexus* cum *ſubſequentibus* illam omnino *requirit*. *Admittit* illam nexus cum præcedd. Monuerat Paulus v. 19. Chriſtianos non debere ſe ipſos ulciſci, ſed locum dare iræ divinæ, quia ſcriptum ſit: *mea eſt ultio, ego rependam*; atque hinc jam prono fluit alveo, cum Dei ſit, ulciſci, isque injurias ſuis illatas ſe ulturum eſſe promiſerit, Chriſtianos interea adeo non involare debere in jura Dei, ut

c) *Noſter* urget nexum ſermonis apoſtolici: quomodo vero etiam nexus verborum apud Salomonem eandem ſententiam commendet, legere eſt *im Engl. Bibelw.* ad h. l. Depromimus inde ſequentia tantum *S. R. D.* DIETELMAIERI verba: not. 272. *Salomo kann unmöglich etwas geſagt haben, welches mit dem Inhalt der geoffenbarten Sittenlehre augenſcheinlich ſtreitet. Er ſtellet hier den Erfolg des anbefohlenen wohlthätigen Verhaltens gegen den Feind für, damit er uns als ein Bewegungsgrund zur Ausübung ſolches Verhaltens diene. Es iſt eben ſo viel, als ob er ſpräche: Erweiſe ihm ſolche Liebe damit du feurige Kohlen auf ſein Haupt ſammleſt. Hieſſe nur das ſo viel: damit du ihn deſto mehr erbitterſt, damit du ſeine Schuld dadurch vergröſſerſt, damit du die Rache Gottes über ihn beſchleunigſt, damit du deinem eigenen Zorne unter dem Schein der Gottſeligkeit eine Zeitlang Raum gebeſt u. d. m. Wie gar weit wäre diß von den Regeln der Sittenlehre entfernt, die uns Gott in ſeinem Wort vorſchreibt?* De phraſi ipſa mox hæc ſequuntur: *Hat ſich zum Theil je einige Dunkelheit in dieſen Ausdrüken gefunden, ſo ſind wir es doch ſchon gewohnt, daß uns manche Redensarten dunkel bleiben, wann ſie zumal auf alte und nicht mehr bekannte Sprüchwörter zielen. Wir begnügen uns aber ſonſt damit, daß wir durch ſichere Beſtimmungsgründe wenigſtens das Allgemeine, und die Hauptſache, ſo damit geſagt werden ſoll, herausbringen, ob wir wohl von den gewählten Ausdrüken ins beſondere nicht Rechenſchaft geben können.* Hæc ſapientiſſime dicta ſi ante oculos habuiſſent Interpretes, non tantum moleſtiæ ipſis creaſſet phraſeologiæ hujus ſine dubio adagialis explicatio. Forſan illa *per ſe* plus non involvit, quam neceſſitatem aliquam, *du wirſt deinen Feind ins äuſſerſte Gedränge bringen*; & adiges, ut pudore confuſus, & pœnitentia compunctus, non poſſit non aliam erga te mentem induere, & moribus uti prioribus plane oppoſitis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0068
DFG

ut potius facere debeant, *quod suarum est partium*, scilicet amare hostes suos, & nil non tentare ad lucrandum eos. Sic omnino justa est illatio Apostoli, & particula ἄν vim suam retinet. Quodsi autem vel maxime nulla hic ostendi posset justa illatio, τὸ ἄν non quidem redundare censendum, sed tamen pro particula non causali, sed *ordinis* habendum foret, ut *transitioni* tantum inserviat, quemadmodum v. g. Joh. IX. 18. 1 Cor. XIV. 23. Conf. לָכֵן *idcirco* Hos. II. 14. adde GLASSII *Phil. S. p. 1132.* Uti vero h. m. nexus cum antecc. nostræ sententiæ non adversus est, ita *nexus cum subsequentibus* interpretationem in bonam partem plane *requirit*; nam quemadmodum v. 21. *vinci a malo* idem est, quod in antecc malum malo rependere, & seipsum ulcisci, ita in eodem, *vincere malum bono*, respondet, *collectioni carbonum super caput inimici*, adeoque hæc nil aliud denotat, quam eum beneficentiæ nostræ effectum, quo inimicus resipiscens noster amicus fit.

§. VIII.

b) Argumentum hoc est: si Apostolus per carbones ignitos in caput inimici colligendos innueret iram divinam ejusque pœnas, tum beneficentiam erga inimicos commendare censendus foret *e damno*, quod in eos ex illa redundat. Atqui hoc alienum est a genio N. T. & ab indole renatorum evangelica, benefacere aliis hoc animo & scopo, ut beneficia illis vergant in perniciem. Egregie *S. R. D.* SEMLERUS *in Paraphrasi p. 174. Sic Christianos quasi ex infortunio inimici consolaretur Paulus.* Nec distinctio inter *finem* & *eventum* rei huc quadrat; nam Apostolus aperte hanc collectionem carbonum super caput inimici proponit ut argumentum movens ad bene faciendum, adeoque & ut finem ac scopum in benefaciendo; si autem beneficentiam commendat ab effectu inimicis pernicioso, pollicem sane premit iis, qui jam AUGUSTINI temporibus hoc dicto abusi sunt, & quorum mentem sic exponit *Serm. 168 de Temporibus:* solent nonnulli hoc præceptum quasi ad satiandum furorem suum assumere; dicunt enim apud se: Ecce cibo inimicum meum, *ut ardeat in aeternum.*

§. IX.

3) Nulla est consequentia ab iis scripturæ locis, ubi ira Dei ejusque pœnæ sub imagine carbonum ignis occurrunt, v. g. Psalm. CXVIII. & CXL. ad nostrum locum, ubi coacervatio carbonum ignis super caput impiorum immediate adscribitur benefactoribus eorum; Locus autem e 4. Esr. C. XVI. 54. citatus æque exponi potest de angoribus conscientiæ expergefactæ, ac de ira divina: BENGELIUS certe de istis accipit *in Gnom. ad h. l.* ac eatenus nostræ potius sententiæ favet, secundum quam Apostoli mens hæc est; si benefacias hosti tuo, beneficia tua ipsi collata erunt instar carbonum capiti illatorum, quibus ipse uretur in conscientia sua, ita ut *intolerabile* ipsi futurum sit, sibi malefactorum tantummodo conscium esse, & tamen beneficiis abs te affici: Isque hoc pacto exinimico tibi amicus fiat, & qui odio prius arserat erga te, postea amore ardeat.

§. X.

In hac expositione, quæ sua se simplicitate commendat, adquiescere malim, quam FRANZII illam in *Tr. de Interpr. Script. S. p. 432. f.* aut MAJI *in Obs. SS. L. 4. p. 91.* utramque satis quidem ingeniosam, sed minus solidam, & longius quæsitam adoptare; FRANZIUS c. l. in verbis Salomonis & Pauli respici putat illum prunarum usum in vita communi, quando caput vel alia membra post lotionem calore istarum tum siccantur, tum *foventur* ac suaviter *demulcentur*, secundum illud Jesai. XLVIII. 17. *non sunt prunae, quibus calefiant.* Atque sic h. l. innui censet, inimicum ex beneficiis nostris sensurum esse peculiarem suavitatem. Verum recte judicat B. GEIERUS ad h. l. utut apte satis hæc quadrent de pruna seorsim dicta; attamen, si phrasin sumas integram, carbones congerere super alicujus caput, dissonum evadet, quod prius arridebat. Idem sentiendum de expositione MAJI, qui alludi heic putat ad illam orientaliam populorum consuetudinem, qua peregrinos, præter alia honoris indicia, *fumo excipere*, i. e. arabicos, in usum honoremque illorum, odores accendere sueverint, atque hæc thymiamata, quia sequebantur *cibos* jam appositos, hinc & ultimo heic loco factam esse existimat carbonum mentionem, ut humanitatis officium compleretur. Quæ sane nimis

nimis longe quæsita esse nemo non videt; & quid est, notitia antiquitatum abuti, si hoc non est?

§. XI.

Expositis hucusque sententiis duabus præcipuis, tertiam quoque vel verbulo tetigisse sufficiet; sunt nimirum, qui interpretationem in *malam* & *bonam* partem conjungunt, & locutionem apostoli metaphoricam de carbonibus in caput inimici collectis *alternative* vel de effectu *bono* in iis, qui resipiscunt, vel de *malo* in iis, qui in odio suo pertinaciter perseverant, exponunt, ut CALVINUS, PAREUS, CATWRIGHTUS, GEIERUS; sed non putem, Spiritum S. duplicem hunc sensum intendisse.

§. XII.

Jam pergimus in textu: 6) עַל־רֹאשׁוֹ recte translatum est: ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ· & ridiculum sane mysterium in vocula *rosch* h. l. quærit MART. DE ROA, loco supra cit. p. 118 quum ex eo, quod illa quoque significet *fel* & *venenum*, colligit, verti etiam hæc verba potuisse: Prunas aggerabis *super fel* aut *venenum* ejus, h e. super amaritudinem odii atque irarum acerbitatem, quam & ille habet, & aliis affert, ut proinde sensus sit: charitatis & beneficentiæ flammis irarum ignes absorbebis, extingues; ignem igne, velut clavum clavo, extrudes. Hæc recitasse est refutasse.

§. XIII.

7) Verba textus hebræi: לְךָ יְשַׁלֵּם יְהוָה, quæ LXX. reddiderunt: ὁ δὲ κύριος ἀνταποδώσει σοι ἀγαθά. Paulus plane omisit, sine dubio hanc ob *causam*, quia, ut seqq. docent, non jam id agebat, ut ostenderet, quomodo Deus piorum beneficentiam erga hostes, ipsis remuneraturus sit, sed quis ejus effectus futurus sit apud hostes ipsos? & hoc *fine*, ut sententiæ v. 20. & 21. eo melius, nulla alia interpellante, cohærerent.

§. XIV.

§ XIV.

Reſtat, ut II) de *Applicatione* nonnihil adjiciamus. Si *Socinianos*, e. g OSTERODUM *in Inſt. Rel. Chriſt. C. 27. p. 137.* & GROTIUM, hac etiam in parte ſociñizantem, *in Annot. ad Rom. XII. 20.* audiamus, id, quod apud Salomonem nonniſi *conſilium* eſt, apud Paulum vim *praecepti* induit; ſed OSTERODUM refutavit SPANHEMIUS *in Dub. Evang. P. III. num 128. p. 679.* & GROTIUM CALOVIUS *in B. J. ad h. l.* Rom. XII. nec favet illi TERTULLIANUS *contra Scapulam*, *amicos*, inquiens, *diligere omnium eſt, inimicos autem ſolorum Chriſtianorum;* non enim *Chriſtianos* hic opponit fidelibus V. T. ſed generatim irregenitis tam V. quam N. T. Præceptum de diligendis inimicis in V. T. exſtat Exod. XXIII. 4 ſ. Lev. XIX. 18. Exempla 1 Sam. XXIV. 18. ſ. XXVI. 21. 2 Reg. VI. 22. 23. 2 Chron. XXVIII. 15.

XCV. AL-

XCV. ALLEGATVM.

ROM. XIV. 10. 11.

Πάντες γὰρ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ· γέγραπται γάρ· ζῶ ἐγὼ, λέγει Κύριος· ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ

JES. XLV. 23.

בִּי נִשְׁבַּעְתִּי יָצָא מִפִּי צְדָקָה דָבָר וְלֹא יָשׁוּב כִּי־לִי תִכְרַע כָּל־בֶּרֶךְ תִּשָּׁבַע כָּל־לָשׁוֹן׃

VERSIO LXX.

Κατ' ἐμαυτοῦ ὀμνύω, εἰ μὴν ἐξελεύσεται ἐκ τοῦ στόματός μου δικαιοσύνη, οἱ λόγοι μου οὐκ ἀποστραφήσονται· ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, καὶ ἐξομολογήσεται πᾶσα γλῶσσα τῷ Θεῷ.

§. I.

Curate hic I) *conferendus* eſt textus græcus cum hebræo. 1) Primum oraculi membrum: בִּי נִשְׁבַּעְתִּי וְלֹא יָשׁוּב, LXX. ſic reddiderunt: κατ' ἐμαυτοῦ ὀμνύω, εἰ μὴν (vel ut alii Codices habent: εἰ μή) ἐξελεύσεται ἐκ τοῦ στόματός μου δικαιοσύνη, οἱ λόγοι μου οὐκ ἀποστραφήσονται. Paulus autem per compendium, & ita ut exegetam ſimul agat, h. m. ζῶ ἐγὼ, λέγει κύριος quaſi legiſſet formulam jurandi alibi obviam: חַי אֲנִי אֲמַר יְהוָה

§. II.

Expendamus A) textum hebraicum. a) בִּי נִשְׁבַּעְתִּי, (quæ phraſis etiam occurrit Gen. XXII. 16. Jer. XXII. 5. XLIX. 13.) LXX. exacte reddiderunt: κατ' ἐμαυτοῦ ὀμνύω, *per me ipſum juro.* Eſtque hoc α) *Deo privum* ac *proprium*, *jurare per ſeipſum*, cum homines contra jurare debeant

per majorem, Hebr. VI. 13 16. Qui enim per ſeipſum jurat, is eo ipſo profitetur, ſe *non habere ſuperiorem*, quem, conſueto jurantium more, teſtem invocet, ac judicem. Atqui hoc ſoli Deo competit. Qui per ſeipſum jurat *is eas perfectiones*, quas major, per quem homines jurare tenentur, poſſidere debet, a *ſe ipſo poſſideri prodit*, ſe ſcil. omniſcium eſſe & omnipotentem, ſummumque omnium perjuriorum vindicem, a cujus tribunali non liceat ad aliud appellare. Qui per ſeipſum jurat, is *exiſtentiam habet prorſus neceſſariam*, unde fit, ut dum jurando res contingentes cum naturæ ſuæ neceſſitate conjungit, illæ quoque certæ ac neceſſariæ reddantur. Deus autem ſolus neceſſario exiſtit. Qui per ſeipſum jurat, is ſibi vendicat voluntatis conſiliorumque ſuorum immutabilitatem. Ideo enim homines per Deum jurant, quia proni ſunt ad mutandam mentem, atque reſcindenda voluntatis ſuæ decreta, unde voluntas & conſilium eorum mutabile per aliquid, quod omnis expers mutationis eſt, firmari obſtringique debet, quo minus ea in re vacillet. Imo propter illam ipſam mutabilitatem conſilii poſtulatur ab illis juramentum. Qui igitur per ſeipſum jurat, is ſe in ſeipſo ἀμετάθετον τῆς βουλῆς poſſidere oſtendit, Hebr. VI. 17. Qui per ſeipſum jurat, is, ut ſit prima ac ſumma *veritas*, neceſſe eſt: idcirco enim homines, quando eorum veritas in dubium vocatur, jurando recurrunt ad Deum, primam ac ſummam veritatem. Quisquis igitur per ſe jurat, is ſe non opus habere docet, ut fidelitati ſuæ aliunde auctoritatem conciliet, quia ipſe eſt prima & ſumma veritas. Atque hinc β) ſponte conſequitur, Deum per ſe non opus habere, ut jurejurando dictis ſuis fidem faciat: cum enim in ſe ſit veraciſſimus, 1 Sam. XVII. 29. Pſalm. XXXIII. 4. ac neque umquam falli neque fallere poſſit, unde ne ſuſpicio quidem mendacii propter ſummam ejus ſanctitatem in ipſum cadit: omnia ejus aſſerta, ſi veritatem eorum ſpectes, *juramenti* æquipollent Dum ergo jurat, nonniſi per admirandam ad noſtram infirmitatem συγκατάβασιν id facere cenſendus eſt. γ) *Forma* autem ac indoles juramenti divini conſiſtit in emphatica confirmatione, quam Deus promiſſionibus ſuis addit, ut fiduciam noſtram erigat, nomen ſuum interponens, ſuæque divinitatis mentionem faciens, quo firmiter credamus, æque immutabile eſſe id, quod dicit ac promittit, quam immutabilis eſt eſſentia ipſius

§. III.

§. III.

Sequitur in textu b) יָצָא מִפִּי צְדָקָה דָּבָר וְלֹא יָשׁוּב; α) multi Interpretes vocabula צְדָקָה דָּבָר, ut in *ſtatu conſtructo* poſita conſiderant, ideoque vertunt *verbum juſtitiae*; ſed repugnant leges grammaticæ; nam voces צְדָקָה דָּבָר, epoſita etiam punctatura maſorethica vocabuli דָּבָר, quod habet puncta *ſtatus abſoluti*, reddi nequeunt, *verbum juſtitiae*, quia præcedere deberet in hebræo vox דָּבָר, & צְדָקָה poſitum eſt in ſtatu abſoluto, nec proinde conſtrui poteſt cum דָּבָר. Factum hinc, ut *Chaldaeus* verteret: prodiit ex ore meo *in juſtitia* verbum, &, poſt JUNIUM ac TREMELLIUM, PISCATOR, prodiit ex ore meo *juſte* verbum, צְדָקָה accipientes pro בְּצְדָקָה. Conf. quæ in *Alleg.* Rom. IX. 27. diximus ad vocem צְדָקָה. T. II. p. 244.

§. IV.

Aliis vero rectius videtur צְדָקָה nomen ſubſtantivum eſſe abſolute poſitum, & דָּבָר ad ſeqq. pertinere, & plane concinit verſio LXX. vir. δικαιοσύνη — οἱ λόγοι &c. Sic VITRINGA, nec obſtat, א) quod fœminina צְדָקָה h. m. non reſponderet verbo יָצָא, quod eſt terminationis *maſculinae*; utique enim etiam ſub צְדָקָה ſubaudiendum eſt דָּבָר, & דָּבָר צְדָקָה *verbum juſtitiae*, omiſſa heic voce דָּבָר, quia propheta mox in altero membro illam adhibiturus erat. ב) Nec hoc obſtat, quod ſequens וְלֹא non patiatur דָּבָר conſtrui cum iis, quæ ſequuntur; nam præfixum *Vav*, ut alias ſæpiſſime, ita & hic in וְלֹא ſuſtinet vicem pronominis *relativi*, ut ſenſus ſit: verbum, *quod* non revertetur. Cf. GLASSII *Phil. S. p. 722. Can. XV. & p. 1195. init.* Integra ergo ſententia hæc eſt: Prodiit ex ore meo *juſtitia* (h. e. verbum *juſtitiae*) verbum, quod non revertetur; צְדָקָה autem, ut alibi, ita & hic notat *veritatem*: prodiit ex ore meo *veritas*, ſeu *verbum veritatis*. Ita ſane ABEN ESRA exponit: inquiens, הַמְשֻׁעָם דָּבָר אֱמֶת ſenſus eſt: *verbum veritatis*. β) וְלֹא יָשׁוּב, *& non revertetur*, duo ſignificat: א) Verbum veritatis, quod ſemel prodiit ex ore Dei, *non revocatum iri*, eſſe decretum curiæ cœleſtis *irrevocabile*; quæ enim *revocantur* decreta, ea *revertuntur* ad auctorem ſuum, nec præſtant aliis, quod promiſſum erat. Sicque phraſis hæc ב) ſimul id involvit; verbum hoc non fore *irritum & ſine effectu*, ut v. g. Legati revertuntur re infecta. Hæc de primo textus hebræi membro.

§. V.

Jam diſpiciamus B) quomodo conciliari cum iſto poſſit textus *graecus*? a) *generatim* notandum eſt, Paulum hic paraphraſtam magis, quam metaphraſtam egiſſe, & ſenſum potius, quam verba reſpexiſſe, in quo ſane adeo nihil eſt vitii, ut eidem potius gratiæ habendæ ſint, quod textum ſubobſcurum tam ſuccincte & clare explicaverit, ut res, remoto verborum involucro, mox in oculos incurrat. Quod b) *in ſpecie* attinet α) verba: בִּי נִשְׁבַּעְתִּי, quæ cum LXX. proprie vertenda fuiſſent: κατ' ἐμαυτοῦ ὀμνύω; Apoſtolus loco illorum ponere maluit conſuetam illam *jurandi formulam* חַי אֲנִי, ζῶ ἐγώ, qua Deus, per ſe jurans, uſus eſſe in Scriptura S. paſſim legitur; optime enim h. m. exprimitur, quid ſibi velit phraſis illa: *juro per meipſum?* א) חַי אֲנִי verti poteſt *vita ego & vivo ego.* Subintelligitur etiam τὸ לְעוֹלָם, quod expreſſe additur Deut. XXXII. 40. Homines ſcilicet *per majorem jurantes*, dicere ſolent: *Quam vivus eſt Jehovah*, Ruth. III. 13. 1 Sam. XIV. 39. 45. & alibi ſæpiſſime. Atque hæc formula nil aliud ſibi vult, quam hoc: tam hoc verum eſt, quam verum eſt, Jehovah vivere, ſeu exiſtere. Deus autem ſuam ipſius vitam jurando interponit, dicens: *Quam ego vivus ſum, inquit Jehova.* Prima vice hæc formula occurrit Num. XIV. 21. 28 ac deinceps ſæpius, Jeſ. XLIX 18. Jer. XX. 24. XLVI. 18. Zeph. II. 9. frequentiſſima inprimis eſt in Prophetia Ezech. ubi ſexies decies habetur; eſt nimirum *vita Dei* reipſa nil aliud, quam *eſſentia* ejus, quatenus concipitur a nobis tanquam *a ſe ſumme actuoſa.* Quum igitur Deus dicit: *quam vere vivo*, per mirabilem condeſcenſum id dicit: non ero verus ac vivus Deus, vel patiar, ut omni divinitate exutus, in numerum idolorum, natura ac vita divina carentium, detrudar, ſi res aliter ſe habuerit, quam dixi, vel ſi non ſtetero promiſſis. Cum autem fieri non poſſit, ut Deus divinitate ſua exuatur, fieri etiam non poteſt ut ea in re mentiatur; ſicque Deus, per vitam ſuam jurans, res per naturam non neceſſarias cum neceſſitate vitæ ſuæ connectit, h. e. plane neceſſarias facit.

§. VI.

At, inquis β) Deus etiam *per alia* jurat, quam per vitam ſuam. Reſp. Etiam hæc non minus, quam vita, ad eſſentiam ejus pertinent; quando per *animam ſuam* jurat Jer. LI. 14. idem hoc eſt, ex indole he

bræ

brææ linguæ, ac *per ſeipſum*, quemadmodum v. v. *Syrus* Hebr. VI. 13. ὤμοσε καθ' ἑαυτοῦ reddidit: *per animam ſuam*; quando jurat *per nomen ſuum illud magnum*, Jer. XLIV. 26. nomen hoc omnes eſſentiæ divinæ perfectiones, per quas ille nobis innoteſcit, complectitur; quando jurat *per dextram ſuam*, & *per brachium roboris ſui*, i. e. *per omnipotentiam ſuam*, Jeſ. LXII. 8. & *per ſanctitatem ſuam*, Pſ. LXXXIX. 37. Amos. IV. 2. itidem *per ſeipſum* juraſſe cenſendus eſt; omnipotentia enim & ſanctitas Dei quid aliud ſunt, quam ipſa ejus eſſentia omnipotens atque ſanctiſſima? optime ergo hebræo בִּי נִשְׁבַּעְתִּי reſpondet græcum ζῶ ἐγώ.

§. VII.

β) Reliquis verbis in textu hebr. יָצָא – יָשׁוּב, reſpondet in græco: λέγει κύριος. Quæ enim *Dominus* (ſeu Jehovah, cui nomini in græco reſpondere ſolet nomen κύριος) *dicit*, *veritas ſunt*, eaque *immutabilis*. Quoties certe Deus formulæ: חַי אֲנִי, ſuum נְאֻם יְהוָה, ſubjicit, ut Gen. XXII. 16. id ipſum ſemper innuere voluit, quod in noſtro loco exprimitur verbis: יָצָא – יָשׁוּב.

§. VIII.

Conciliato jam utroque textu quoad prius membrum, pergimus 2) ad *alterum* membrum כִּי לִי תִכְרַע כָּל – בֶּרֶךְ תִּשָּׁבַע כָּל – לָשׁוֹן, quod in græco ſic expreſſum legimus: ὅτι ἐμοὶ κάμψει — ἐξομολογήσεται τῷ θεῷ. Quod A) ad *hebraea* ſpectat, notandum eſt, a) particulam כִּי h. l. non eſſe *cauſalem*, quo ſenſu notaret, *quia*; ſed ſimpliciter notam ſtili *relativi*, ſententiæ ſequenti præfigi ſolitam, ut græcorum ὅτι; τὸ כִּי occurrit Gen. IV. 23. 24. Jer. II. 35. 1 Sam. XIV. 39. Interpretes quidem nonnulli hujusmodi in locis ei tribuunt uſum *aſſertivum*, & patimur ſane in aliquibus id fieri, ſed ubi juramentum præceſſit, nulla opus eſt ampliore aſſeveratione. b) לִי תִכְרַע כָּל – בֶּרֶךְ, *mihi curvabitur omne genu*, notat actum humillimæ adorationis; erat enim in more apud veteres, ſe proſtraturos religioſe coram Deo, & civiliter etiam coram Regibus ac Dominis (qui ritus הִשְׁתַּחֲוָיָה dicitur) prius *procumbere* in genua, indeque *corpus inflectere ad pedes* ejus, quem adorabant: quo ipſo ſignificabant, ſe in perſona ejus, cui hunc honorem exhibebant, agnoſcere ſummum jus, poteſtatem ac arbitrium in ſe & omnia ſua. Hoc loco per metonymiam ſigni pro ſignato *genuflexio* denotat cultum, adorationem, invocationem & ſupplica-

cationem religiosam; cf. Ps. XCV. 6. Rom. XI. 4. c) תִּשָּׁבַע כָּל־לָשׁוֹן, *jurabit omnis lingua*, scilicet *mihi*; τὸ לִי enim ex antecc. etiam hic subaudiendum est. PAGNINUS & MUNSTERUS לִי תִּשָּׁבַע vertunt: *per me, seu per nomen meum, jurabit omnis lingua*: sed rectius VITRINGA statuit, diversam esse hanc locutionem ab altera ista, qua quis *per Deum* jurare dicitur. Neque enim hic, ut antea, dicitur בְּ, *per me*, sed לִי, *mihi*, & justa sane est suspicio, Spiritum S. non sine causa sermonem suum aliter nunc instruxisse. Desumta est haec posterior loquendi ratio a *subditis*, regi suo fidem & obsequia jurejurando obstringentibus, quo sensu illa occurrit apud Prophetam nostrum C. XIX. 18. licet LUTHERUS verterit, *schwören* bey *dem Herrn Zeb.* cf. 2 Chron. XV. 14. Aliis verbis describitur hoc homagium Jes. XLIV. 5.

§. IX.

Jam videndum B) quomodo textui hebraeo hactenus exposito respondeat versio graeca: ὅτι πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ quae ad verbum e LXX. virali sua fecit Apostolus Paulus, si quidem lectio: καὶ πᾶσα γλ. ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ, genuina sit, nec potius alteri isti: καὶ ὀμεῖται πᾶσα γλῶσσα τὸν Θεὸν, e Nov. T. substituta. a) תִּכְרַע recte vertitur κάμψει, si hoc verbum non ἀλλοπαθῶς, sed αὐτοπαθῶς sumatur h. e. in sensu reciproco, *flectet se*; ut etiam Phil. II. 10. b) Quando post γόνυ in exemplaribus quibusdam legitur, ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, manifeste haec irrepserunt ex Phil. II. 10. neque enim haec legerunt *Codices* melioris notae, neque *Syrus*, neque *Arabs*, neque ORIGENES, neque CHRYSOSTOMUS, neque OECUMENIUS. c) Quum verbum תִּשָּׁבַע, *jurabit*, Paulus interpretatur ἐξομολογήσεται, *confitebitur*, notandum est α) nil vitii inesse huic versioni; homagium enim, quod hebraeum תִּשָּׁבַע innuit, nil aliud est, quam ὁμολογία, seu ἐξομολόγησις, qua quis palam *profitetur*, Christum esse suum Dominum ac Regem; cf. 2 Cor. IX. 13. ὑποταγὴ ὁμολογίας εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ· β) *Deo confiteri*, ut alibi saepissime, tam in V. quam N. T. ita & hic significat, eum ipsi honorem tribuere, qui ei competit, tamquam supremo Domino ac Regi. cf. Phil. II. 11. qui locus indubie hoc oraculum Jesaianum respicit. Aberrat igitur a scopo Apostoli ER. SCHMIDIUS, quando objectum confessionis facit *reatum* confitentis, de quo & seq. v. 12. sermo sit. d) Cum Paulus post LXX. addit: τῷ Θεῷ, optime sic exprimit τὸ לִי, etiam in altero hoc oraculi membro ex praecc. subaudiendum, ut

ut antea monuimus. Atque sic utrique textui sua jam constat harmonia!

§. X.

Supereſt II) ut demus quoque vindicias *applicationis*. 1) Toto hoc Cap. XIV. ad Rom. in eo eſt Apoſtolus, ut inter Judæos & gentiles, qui ad Chriſtum convenerant, pacem ſtabiliat, eorumque mutuis condemnationibus propter res in arbitrio hominis poſitas, obviam eat. Leges V. T. enim de cibis licitis ac illicitis, altas in animo Judæorum radices egerant, utpote quarum obſervantiæ a teneris aſſueti erant; gentiles contra nihil harum rerum curabant, quippe a teneris aſſueti omnibus cibis promiſcue edendis, indeque unus nimiam libertatem, alter vero nimiam anxietatem circa res cibarias alteri exprobrabat. Quæ cum ita ſe haberent in eccleſia primitiva, ac multum Apoſtolos exercerent duo iſta hominum genera, monet heic Paulus, neminem alterum hac in parte judicare, ſed Deo potius judicium committere debere, *quoniam ante tribunal Chriſti omnes homines ſiſtendi ſint*. Atque hoc poſterius aſſertum probat oraculo Jeſaiano, hactenus diſcuſſo.

§. XI.

Quæritur autem jam 2) num Apoſtolus recte illud adhibuerit ad probandam iſtam aſſertionem ſuam? Num Chriſtus revera *is* ſit, qui in hoc oraculo loquitur? & num illud agat de judicio univerſali? *Sciniani* in *Catech. Racov.* p. 135. hunc locum Jeſaiæ iis accenſent oraculis, quæ in V. T. de *uno illo Deo Iſraelis* edita fuere, in N. autem Teſt. ad *Chriſtum* per *alluſionem* quandam accommodantur; SCHLICHTINGIUS præcipue *in Diſp. de Trin. adv Meisnerum p. 145.* urget, accommodari dicta quædam de ſummo Deo loquentia, ad Chriſtum, non quod is Deus ſit ſummus, ſed quod vel Deo ſummo ſit ſimilis. vel in iis, de quibus dicta hæc agunt, ab ipſo dependeat, illiusque perſonam ſuſtineat. Ut vero evincant, Deum Patrem apud Jeſaiam loqui, *non Chriſtum*: provocant ad formulam Paulinam: λέγει κύριος, quæ doceat, non Chriſtum, ſed ſupremum rerum omnium Dominum h. l jurare per vitam ſuam, fore, ut omnes homines, coram Chriſti tribunali aliquando comparituri, *ſibi* genua flectant; atque hinc conficere conantur, Paulum hoc tantummodo velle, omnes homines coram tribunali Chriſti comparituros, ibique genua, *non Chriſto*, ſed Deo Patri, tanquam ſummo Deo, flexuros

ros esse. Longius adhuc aberrat GROTIUS, quando non tantum cum Socinianis Deum Patrem apud Jesaiam loqui contendit, sed etiam oraculum ipsum plus haud dicere existimat, quam quod de plurimis gentibus futuri sint aliqui, qui veniant invocatum Deum verum in ambitu templi, ut Salomo prædixerat 1 Reg. VIII. 41. ac præterea multi etiam domi Deum verum culturi sint, ut Naaman fecerat.

§. XII.

His cogitatis nos opponimus sequentia: a) Paulum hic Jesaiæ verba non accommodare tantum ad rem præsentem, sed proprie loco probationis adhibere, manifeste docet formula: γέγραπται γάρ. Si autem scopo probandi illa adduxit, nec tamen Spiritus S. eandem cum ipso intentionem habuit, abutitur sane S. S. & lectoribus illudit, dum ad testem provocat, qui, si adjuretur, altum silet, & alia potius omnia dicit, quam ad quæ dicenda erat productus. d) b) Non alium, nisi *filium Dei* apud Prophetam loqui, demonstratum dabit CALOVIUS *in B. J. ad Jesai.* & RAMBACHIUS *in Exerc. hermen.* p. 410. c) Cum Paulus interserit verba: λέγει κύριος non alium intelligit *Dominum*, quam eum, qui dixit: *Juro per meipsum, & prodiit ex ore meo verbum justitiae, verbum, quod non revertetur;* id quod negare, est principium petere. Ergo etiam Κύριον, *summum Deum ac Dominum*, eum appellat, de quo reliqua verba interpretatur. d) Qua fronte Sociniani genuflexionem hic prædictam ad Deum Patrem, non Christum, pertinere asserant, discere possumus e loco Phil. II. 10. e) Fallitur ac fallit SOCINUS, quando futurum judicium comparatum fore existimat ad similitudinem quorumdam judiciorum humanorum, in quibus delegatus regis, præsente rege ipso, cognoscit causas, & de cognitis fert sententiam; ubi, qui coram judicio comparent, regi præsenti tantummodo genua flectunt, non regis delegato. Christus etiam non judicaturus est auctoritate aliena ac delegata, tanquam actuarius ac interpres superioris, sed sua, eaque suprema; hinc Christus in Scriptura S. non modo venturus dicitur in gloria *Patris sui*, Matth. XVI. 27. sed etiam *sua*, Matth. XXV. 31. coll. Luc. IX. 26. f) GROTII explicatio eo facilius rejicitur, quo magis ipse fateri necesse habuit, id, quod ipse hic prædici statuit, *nil esse* ad id, quod Christus

d) Ex sola tamen *formula allegandi*, sive sit γέγραπται γάρ, sive alia, etiam expressior, per se nihil probari posse *pro sensu* dicti allegati *litterali*, ipsimet concessimus, & omnes concedere tenentur. Cf. *Diss. prælim. Cap. VI. §. VII. p. LIX.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0080
DFG

ſtus ſit effecturus. Ipſe hoc modo non abnuit, interpretationem ſuam textum non exhaurire. g) Etiamſi Jeſaias proxime non loquatur de judicio extremo, & complementum hujus oraculi non in eo demum quærendum ſit; certum tamen eſt, loqui eum de ſumma Chriſti majeſtate, ſucceſſive a converſis gentibus, deinde a converſo Iſraele, ac tandem perfecte & ſine ulla exceptione ab univerſo orbe, cunctisque hominibus, coram tribunali ejus ſiſtendis, ſeu volentibus & cum gaudio, ſeu invitis & cum horrore, agnoſcenda. e)

e) Veneramur omnino induſtriam Virorum eruditorum, *Vitringæ* maxime, qui evincere allaborarunt, textum prophetæ *litteraliter* agere de eodem ipſo, quod Paulus tractabat, argumento, & ipſum Chriſtum ſiſtere iſta de ſe pronuncian-tem. At quantum nos videmus, iſtis omnibus opus non eſt, nec tamen minus conſtabit ſuus honos *Allegato* & *Alleganti*. Dixerat Paulus v. 9. Chriſtum & mortuorum & viventium dominum eſſe: quare nullus alterum judicet, ſive vilipendat; omnes enim comparituros coram tribunali Chriſti, qui unus omnium judex futurus ſit. Poſt hæc, inſerto dicto prophetæ concludit: *Ergo quisque noſtrum de ſemet ipſo rationem reddet Deo.* Itaque Paulus *Chriſtum* & *Deum* promiſcue ponit, ut *dominum & judicem omnium*: ſupponit ergo *deitatem Chriſti* hoc loco, non probat. Dixerit itaque Deus, non præciſe Chriſtus, quæ apud prophetam leguntur; & tamen ſummo jure & proprie, non per meram accommodationem, eadem de Chriſto enunciat Paulus, poſtquam eum Dominum ac judicem omnium eſſe aſſeruerat. Illatio Paulina hæc eſſet: quicunque eſt dominus & judex omnium, illi conveniunt, quæ ſcripta ſunt apud prophetam. A. Chriſtus. Ergo. *Minorem* ſupponit ſeu aſſerit Paulus, ut aliunde cognitam, & extra dubium poſitam, non probat dicto prophetico, quod potius ad *maioris* connexionem ſpectat. Ergo nec opus eſt docere, quod locus prophetæ *litteraliter* de Chriſto agat: ſufficit, verum Deum, dominum ac judicem omnium, in eo loqui; de quo dubitare nemo poteſt. Cf. *b.* ZACHARIÆ *paraphr. Erkl.* p. 106.

XCVI. ALLEGATVM.

ROM. XV. 3.

Καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτῷ ἤρεσεν, ἀλλὰ καθὼς γέγραπται· Οἱ ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων σε ἐπέπεσον ἐπ' ἐμέ.

PS. LXIX. 10.

וְחֶרְפּוֹת חוֹרְפֶיךָ נָפְלוּ עָלָי׃

VERSIO LXX.

Καὶ οἱ ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων σὲ ἐπέπεσον ἐπ' ἐμέ.

§. I.

I.) *Collatio* seu conciliatio textus græci cum hebræo nil negotii nobis faceſſet; uterque enim tam amice conſpirat, ut ne umbra quidem diſcrepantiæ obſervetur. Illuſtrabimus tamen utrumque obſervationibus quibusdam philologicis, & veram ſententiam ſub cortice verborum latentem eruere conabimur. 1) Hebræum חֶרְפָּה, uti & græcum ὀνειδισμὸς, proprie notat *probrum*, *opprobrium*, *ignominiam*, & utrumque, illud quidem in textu hebræo hujus Pſalmi, hoc in græco τῶν LXX. ſæpius occurrit, v. 9. 10. 11. 20. 21. ac ubique *acutiſſimam* paſſionem denotat: *Pluralis* autem hanc habet emphaſin, ut *ſummam & omnis generis* ignominiam indicet? 2.) In חוֹרְפֶיךָ, ſuffixum reſpicit *Deum Patrem*, ad quem tota oratio Meſſiæ in hoc Pſalmo directa eſt. ὀνειδιζόντων σε, cum *accuſativo*, proprie ſignificat, opprobriis *te* afficientium: alias idem verbum, cum *dativo*, notat, *exprobrare alicui*, *einem etwas aufruken*, *bittere Vorwürfe machen*, ut Matth. XXVII. 44. Jac. I. 5. coll. RAPHELII *Annott. Polyb. ad h. l. & ad* Matth. V. 11. quamquam hic poſterior locus huc non pertineat, cum ὀνειδίζειν in eo conſtruatur cum accus. 3.) Phraſis: נָפְלוּ עָלָי, ἐπέπεσον ἐπ' ἐμὲ, ſiſtit Meſſiam opprobriis plane *obrutum* & quaſi *coopertum*.

§. II.

§. II.

Tota vero ſententia, his verbis hactenus expoſitis expreſſa, diverſimode exponitur ab Interpretibus. Sunt A) qui hunc verborum ſenſum faciant: *opprobria, quibus improbos homines te, Deum meum, dum inter ipſos vivo, afficere video audioque, ceciderunt ſuper me*, h. e. *tam me intus afficiunt, ut ſi egomet ipſe illis adfectus eſſem:* ob zelum meum pro gloria tua, plane iſta *facio mea*, & tanquam mihi illata, ac recta in me contorta ſentio. Commendat hanc expoſitionem nexus cum priori hemiſtichio, ubi Meſſias loquitur de zelo ſuo pro domo Dei, qui comederit ipſum. *Alii* B) intelligunt verba *de communione Meſſiae cum Deo*, Patre ſuo, in opprobriis, quibus impii Patrem pridem affecerint; nunc vero etiam in filium, inter eos verſantem, afficiant, & quidem Patris cauſa, ob zelum ejus pro gloria Patris. Rurſum *alii* C) חֶרְפּוֹת חוֹרְפֶיךָ accipiunt de *pœnis* ac multiplici opprobrio, quo jure meritoque affici ſolebant ii, qui verbis factisve Deum blasphemaverant, ut ſenſus ſit: *Praeter omnem meam culpam pœna blasphemantium ab hoſtibus meis in me decreta eſt, ita ut ſub hoc ipſo titulo mori debeam*, ac ſi blasphemus, adeoque criminis læſæ majeſtatis divinæ reus eſſem. Vid. Matth. XXVI. 65. *Alii* denique D) dictum hoc accipiunt de *culpa* ac *pœna* peccatorum humani generis, quæ utique omnia in opprobrium divini numinis cedunt, Chriſto in foro divino imputata, ab eodem ſuſcepta, portata & expiata; quo pacto ſenſus hic foret: *opprobria, quibus improbi Deum afficiunt, ceciderunt ſuper me, egoque ita me in paſſione mea & coram tuo, Pater, foro judicioque & geſſi, & gerere volui, ac ſi ipſe talia patraſſem, illi vero innocentes eſſent:* Adeo non mihi ipſi placui, adeo nullam mei ipſius rationem habui, cum tamen potuiſſem tanquam Deus omni rigore erga hos delinquentes uti, ut potius meipſum eo loco haberem, quo ii habentur, qui in Deum graviſſime peccant, peccata hominum in me translata portaverim & morte mea expiaverim. Ita BURKIUS *in Gnom. ad Pſ. 69.* & BENGELIUS *in Gnom. ad Rom. XV. 3.* Atque hæc interpretatio & nobis arridet, a) quia ſatisfactio Chriſti vicaria maximum *zeli* ejus pro domo Patris ſpecimen eſt, ita enim partim optime conſuluit honori Patris, partim ſaluti hominum; b) quia Meſſias v. 5. jam de imputatione peccatorum noſtrorum ſibi facta locutus eſt in verbis: *quae non rapui, reſtituo.* c) quia Paulus ſic demum hoc dicto probavit, quod probandum erat. Vid. BURKIUS *l. l.*

§. III.

Atque ſic jam devenimus II.) ad vindiciias *applicationis*. 1) Pſalmum hunc a Davide conceptum eſſe in perſona Meſſiæ, tredecim argumentis probatum dedimus ad prius comm. 10. hemiſtichion Joh. II. 17. allegatum: itaque id ſolummodo nunc agendum eſt, ut 2) particulam ejus a Paulo heic citatam plane ad ſcopum ejus facere demonſtremus. A) *Scopus* Apoſtoli hic eſt: Monuerat v. 1 & 2. debere in eccleſia Chriſti eos, qui firmi ſint, imbecillitates infirmorum portare, nec ſuo tantum indulgere ingenio; unicuique enim id maxime agendum eſſe, ut placeat proximo, ad bonum ſcilicet, & ſpeciatim ad ejus ædificationem. Jam hoc monitum v. 3. confirmat exemplo Chriſti, cujus non dicta modo ſed etiam facta apud Chriſtianos merito vim præcepti habent: καὶ γὰρ, *inquit*, ὁ χριστὸς οὐχ ἑαυτῷ ἤρεσεν ἀλλὰ, καθὼς γέγραπται &c. *nam & Chriſtus non ſibi placere ſtuduit*, (ita ſcilicet, ut non curaverit, num aliis placeret nec ne?) *ſed, quemadmodum ſcriptum eſt &c.* Nemo non videt, locutionem hanc *ellipticam* adeoque ſupplendam eſſe, non quidem undecunque & ex proprio ingenio, ſed ex contextu. Indicat nimirum particula ἀλλὰ ſubaudiendum eſſe poſitivum antitheton ejus, quod antea negative dictum erat, ut ſenſus plenus hic ſit: *neque enim & Chriſtus ſibi placere ſtuduit*, (vide verbum ἀρέσκειν eodem ſenſu adhibitum 1 Cor. X. 33.) h. e. non ita ſibi indulſit, ut bono ſuo contentus, non curaret aliorum ſalutem; *ſed potius* ſui quaſi oblitus, & ſeipſo quaſi neglecto, totum ſe devovit promovendæ gloriæ Patris, hominumque ſaluti, *ſicut ſcriptum eſt &c.* Habemus hic ergo ellipſin integri in oratione connexa membri; plura ejus exempla dabit GLASSIUS *Ph. S. p. 1209.* [f])

§. IV.

Jam quæritur B) num allegatum dictum revera probet, Chriſtum ſibi ipſi non ita placuiſſe, aut ſuo ſolius commodo intentum fuiſſe, ut alio-

f) Aliena procul dubio ſunt, quando *Doct.* SEMLERUS in his verbis, *Chriſtus non unice ſibi placuit*, etiam hoc ineſſe putat: *aut omnino a ſe ſejunxit illos, qui non ſtatim perfectiorem doctrinæ modum ferre poterant, nec durus & aſper fuit vel in iniquos doctrinæ ſuæ arbitros.* Non enim quæſtio eſt, num Chriſtus ita ſe geſſerit, ſed num his verbis illud commendetur. At quo fine Vir eruditus ita ſtatuat, ſequentia docent; ubi pro more in catholicos doctores aliorum diſſenſum minus ferentes invehitur. *Paraphr. Epiſt. ad Rom. p. 194. not. 351.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0084
DFG

aliorum negligens fuerit, sed potius magno suo incommodo nostris consuluisse commodis? Resp. Si e supra datis interpretationibus loci nostri *prima* adoptetur, omnino difficile perspectu fore, quomodo id, quod de Christo hic dicitur, possit argumentum esse pro tolerantia infirmorum, cum potius zelum ac rigorem adversus eos suadere videatur; atque sic *secunda* quoque & *tertia* interpretatio nondum probat, quod Christus sibi ipsi non placuerit. Immo vero in ipsa ista innocentia sua potuerat sibi ipsi quam maxime placuisse, nisi ex alia & profundiori ratione movente ignominiam, quam facile declinare potuisset, patientissime toleraſſet, hoc demum modo demonstraturus, se sibi ipsi non placere. Restat igitur interpretatio, quam supra *quarto* loco dedimus, & juxta quam dictum citatum omnino probat, quod probandum erat, scilicet Christum sibimet ipsi non placuisse, sed cum neglectu sui salutem nostram curasse. Cum enim se gerere potuisset ut Deum, ac divino honore quiete frui, non tamen usus est jure suo propter nos, sed opprobria, quibus nos Deum affecimus, in se suscepit, portavit & expiavit. Cf. Phil. II. 4 -- 8.

XCVII. ALLEGATVM

ROM. XV. 9.

Τὰ δὲ ἔθνη ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν θεὸν, καθὼς γέγραπται. Διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σον ἐν ἔθνεσι, καὶ τῷ ὀνόματί σε ψαλῶ.

PSALM. XVIII. 50.

עַל־כֵּן אוֹדְךָ בַגּוֹיִם יְהוָה וּלְשִׁמְךָ אֲזַמֵּרָה׃

VERSIO LXX.

Διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σοι ἐν ἔθνεσι κύριε, καὶ ὀνόματί σε ψαλῶ.

§. I.

Conferentes I) Textum *graecum cum hebraeo*, exactam inter utrumque harmoniam deprehendimus, hoc uno excepto, quod Paulus nomen יְהוָה, a LXX. per κύριε expreſſum, omittit: quæ tamen diſcrepantia vix attendi meretur, cum quivis e contextu Pſalmi diſcere poſſit, *Deum* hic alloqui Prophetam. Paucis itaque abſolvi poterit primum hoc tractationis noſtræ membrum:

§. II.

I) Particulam cauſalem עַל־כֵּן *propterea*, in vocula διὰ τοῦτο retinuit Paulus, cum hæc verba e Pſalmo excerperet, ut lectorem moneret de inſpiciendo expendendoque toto *contextu*, cujus illa partem faciunt. Conſulatur hoc fine analyſis *Burkiana*, p. 151. ſ. 2) Verbum הוֹדָה (quod eſt Hiphil verbi יָדָה) duplicem in textu V. T. ſignificatum ſuſtinet: nunc enim ſignificat *confiteri*, *bekennen*, e. g. Pſ. XXXII. 5. Prov. XXVIII. 13. præſertim in Hithpaël, Lev. XVI. 21. XXVI. 40. Dan. IX. 20. nunc *laudare*, *celebrare*, *gratias agere*, & quidem in quam plurimis locis; ubi conſtruitur vel cum *accuſativo*, Gen. XLIX. 8. 1 Reg. VIII.

VIII. 33. 35. vel cum *dativo*, Pſ. LXXV. 2. XIX. 13. Eodem modo & græcum verbum, ἐξομολογεῖσθαι, quo LXX. & Paulus uſi ſunt, nunc *confiteri* ſeu *profiteri* ſignificat, ut Matth. III. 6. Act XIX. 18. Jac. V. 16. Phil II. 11. Apoc. III. 5. nunc *laudare & celebrare*, ut Matth. II. 25. Luc. X. 21. quin & in ſignificatu ſpondendi ſeu permittendi occurrit, Luc. XXII. 6. Jam ἐξομολογεῖν quidem & ἐξομολογεῖσθαι, quatenus eſt compoſitum, cum etiam, quamquam rarius, apud ſcriptores græcos externos occurrat, ut ELSNERUS exemplis, e PLUTARCHO, LUCIANO, HELIODORO, probavit, inter Hebraismos, ac verba ad analogiam linguæ hebrææ noviter conficta, referri nequit; ſed uſus tamen illius in ſenſu laudandi ſeu celebrandi plane Hebraiſmum redolet. vid. VORSTII *Ph. S. P. I. p. 137.* Hoc loco obtinet ſignificatus *laudandi*, qui tamen amice conſpirat cum ſignificatu *confitendi*; Deo enim *confiteri*, quod eum agnoſcamus pro eo, qui eſt, quodque ſalutem noſtram ei in acceptis referamus, quid aliud eſt, quam *laudare* eum ac *celebrare*?

§. III.

3) בַּגּוֹיִם, ἐν ἔθνεσι, reſpicit comma 44. ubi jam facta eſt mentio *gentium*, in verbis: pones me in caput *gentium*, populus, quem non novi, ſerviet mihi. Inter has gentes is, qui in hoc Pſalmo loquitur, confeſſurum ſe ait Domino, hoc eſt, Dei laudes deprædicaturum, ſicque eas ſuo & præconio & exemplo ad agnitionem veri Dei excitaturum eſſe, ut adeo contextui non ſit conſentaneum, cum GEIERO גּוֹיִם hic accipere de maxima populorum vel hominum, & ſpeciatim de magna populi Iſraëlis congregatione, non de gentibus proprie ſic dictis, ut inter quas David hæc ſcribens non vixerit; fruſtra etiam in ſubſidium vocatur, quod populo Iſraeli nomen גּוֹי, tribuatur Jos. III. 17. IV. 1. 4) וּלְשִׁמְךָ אֲזַמְּרָה, *& nomini tuo pſallam*, accurate redditum eſt: καὶ τῷ ὀνόματί σου ψαλῶ. Gradatio eſt in oratione Prophetæ; *pſallere* enim plus dicit, quam *confiteri*; notat magis *ſolenne & feſtum* quid, ac majorem gradum *laetitiae*, quæ voce modulante & adhibitis etiam inſtrumentis muſicis ſe exſerere ſolet. Cf. Pſ. XXX. 13. coll. v. 12. fin. XCII. 2. Jac. V. 13. Eph. V. 19.

§. IV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0087
DFG

§. IV.

His præmissis pergimus II) ad vindicias *applicationis*, quam duplex potissimum difficultas premit: *Prima* & præcipua hæc est, quod David in hoc Psalmo *suas*, *non Christi*, *res* canere, adeoque Paulus de *isto* dicta præter mentem Spiritus S. tanquam de *hoc* dicta allegare videtur; *altera*, quod verba Psalmi dicant quidem, quid David vel Christus facturus sit, sed non, quid *gentes* facturæ sint, cum tamen Paulus probare iisdem velit, gentes Deum celebraturas esse ob misericordiam ipsis exhibitam. Quod 1)mum dubium attinet; sunt A) qui Psalmum *unice de Davide*, ejusque *hostibus* ac *victoriis* agere contendunt, ut *magistri Hebraeorum*; hocque admisso allegatio Apostoli mera est *accommodatio*, nec vim probandi habet: quod a nobis merito rejicitur, cum Apostolus veritatem de vocatione gentium Judæis maximopere exosam probare hoc dicto intendat. Sunt B) qui Psalmum hunc *proprie* ac *literaliter de Christo* exponunt, AVGVSTINVS, LVTHERVS, BVGENHAGIVS, BRENTIVS, SCHNEPFIVS, LVC. OSIANDER, GLASSIVS, CALOVIVS, VAN TIL, FRANCKIVS, FRISCHIVS, RAMBACHIVS & BENGELIVS, qui in *Gn.* expresse Christo hæc verba tribuit. Atque his favet, quod *subiectum* hujus Psalmi ejusmodi characteribus in eo insignitur, qui in solum Christum quadrare videntur, e. g. eum esse, cui Deus benefaciat *secundum iustitiam suam*, & retribuat *secundum puritatem manuum suarum* v. 21. *custodivisse vias Domini*, & omnia ejus *praecepta* coram oculis habuisse v. 22. 23. *perfectum* esse coram Deo, & *praeservatum ab iniquitate*, v. 25. esse *caput gentium*, & *iis notum facere* nomen Domini, v. 44. 50. quæ omnia vel plane non, vel sensu admodum diluto de Davide prædicari queunt. Accedit interpretatio Pauli, qui dicto hoc probat vocationem gentium ad agnitionem Christi, earumque receptionem in gratiam.

§. V.

His autem non obstantibus *alii* C) *mediam* hic *viam* ineunt, & Psalmum *literaliter* de Davide, *mystice* autem de Christo agere existimant, quia Davides *Christi typus* fuerit, præsertim in victoria de hostibus suis. Ita post DIDYMUM, THEODORETUM, HESYCHIUM, GESNERUS, SELNEC-

NECCERUS, *Biblia Vinarienſia*, BOHLIUS, GEIERUS, COCCEJUS, AINSWORTHUS, SURENHUSIUS, WOKENIUS, BURKIUS &c. quorum *hic*, poſt COCCEJUM, expreſſam Chriſti mentionem fieri cenſet v. ult. Pſalmi, ubi de *ſemine Davidis* (& quidem ex eorum ſententia *monadico*) ſermo eſt. Atque huic interpretationi *eatenus* & nos ſubſcribimus, ut ſtatuamus, Davidem in hoc Pſalmo ſuas quidem perſecutiones, ac deinceps quoque victorias poetice deſcribere, ſub finem cantici vero (quod & aliis Prophetis accidere ſuevit) altius in ſpiritu elevatum in tempora Nov. Teſt. proſpexiſſe, ubi regnum ejus in ſemine ejus, Chriſto, ſummam demum gloriam ſuam & perennitatem nacturum erat, hincque factum eſſe, ut quæ ſenſu admodum tenui *de ſe* dicere poterat, iis efferret verbis, quæ in antitypo ſuo & ſemine, Chriſto, demum in omni ſua emphaſi adimplenda erant. Hoc reſpectu v. gr. v. 44. *caput gentium* ſe vocat, cui populus antea ignotus ſerviat, quia dominium ejus in vicinas gentes, *Ammonitas*, *Philiſtaeos*, *Idumaeos &c.* quoddam erat præludium ejus, quod auguſtiori longe ratione eventurum erat tempore Nov. Teſt. ubi *filius Davidis*, Chriſtus, in omni emphaſi fieri debebat, & factus eſt & magis magisque fiet *caput gentium*. Hoc reſpectu etiam v. 50. 51. Domino inter gentes ſibi ſubjectas ſe confeſſurum, & laudes nominis ejus decantaturum ait, quia hoc Davidis inter gentes præconium de Domino præludium erat ejus, quod Meſſias per Apoſtolos ſuos, modo longe illuſtriori exſecutus eſt. g) Sic nullum amplius dubium ſupereſt, quin Paulus appoſite & plane ad mentem Spiritus S. hoc oraculum allegaverit.

g) *David, von allen ſeinen Feinden errettet, diß Bild der Errettung Chriſti, wünſchet dieſes Lob Gottes unter den Heiden. Deinen Ruhm, ſagt er, will ich unter den heidniſchen Völkern kund machen, und dir zur Ehre will ich Loblieder ſingen.* ZACHARIÆ *Paraphr. Erkl. p. 112.*

XCVIII. ALLEGATVM

ROM. XV. 10.

Καὶ πάλιν λέγει· Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ.

DEUT. XXXII. 43.

הַרְנִינוּ גוֹיִם עַמּוֹ׃

VERSIO LXX.

Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ.

§. I.

SURENHUSIUS quidem Allegatum hoc e duobus locis, Pſ. LXVII. 5 & Deut. XXXII. 43. conflatum cenſet, ſed absque ratione, cum id, in quo citatio differt a loco Deuteronomii, nec in iſto Pſalmi loco reperiatur, ut ipſe fatetur: τὸ הַרְנִינוּ autem in Moſe, æque ac τὸ יְשַׂמְּחוּ in Pſalmo, per εὐφράνθητε verti potuerit, ceu mox patebit.

§. II.

I.) *Conferemus* jam textum *graecum* cum *hebraeo*. 1.) הַרְנִינוּ dubites an recte translatum ſit per εὐφράνθητε? quia A) רָנַן cum omnibus derivatis ſuis ſignificat *cantare*, εὐφραίνεσθαι vero *laetari*, & B) idem verbum hebræum in Kal & Pihel quidem *cantare* ſignificat, ſed in Hiphil, quod h. l. obtinet, *cantare facere*, ut Hiob. XXIX. 13. Pſ. LXV. 9. unde & AQUILA vertit: ἀνυποιήσατε, *laudare facite*, ut ſenſus ſit: *Excitate omnes gentes ad jubilum populum ejus.* Cf. v. 21. Deut. XXXII. ubi de παραζηλώσει Judæorum per gentes ſermo eſt, coll. Rom. X. 19. Sed reſp. ad primum dubium, *cantare* a *laetari* non aliter differre, quam ut effectus differt a ſua cauſa, unde omnino unum pro altero metonymice poni poteſt. Quoad *alterum* negari equidem nequit, citatis locis הַרְנִין habere

habere significatum transitivum, *cantare facio*; sed hoc quoque certum est, הַרְנִינוּ alibi, e. g. Ps. XXXII. 11. LXXXI. 2. intransitive accipiendum esse pro *cantate*, ut bene observat COCCEJUS *in ult. Mos. ad h. l. p. 416.*

§. III.

2.) Vox גּוֹיִם hic, æque ac in priori Allegato, accipienda est de gentibus extra Ecclesiam: contra distinguuntur enim v. 8. & 9. τὰ ἔθνη τῆ περιτομῆ, h. e. *ecclesiae judaicae.* Cf. v. 11. 12. unde optandum esset, ut LUTHERUS in vers. vernacula vocem גּוֹיִם, non neglexisset, vertendo: *jauchzet alle, die ihr fein Volk seyd.* 3.) Vocula עַמּוֹ omnium maxime controversa est: Sunt A) qui vertunt per accusativum, *populum* ejus. Atque hi, ut verbum הַרְנִינוּ eo inflectant, ei vel a) hunc significatum tribuunt, ut notet *cantare facere, vel excitare ad canendum seu jubilandum*, de qua sententia paullo ante diximus; vel b) significatum *canendi, seu laudandi*, ut sensus sit: *Canite*, seu *laudate*, o! gentes, *populum Dei*, scil. ob beneficia eidem exhibita. Sed dubito α) an רָנַן *cecinit*, apud Hebræos umquam reperiatur constructum cum accusativo, notante objectum seu materiam laudis, quemadmodum Latinis dicitur *canere* seu *laudare aliquem*, ut v. g. VIRGILIUS *arma virumque cano*; β) contextui tam apud Mosen quam apud Paulum minus videtur consentaneum esse, de laudatione populi Jud. ista exponere, cum apud utrumque de beneficiis divinis, ut argumento laudum, sermo sit. Præstat igitur B) cum aliis τὸ עַמּוֹ in *nominativo* vertere: *populus ejus*, & quidem vel a) per *appositionem*, cantate o! gentes, *populus ejus*, h. e. *quae estis* populus ejus, quo pacto id innuerent verba: Judæos abdicandos, gentes vero adoptandas fore; sic ABEN ESRA, LUC. OSIANDER, COCCEJUS, CALOVIUS, MICHAELIS *in B. H.* vel b) subaudiendo copulam &, quasi dictum esset: וְעַמּוֹ: Cantate gentes & populus ejus. Ita BUXTORF. *in Lex.* FR. JUNIUS, PISCATOR, RAMBACHIUS, *ad Rom. XV.* 10. Sed nobis quidem *appositio* magis arridet, quam *ellipsis.*

§. IV.

Qu. autem jam, qua ratione versio *graeca*: μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, cum textu hebr. conciliari possit? illa enim τὸ עַמּוֹ aperte non de gentibus

populo Dei jam factis, loco Judæorum, sed de populo a gentibus distincto, h. e. populo judaico accipit. Resp. α) GROTII conjecturam, qua statuit, LXX. bis legisse literas ע & ם, nempe hoc modo: עִמּוֹ *cum populo ejus*, rem quidem, si probari possit, eos ita legisse, conficere, quia h. m. hebræa & græca prorsus conspirarent; sed tamen eandem minus verisimilem esse, quia nullum variæ lectionis in hoc loco vestigium habetur, & Moses, si, *cum populo ejus*, dicere voluisset, sine dubio עִמּוֹ — אֶת potius, quam עִמּוֹ עַם dicturus fuisset, propter euphoniam; β) nec hoc applausum meretur, quando GLASSIUS *Ph. S. p. 1076.* ellipsin hic statuit particulæ אֶת vel עִם. Vix enim ullo se exemplo tueri poterit tam dura ellipsis, nec adductum a GLASSIO ex Lev. XXVI. 42. huc pertinet, cum *Jacob*, *Isaac* & *Abraham* ibi sint genitivi objecti, per se jam notantes eum, cum quo fœdus pepigit Deus, ut adeo non opus sit, partic. *cum* subaudire. γ) Qui הַרְנִינוּ גוֹיִם עַמּוֹ interpretantur: *cantare facite, o! gentes, populum ejus*, sententiam Apostoli plane invertunt. Hæc enim sistit gentes a populo Jud ad cantandum excitandas, illi vero populum Jud. a gentibus excitandum. δ) Qui vertunt: *Canite o! gentes populum ejus*, iterum alio plane sensu induunt verba hebræa, quam is est, quem græca sonant, & neque μετὰ λαοῦ cum עִמּוֹ, neque εὐφράνθητε cum הַרְנִינוּ (si hoc significet, *canite*) conciliare queunt. Quam vero LVD. DE DIEV tentat conciliationem, in *Polo* ad Rom. XV. 10. ea nimis est contorta. ε) Si hebræa vertantur: *Cantate*, vel *laetamini*, *gentes* ET *populo ejus*, docebunt magis communionem populi Dei cum gaudio gentium, quam harum communionem cum gaudio populi Dei, in græco expressam.

§. V.

Restat igitur 2) ut dicamus, omnino hebræa proprie vertenda esse: *Cantate*, *seu laetamini o! gentes*, *populus ejus*; sed hoc ipsum, quod jam *populus Dei* sunt, æque ac olim Judæi erant, simul involvit *communionem gentium cum gaudio Judaeorum*, quam versio græca innuit. Ac eatenus sane Paulus absque vitio illam retinere potuit, licet, unde nata sit, haud constet. Ponit saltem hoc modo consequens pro antecedente. Tantum de Allegatione.

§. VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0092
DFG

§. VI.

Ecquid vero jam II.) sentiendum est *de Applicatione?* 1.) Inter Judæos sunt, qui *ironice* verba Mosis interpretantur: Cantate gentes *ob* populum ejus, ob bonum, quod eveniet Israeli, h. e. flete & ejulate o! gentes, ob vindictam, quam Deus vult efficere in vobis. Ita R. ISAAC KARO in *Toldos Isak.* Sed odium nationale erga gentes homini Judæo hanc parhermeniam inspiravit, nec melior est ABARBANELIS illa: facite cantare, gentes, populum ejus, nimirum *vestro fletu.* Certum est, si hoc voluisset Moses, frustra Paulum, imo contra se potius, adducturum fuisse hoc oraculum. At in salvo res est, si 2.) totum orationis decursum in hoc cantico consideremus; scopus ejus primarius est, describere hinc Dei fidelitatem in præbendis promissis suis, illinc Israelis ingratitudinem in defectione ac pertinaci rebellione, indeque justitiam Dei vindicem in hujus populi desertione ac rejectione, ad subrogandam aliam ecclesiam e *gentibus.* Quam egregie vero hæc inserviant scopo Apostoli in aprico est. Conf. quæ ad Alleg. LXXXVII. Rom. X. 19. dicta sunt in *Vindic. applic.*

XCIX. ALLEGATVM.

ROM. XV. 11.

Καὶ πάλιν· Αἰνεῖτε τὸν Κύριον πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἐπαινέσατε αὐτὸν πάντες οἱ λαοί.

PS. CXVII. 1.

הַלְלוּ אֶת־יְהוָה כָּל־גּוֹיִם שַׁבְּחוּהוּ כָּל־הָאֻמִּים׃

VERSIO LXX.

Αἰνεῖτε τὸν Κύριον πάντα τὰ ἔθνη, (καὶ) ἐπαινεσάτωσαν αὐτὸν πάντες οἱ λαοί.

§. I.

In *collatione* textus græci cum hebræo deprehendimus ſummam inter utrumque convenientiam, niſi quod in hoc deeſt copula &, quam & LXX. certe omnes Codices, non habent; ſubaudiendam tamen eſſe negari nequit. Dicemus nonnihil ad ſingula utriusque textus verba: 1.) הַלְלוּ אֶת־יְהוָה efferri alias ſolet una voce *Hallelujah*, [h]) quæ primum occurrit Pſ. CIV. 35. & græca quoque civitate donata eſt a LXX. ac in apocalypſi C. XIX. 1. ſſ. Conf. *ad h. l.* BENGELII *Gnom.* A) הַלְלוּ, αἰνεῖτε, idem eſt, quod δοξάζειν v. 5. & 9. Cap. XV. ad Rom. & χαρὰν cordis v. 13. & τὸ εὐφραίνεσθαι, v. 10. pro fonte habet. B) Nomen *Jehovah*, pro quo Hebræi poſteriorum ſeculorum *Adonai* dixerunt, LXX. & cum illis ſcriptores Nov. Teſt. vertere ſolent κύριος, de qua metaphraſi vid. BENGELIUS in *Gnom. ad Apoc. I. 8. §. XIV.* ubi obſervat, nomen κύριος (derivatum a κῦρος, quod non modo moralem auctoritatem, ſed etiam naturalem ſtabilitatem firmitudinemque denotet) omnino idoneum eſſe ad interpretandum nomen *Jehovah*,

h) LXX. etiamſi hebraica הַלְלוּ אֶת־יְהוָה reddidiſſent per αἰνεῖτε τὸν κύριον, tamen his verbis præpoſuerunt ſuum Ἀλληλεία.

hovah, demto temporum ternione, & certe denotare *eum qui eſt*, cum e contrario *Jehovah*, conflatum ex יְהִי, *erit*, הָוָה, *ens*, & הָיָה, *erat*, notet *eum*, *qui erit*, *& eſt*, *& erat*.

§. II.

2.) Phraſes: כָּל-גּוֹיִם, πάντα τὰ ἔθνη, & כָּל-הָאֻמִּים, πάντες οἱ λαοὶ, ſunt qui diſtincte accipiant, *illam* quidem de gentilibus, *hanc* de Judæis. Sic ABEN ESRA, & SURENHUSIUS *B. K. p. 517.* qui per הָאֻמִּים intelligi vult diverſas tribus populi Iſr. λαοὺς dictas Act. IV. 27. nec abludit RAMBACHIUS *ad h. l.* qui ad minimum ſub הָאֻמִּים etiam populum judaicum comprehenſum eſſe ac ſpeciatim innui cenſet. Et favet ſane huic expoſitioni, quod mox v. 2. in materiam laudis proponitur *gratia & veritas* Dei, quarum hæc Paulo teſte Judæis potiſſimum, *illa* vero gentibus materia laudis eſt, v. 8. 9. hujus Cap. Sed hæc non obſtant, quo minus alii, v. g. GEIERUS *ad h. l.* ſtatuant, utrumque vocabulum, אֻמִּים & גּוֹיִם, æque *univerſale* eſſe, & in poſteriori hemiſtichio, mutatis ſolummodo verbis, eandem repeti ſententiam, per ἐπιμονὴν, in poeſi ſacra frequentiſſimam, h. e. per eam figuram rhetoricam, qua in eodem perſiſtit oratio commutatis tantum verbis, licet hæc *epitaſin* quandoque faciant ad præcedentia. Ac ſane אֻמִּים, vocabulo גּוֹיִם ſubjunctum, uti hic, alibi etiam, æque ac illud, nationes extra Eccleſiam denotat, e. g. Pſ. XLIV. 3. 15. CV. 44. CXLIX. 7. quin & ſolitaeri poſitum, Pſ. LXV. 8. LXVII. 5. Jeſ. XLIX. 1. LV. 4. LX. 2. &c. Hinc BURKIUS *in Gnom. ad h. l* nullam aliam inter utramque vocem differentiam agnoſcit, niſi quod הָאֻמִּים proprie notet gentes, ab una *ſtirpe*, *matre*, (nam vox אֻם eſt a rad. אָמַם, unde etiam deſcendit אֵם, *mater*, & notat nationem ex una quaſi matre propagatam) genus ſuum ducentes, & *naturali* cognatione ac ejusdem religionis vinculo cohærentes; גּוֹיִם vero gentes, quæ aliis potius, *politicis*, vinculis connexæ ſunt. Neque tamen propterea *gratia & veritas*, v. 2. memorata, non cenſenda eſt peculiariter *gentiles & Judaeos* reſpicere, quod Paulus innuit v. 8. 9. nam v. 2do jam communem cauſam faciunt utrique, *uno animo & uno ore* Dominum laudantes, Rom. XV. 6. Et ſic quoque fideles e Judæis laudant Dominum ob gratiam, in quam gentiles recepti ſunt, & gentiles laudant Dominum ob *veritatem* ejus in præſtandis promiſſionibus Iſraeli datis. Hinc illa *mutatio perſonae* v. 1. & 2. Verſu primo

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0095
DFG

mo fideles & veri Iſraelitæ excitant gentes ac nationes orbis ad laudandum Jehovam, in ſecunda perſona; verſu ſecundo autem iidem *ſeipſos cum gentibus* ſuo ſermone complectuntur, in prima jam perſona loquentes, in voce עָלֵינוּ, *ſuper nos.*

§. III.

Supereſt 3.) verbum שַׁבְּחוּהוּ, per ἐπαινέσατε i) redditum a LXX. & Paulo. Hebræum שָׁבַח nunc ſignificat *compeſcere*, ut Pſ. LXV. 8. LXXXIX. 10. Prov. XXIX. 11. nunc *laudare & celebrare*, ut Pſ. CVI. 47. & h. l. Græcum ἐπαινέσατε, verbo ſimplici αἰνεῖτε ſubjunctum epitaſin ad illud facere cenſeri poſſet, ſi conſtaret, שָׁבַח plus dicere, quam præcedens הָלַל: aliquibus certe ex hoc ipſo compoſito ἐπαινεῖν id colligi poſſe videtur. Vid. BVRKIVS *ad hoc verbum*, & RAMBACHIVS *ad h. l.* Sed cum ἔπαινος & αἶνος idem valeant, etiam verba inde derivata ejusdem erunt valoris.

§. IV.

His de ſenſu verborum præmiſſis ſubjungendæ jam ſunt II) *Vindiciae Applicationis.* 1) Haud mirum eſt, eſſe inter Hebræorum magiſtros, qui hunc Pſalmum eo tantum interpretentur, quod gentes & nationes provocentur ad laudandum Dominum ob beneficia populo judaico exhibita, ut v. g. ABEN ESRA *nationes* exponit de populo Iſraelitico, & גּוֹיִם de gentibus a Davide ſubjugatis. Sed e Chriſtianis quoque nonnullos eandem inflare tibiam, merito mireris: Ita enim GROTIVS v. g. ad v. 2. ſcribit: גָּבַר עָלֵינוּ, *excelluit*, i. e. plus *nobis* boni fecit, *quam gentibus aliis*, & MVSIVS *in Polo* itidem myſtice ſaltem & allegorice hunc Pſ. ad Chriſtum pertinere aſſerit. Melius ſane 2) calculos ſuos ſubduxit e Judæis ipſe KIMCHIVS: *hic Pſalmus*, inquiens, *ducbus tantum verſibus conſtat, quo innuit, in diebus Meſſiae* omnes populos in duabus claſſibus fore, *Iſraelitas*, qui erunt in lege ſua, & *gentes*, in altera parte in VII. præceptis Noachicis, & utrosque celebraturos Jah. Nos Chriſtiani ambabus arripimus, quod concedit, gentes celebraturas Deum ſine jugo legis

i) ἐπαινεσάτωσαν habet Edit. *Breitingeriana*, ut variantem annotans in margine τὸ ἐπαινέσατε.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0096
DFG

legis cerimonialis: sed Judæos, etiam tempore Messiæ, sub isto mansuros, atque hoc pacto tam illas quam hos propriam quasi religionem suam habituros esse, ingenium judaicum sapit. Clamat enim tota scriptura V. T. Judæos & gentes *idem verbum* Dei excepturos esse, prodiens scil. Hierosolymis ad gentes, & Christum eandem legem daturum Judæis ac gentibus, atque sic utrosque Deo servituros esse humero uno, unumque ovile futurum, non duo. Ita COCCEJUS. Firmiter itaque tenemus, repræsentari in hoc Psalmo ecclesiam N. T. ex Judæis & gentibus collectam, prouti Deum uno animo unoque ore celebrat ob *gratiam & veritatem* ejus, illam quidem in gentibus maxime, hanc vero in Judæis demonstratam. Certe particula est hic Psalmus magni illius *Hallel*, quod Christus ipse cum discipulis suis ante passionem suam cecinit. Matth. XXVI 30. Atqui id partim de typo redemtionis per Christum, scil. liberatione ex Ægypto, partim de antitypo ipso agit; unde & 3. posteriores Psalmi, CXVI. CXVII. & CXVIII. in N. T. citantur. Et quonam quæso oraculo Paulus id quod v. 6. 8. 9. dixerat, validius confirmare potuit, quam hoc ipso Psalmo CXVII?



C. ALLEGATUM.

ROM. XV. 12.

Καὶ πάλιν Ἡσαΐας λέγει· Ἔσαι ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ, καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν· ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν.

JES. XI. 10.

וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא שֹׁרֶשׁ יִשַׁי אֲשֶׁר עֹמֵד לְנֵס עַמִּים אֵלָיו גּוֹיִם יִדְרֹשׁוּ׃

VERSO LXX.

Καὶ ἔσαι ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ, καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν, ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσι.

§. I.

Cogitandum hic I) de *conciliatione* textus græci cum hebræo. 1) וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא LXX. reddiderunt καὶ ἔσαι ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ; Paulus autem notationem temporis, בַּיּוֹם הַהוּא, omittens, Solum ἔσαι retinuit, nec in eo quidquam fecit, quod a ſtilo prophetarum, alias uſitato, alienum eſſet, cum & hi, quando de ultimis temporibus loquuntur, nunc *plene*, וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא, nunc *defective*, ſimpliciter וְהָיָה, dicere ſoleant, e. g. Jer. III. 16. Joel. II. 32. Ceterum & hoc obſervandum eſt, וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא, & græcum ἔσαι non conſtrui debere cum שֹׁרֶשׁ, ſeu ἡ ῥίζα, ſed per ſe ſtare, & abſolute poſitum eſſe, ſignificans, hebræorum more, *quid futurum ſit.* Quæ deinceps in hebræo ſequuntur, ſic conſtrui debent: *Radix Jeſſe, quae eſt ſtans in vexillum populorum, ad eam gentes inquirent;* quæ latinius ſic ſonant: futurum eſt in die illo, ut ad radicem Jeſſe, quæ ſtat in vexillum populorum, gentes conſulendi ergo acceſſuræ vel confluxuræ ſint; ſicque & in græco non modo ἡ ῥίζα eſt nominativus abſolutus, ſed etiam ὁ ἀνιστάμενος, qui duo nominativi abſoluti

ſoluti deinde conſtructi per pronomen in alium caſum mutantur, ut Apoc. VI. 8 & alibi ſæpe, ut SURENHUSIUS bene obſervat. *B. K. p. 517.*

§. II.

2) שֹׁרֶשׁ יִשַׁי, Paulus cum LXX. accurate reddidit: ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαί. Qu. autem, quo ſenſu Meſſias (quem hoc nomine indigitari ſupponere tantisper liceat) a Propheta appelletur *radix Jeſſe?* Sunt A) quibus *radix Jeſſe* nil aliud notare videtur, quam *ſurculum e radice Jeſſe*, uti Propheta Chriſtum vocaverat *v. 1.* hique *ſurculum e radice* appellari heic exiſtimant *radicem*, per *metonymiam*, ut *radix* poſita ſit pro eo, [k]) quod ex radice naſcitur, vel potius, ex uſu vocis apud Hebræos, quibus שֹׁרֶשׁ ſignificet non modo *principem* generis, ſeu communem illius ſtirpem, ſed etiam eos, qui ab ea orti ſunt. Favet huic interpretationi a) id ipſum, quod *v. 1.* hujus Cap. idem ſubjectum prophetiæ, quod v. 10. *radix Jeſſe* vocatur, *ſurculus e radicibus Jeſſe* dictum fuit; b) quod in loco haud dubie parallelo Jeſ. LIII. 2. Meſſias dicitur aſcenſurus eſſe primo tanquam יוֹנֵק, *ſurculus*, & mox tanquam שֹׁרֶשׁ מֵאֶרֶץ צִיָּה, h. e. ut *radix e terra ſiticuloſa*, ubi, ſi שֹׁרֶשׁ de *radice* proprie ſic dicta accipiendum eſſet, dicendum potius erat, בְּאֶרֶץ, *in terra*, quia radices non *e* terra prodire, ſed intra eam deliteſcere ſolent. Cum ergo hujus loci hemiſtichia ſint ἀντίστοιχα, h. e. ſibi mutuo reſpondentia, & mutatis ſolummodo verbis eandem ſententiam exhibentia, non poteſt non שֹׁרֶשׁ idem notare, quod יוֹנֵק, i. eſt, *ſurculum*, *ſtolonem*, κλάδον, ſeu *ramum*, ut SYMMACHUS vertit, verbo βλάστημα ſeu *germen*, quod e radice naſcitur. Cf. Hoſ. XIV. 6. erumpent *radices* ejus, h. e. *ſurculi ex* radice ejus. c) Quod alibi quoque apud Jeſaiam שֹׁרֶשׁ non tam *radicem*, quam *propaginem* ejus denotat, e. g. C. V. 24. ubi שֹׁרֶשׁ per פֶּרַח, *florem* ſeu *germen*, & C. XIV. 30. ubi שֹׁרֶשׁ per שְׁאֵרִית, *reliquias*, exponitur. *Chaldaeus* certe שֹׁרֶשׁ hic exponit: *filium* tuum, LXX. τὸ σπέρμα σου; adde Mal. IV. 1. non relinquet ipſis *radicem & ramum*, quæ *Chaldaeus* vertit: *filium & filium filii*, ſeu nepotem. d) R. KIMCHI, hebraice doctiſſimus, poſt JONATHANEM

k) Hanc conſtructionem non omnibus arridere, patet ex Verſione, quam *Cel.* MICHAELIS dedit *in der Einleit. P. I. p. 232. In der Zeit wird die ſieben gebliebene Wurzel Iſai ein Baum werden, der den Stämmen Iſraels (den Völkern) zum Feldzeichen dient; Heiden werden ſein Orakel befragen.*

NEM, *paraphraſten chald.* eodem modo locum noſtrum intelligit, quando ad verba *Radix Iſai*, annotat: *ſenſus eſt, qui procedit ex radice Iſaea, ut ſupra v. 1. dictum erat; & ſic interpretatur* JONATHAN: *filius filii*, (nepos) *Iſai.* e) Amplexi ſunt hanc ſententiam FORERIVS, SANCTIVS, ARNOLDVS BOOTVS, GATAKERVS *in Annott. ad Biblia angl.* (hic enim *Annotationes ad Eſai. & Jerem.* concinnavit, teſte POLO *in Syn. Vol. III. in Praef.*) nec non e noſtris DEYLINGIVS, *Obſs. SS. P. III. obſ. XXIII. §. II p. 300. ſq.* Quin & ipſe VITRINGA, qui tamen ſublimiora quærit in hac nomenclatura, non audet negare, interpretationem hanc locum obtinere poſſe, addens tamen: *ſi nihil ἐμφατικώτερον dici queat;* in loco parall. autem, Jeſ. LIII. 2. eandem plane ſuam facit.

§. III.

His non obſtantibus *alii* B) altius ſibi aſſurgendum putarunt, ita ut per radicem intelligant *filium* aliquem præ aliis *inſignem, primogenitum* præſertim, qui ſit quaſi radix familiæ, ex quo qui naſcuntur, *inſtar ramorum* ſe habent. Huc enim referunt partim loca ſupra citata, Jeſ. XIV. 30. Mal. IV. 1. partim illud, quod Patriarchæ, e quibus populus Iſraelis prognatus fuit, & quibuscum Deus primum fœdus pepigit, *radix* dicuntur, poſteritas vero *rami*, Rom. II 16. Atque hinc colligunt, Chriſtum quoque h. l. *radicem Iſai*, & alibi Davidis, dici, quia ſit verus ille primogenitus, ex Iſai familia ortus, & fundamentum quaſi ac radix totius familiæ Dei ſpiritualis, Pſ. LXXXIX. 28. Rom. VIII. 29. Ita v. g. GLASSIVS *Ph. S. p. 1609.* nec multum ab eo abludit ABARBANEL; & VITRINGA hanc interpretationem, ſi primus ac literalis phraſeos ſenſus ſpectetur, non dubitat eſſe veriſſimam.

§. IV.

Nec dum tamen *alii* C) in ea ſibi acquieſcendum eſſe, ſed Meſſiam radicem Iſai heic dici exiſtimant, eo ſenſu, quo Rom. II. 18. *radix arborem ſuſtinere* dicitur: *Non tu, inquit* Paulus, corpus gentium allocutus, *radicem portas, ſed radix te;* atque ſic Meſſias *radix Iſai*, ſeu, ut Apoc. V. 6. & XXII. 16. vocatur, *radix & genus Davidis* foret, *quia* in ipſo Meſſia, Iſai & David cum domo ſua ſubſiſtit & conſervatur; *quippe*

1) *Indeſſen wird hiemit zugleich angedeutet, daß der Meſſias vor dem Iſai und vor der Schöpfung geweſen ſey. Dann er heiſſt die* Wurzel Iſai, *weil er ſo wohl der Schöpfer des Iſai, als auch ſein Nachkomme war. Daß man das hebräiſche Wort hier ſo verſtehen müße erhellet aus Offenb. XXII. 16.* WELS, Anglus, *im Engl. Bibelw. ad h. l. Jeſ.*

nonnisi *ipsius causa* est Isai cum tota sua propagine, & ipse veluti fundamentum & basis est totius familiæ & domus Isææ: *quia* nunquam Isai fuisset caput tam illustris domus, nunquam ex ipso David & Salomon, aliique reges pii, typi Messiæ, orti essent, nisi ex iis oriturus fuisset Messias; *quia* denique, cum tota familia Isai & Davidis fere intercederit, in ipso adhuc *stat*, *floret*, & *supereſt* Isæa domus, ut qui obtinet regnum æternum. Sic VITRINGA & ex illo RAMBACHIUS ad h. l. *ultimum vero* momentum etiam BENGELIUS suum fecit *in der Erkl. Offenb. Ed. 1. p. 1047.* ad Apoc. XXII. 16.

§. V.

Rationes pro hac sententia sunt seqq. a) Non credibile est, nullam subesse rationem mutationi phraseos v. 1. *surculus e radice Isai*, in phrasin v. 10. *radix Isai*; atqui nulla subesset, si hæc idem diceret, quod illa. b) Loca modo citata ex Apoc. V. & XXII. vel maxime postulant sensum sublimiorem: nam *germen* Davidis esse, per se nil adeo magnum dicit, ut Dominus, jam in gloria summa constitutus, ab eo simpliciter appellari vellet, quod cum tot aliis bonis malisque commune habebat. Quod vero Christus, stirpe Isai & Davidis regia ad inopitas redacta, & ad radicem usque succisa, *radix* ejusdem & *genus* fuit, ita ut familia & regnum Davidis in ipso novum nacta sint splendorem, eumque sempiternum, nec ulli amplius eclipsi obnoxium, id profecto ad gloriam ejus pertinet.

§. VI.

Pergimus in textu, ubi jam 3) sequitur: אֲשֶׁר עֹמֵד לְנֵס עַמִּים, *quae stans* (sc. est, vel erit) pro quo LXX. & Paulus habent: καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν · *surgens ad imperandum gentibus.* Non una hic se prodit discrepantia: A) enim עמד non videtur vertendum fuisse ἀνιστάμενος, *surgens*, sed ἱστάμενος, seu ἑστὼς, *stans*. At hæc differentia admodum levis est; a) enim græca versio metonymice saltem antecedens ponit pro consequente, quod textus hebræus innuit. *Surrexit* Christus, ut *staret* in vexillum, sicque imperaret gentibus; nec b) refragatur genius hebrææ linguæ, uti enim קום, quod proprie notat *surgere*, quandoque etiam significat *stare*, ita vicissim עָמַד, quod proprie significat *stare*, quandoque etiam adhibetur in significatu *surgendi*. Vid. Neh. VII. 65. Dan. VIII. 22. 23.

§. VII.

§. VII.

B) Quum Paulus post LXX. לְגֹוי עַמִּים, *in vexillum populorum*, interpretatur ἄρχειν ἐθνῶν, *ad imperandum gentibus*, sensum potius, metaphora involutum, eruisse, quam ab eodem aberrasse censendus est. a) In phrasi: נֵס עַמִּים, *vexillum populorum*, metaphora desumta est ab *Imperatoribus* bellicis, *vexilla* in locis editioribus, ut longe lateque conspici queant, erigentibus, *partim* arma, & expeditionem bellicam cum eo jam faciendam, quo & pertinet e JVLIO CÆS. *Bell. Gal. L. II.* Cap. 20. quod *vexillum*, ait, insigne fuisse, cum ad arma concurri oporteret; *partim* ut in ipso bello militi per hostem dispersо significent, quo se *recipere* debeat, salutis suæ & securitatis ergo. *Prius* tertium comparationis respiciunt illa loca, ubi Deus convocat populos ad expeditionem bellicam contra hunc illumve populum faciendam, ejusque voluntatem in eo exsequendam v. g. Jes. V. 26 ubi gentes convocaturus esse dicitur, adversus populum Jud. Cap. XIII. 2. ubi easdem judicia sua exsequi jubet in Babyloniis. Cf. C. XVIII. 3. *Posterius* ibi maxime intenditur, ubi de scopo convocationis *salutari* sermo est, uti *hoc loco*, & Jes. XLIX. 22. Ez. LXVI. 19. 20. *Stare* itaque Christus dicitur *in vexillum gentibus*, quatenus post *exaltationem* suam in verbo Evangelii omnium gentium *conspectui* publice *expositus* fuit tanquam *Is*, *ad quem* omnes, quibus salus sua & securitas curæ cordique est, *confluere* debeant, *sub ejus signis* deinceps *militaturi*, & quam *bono serviant Domino*, experturi.

§. VIII.

Quum vero Imperator alias non sit ipsum vexillum, haud immerito b) qu. quo jure Paulus cum LXX. τὸ *stare in vexillum gentibus*, interpretatus sit per *surgere* seu *stare ad imperandum gentibus*. Sed in vado res est: vexilla sunt signa Imperii, & significant voluntatem Imperatoris, quique ad illud confluunt, ad ipsum confluunt Imperatorem; Christus vero utrumque est, *& vexillum*, a Patre erectum, ut gentes ad illud confluant, *& Imperator*, ut imperet gentibus ad ipsum, tanquam *vexillum*, congregatis. Sicut ergo antea in verbo ἀνισταμένος notavimus metonymiam *antecedentis pro consequente*, ita nunc in ἄρχειν ἐθνῶν est metonymia *consequentis pro antecedente*, quam Paulus eo majori jure adhibere potuit, quia *suo jam tempore* complementum hujus oraculi vidit in *Imperio Christi*

Christi in gentes, sub ejus signis jamjam militantes; adeoque & hac in parte nullum est inter utrumque textum dissidium; nec illa conciliatione opus, quam CLERICVS tentavit *in NN. ad Hamm.* temere conjectans, LXX. pro לְנֵס *in vexillum*, legisse aut legendum censuisse לְנָשִׂיא, *in principem*, quasi vero tanta esset inter has duas voces similitudo, ut fraudi esse potuerit Alexandrinis. [m])

§. IX.

Supersunt 4) verba: אֵלָיו גּוֹיִם יִדְרֹשׁוּ, quæ Paulus cum LXX. reddidit: ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν. A) Qui גּוֹיִם, *gentes*, nunc dicuntur, antea dicti fuere עַמִּים, *populi*; unde Interpretes aliqui prius retulerunt ad *Judaeos*, posterius ad gentes. Sed certum est, etiam vocabulum עַם in *num. plur.* passim de *gentibus* usurpari, v.g. Jes. II. 3. 4. LI. 4 LXIII. 3. 6. unde, & Paulus cum LXX. עַמִּים per ἐθνῶν vertit æque ac גּוֹיִם. Quod vero gentes hic עַמִּים vocantur, ea forte ratio subest, quod hic considerantur ut imperio Christi jam jam subjiciendæ, adeoque in dignitatem *populi Dei* recipiendæ. [n]) B) אֵלָיו יִדְרֹשׁוּ liberius paullo redditum videtur

m) *Cel.* quoque MICHAELIS existimat l. c. LXX. in suo codice variam hanc lectionem habuisse, ut לְנָשִׂיא legerint pro לְנֵס *hätten sie aber diese Variante nicht gehabt, so müssten sie den groben grammaticalischen Fehler begangen haben, beyde Wörter mit einander zu verwechseln, und zu glauben* נֵס *heisse regieren.* Sed datur tertium: potuerunt sensum textus exprimere, nec ipsis verbis inhærere. Jam, nisallor, annotatum est, tum demum a lectione, quam hodie in LXX. deprehendimus, ad lectionem Codicis, quo usi illi fuerint, concludere nos posse, si certo constet, eos semper suam versionem *ad litteram* adstringere voluisse. Aut vero infinita exempla contrarium probant, aut textus masorethicus *plane* ex LXX. corrigendus est. Ita vero in alterum extremum nos delapsuros esse, res ipsa loquitur. Ut nihil dicamus, quam parum nobis quamplurimis in locis de vera & antiqua lectione ipsius Versionis LXX. constet. cf. supra not. b)

n) Si sub עַמִּים etiam alibi *gentes* intelliguntur, opus non est, ut pro ἐθνῶν Paulum λαῶν scripsisse, & sub illis duodecim tribus Israelis intellexisse dicamus. cf. MICHAELIS l. c. cujus forte & hoc suppositum falsum est, quod in hoc, uti in prioribus versiculis Ep. ad Rom. utriusque partis, & XII tribuum & gentium, mentio fieri debeat, quas quippe amice conspirare velit Apostolus. Satisfacit scopo suo Apostolus, modo probet, gentes, vi vaticiniorum, ad Ecclesiam Dei vo-

videtur per ἐπ' αὐτῷ ἐλπιοῦσιν. Sed curatior phraseos hebrææ consideratio docebit, græcam non adeo longe ab ista recedere. a) Verbum דָּרַשׁ cum præpos. אֶל, aut præfixo ל constructum, significare solet *consulere aliquem religiose*, tanquam *oracului*, *a quo divina petuntur responsa*. Vid. 2 Reg. I. 3. Jes. VIII 19. LXV. 1. & quæ ad locum hunc diximus in expos. Allegati LXXXVIII. Sensus ergo hic est, gentes, quæ hactenus delusæ fuerant ab oraculis falsis, hisce repudiatis *consulturas* esse Christum, omnemque suam salutem apud eum quæsituras, tanquam apud eum, qui esset *oraculum divinitatis* infallibile, & sedes divinitatis, modo longe angustiori, quam arca fœderis apud Judæos, e qua responsa Deus dare solebat. Speciatim vocula אֵלָיו innuitur, Messiam fore *unicum verum oraculum* Dei in his terris. Si enim plura darentur, non opus esset, אֵלָיו *ad Ipsum* ire consulendi causa, cum & alia consuli possent; sed ut unicus olim in orbe locus erat, (sc. sanctum sanctorum templi Hieros. & in illo arca fœderis, sedes divinitatis) ubi Deus consuli poterat; ita hic prædicitur, unicum in terris oraculum fore filium Dei, in quo habitaturum sit πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος· Col. II. 9.

§. X.

Quis jam b) dubitet, egregie hunc sensum phraseos hebrææ exprimi in versione græca: ἐπ' αὐτῷ ἐλπιοῦσιν, *in Ipso sperabunt*, seu spe sua recumbent? imo non *exprimi* tantum, sed etiam *declarari* secundum plenam suam emphasin, & ab omni *amphibolia* liberari? Nullum est dubium, Israelitas longe plurimos Deum consuluisse, vera in eum fide ac fiduciali *spe* haud animatos; sed indignum erat Deo, tale quid heic prædicere de gentibus: τὸ· יִדְרְשׁוּ אֵלָיו potius notat, gentes in *fide* ac *spe* cum *gaudio* (cf. v. 13. apud Paulum immediate subsequens) accessuras esse ad Christum, tanquam oraculum suum. Declarat igitur textus

vocari debuisse, quo adstructo necessario consequebatur, ut *uno ore* Judæi & gentiles Deum glorificare debuerint. v. 5-7. Distinguere quoque in textu prophetico עַמִּים & גּוֹיִם videtur b. ZACHARIÆ, sed ita, ut mentem ejus non plane assequar. *Es wird noch die Wurzel, der letzte und vornehmste Ueberrest des Hausses, so von Jesse abstammet, zu der Zeit aufstehen, welcher die* Völker *unter seiner Herrschaft vereinigen wird. Zu diesem werden auch die* heidnische Völker *sich wenden, als zu dem, auf welchem ihre Hofnung gegründet ist. Paraph. Erkl. p. 113.* Nescio. quos *populos* contradistinguat *populis gentilibus*: Israelitas certe XII tribuum in hac versione non facile quisquam intelliget.

tus græcus, *quo animi habitu* gentes consulturæ sint oraculum in N. T. loquens, eoque ipso exprimit, quod in tota re præcipuum erat. Putem, hac ratione nullum amplius, quod momenti quid habeat, dubium allegationem Apostoli premere.

§. XI.

Progredior itaque II) ad *vindicias applicationis*; 1) subjectum prophetiæ C. XI. apud Jesaiam e Judæis R. MOSE *Haccohen* & ABEN-ESRA, ac e christianis GROTIUS, CLERICUS in *NN. ad Hamm.* & *R. A.* KORTUM, statuunt esse *Hiskiam*, regem Judæ. *Redit Propheta*, inquit GROTIUS, *ad laudes* EZECHIÆ, *sub quibus sensu sublimiore latent laudes* MESSIÆ, & CLERICUS c. l. ut sub persona *Ezechiae* describitur *Messias*, ita & in Judæorum, & quidem ex variis tribubus, imagine pinguntur gentes, quæ per totum orbem Messiæ erant creditura. Tempore Pauli credebant vulgo Judæi, ea loca ad Messiam spectare, ideoque recte apud eos urgentur. Nec specie caret hæc sententia, quia, fatente ipsomet VITRINGA p. 299. postquam Propheta C. X. descripsisset memorabilem lapsum superbi regis Assyrii, postulare videbatur prophetiæ series & fatorum ordo, ut porro depingeret prosperitatem temporum & regni Hiskiæ, quæ casum Assyrii exceptura sit; saltem probabilior est hæc interpretatio, quam illa JUST. HENR. JUNGMANNI, JCti, in *Prophetа Daniel referato*, *L. II. Sect. II. C. VII. p. 156. ss.* qui de *Serubabele* hic cogitat. Plane vero luxuriantis ingenii lusus est, prætereaque nihil, opinio *Prof.* quondam *Helmst.* VAN DE HARDT, in peculiari *Disp. in Cap. XI. Jes.* A. 1695. edita sub tit. *Hiskias* in *Sigismundo* (Imp. Rom. Sec. XV.) *resurgens*, *ex Jesaiae C. XI. & Libris Regum & Chronicorum illustratus*, ubi in limine statim impingit, quando temeritati suæ in eo præsidium quærit, quod scriptores N. T. non *apte* allegent hoc Jes. Caput, ut ex eo indubitato constet de sententia & applicatione; contrarium nosse poterat & debebat ex ipso hoc loco nostro.

§. XII.

Nos missum jam facimus hoc delirium, & 2) GROTII ac JUNGMANNI sententiis de *Hiskia* & *Serubabele* sequentia opponimus: A) Hasce *duas personas*, ceteroqui satis illustres, & magni in populo Dei nominis, pro subjecto prophetiæ nostræ haberi non posse, recte arguitur e

praedicatis, quæ per totum caput eidem tribuuntur; hæc enim sunt quasi *characteres* illi, e quibus subjectum, quod in prophetia suo nomine non appellatur, cognosci & ab aliis dignosci debet; si cui vero alii subjecto ea non competant, eidemque aliter aptari non possint, quam infanti Herculis cothurni, illud etiam subjectum prophetiæ non esse, pro certo habendum est.

§. XIII.

Ostendemus hoc a) ratione *Hiskiae*. α) Num eo tempore, quo natus est Hiskias, domus Isai, & familia Davidis regia, jam erat similis *trunco ad radicem usque succiso?* v. 1. β) an ita requievit super Hiskia Spiritus S. cum omnibus suis donis, ut v. 2. legimus? γ) Quæ historia docet, illum odoratum esse timorem Dei, ut pios ab hypocritis infallibiliter discernere potuerit? v. 3. δ) Quæ terra ab ipso percussa est, non armis, non bello, sed sceptro oris & spiritu labiorum suorum? v. 4. ε) An ipso regnante truculentissimi hostes ita mansuefacti & populo Dei consociati sunt, ut v. 6 -- 8. legimus? ζ) An sub eo tam alta pax regnavit, ut nulla amplius læsio, injuria, oppressio & vis iniqua locum invenerit? e. g. η) An ejus tempore repleta fuit terra notitia Dei, ut aquæ mare operiunt? v. 9. ϑ) Num gentes ad ipsum, tanquam ad sublatum vexillum, confluxerunt, eumque tanquam oraculum consuluerunt, omnem in eo spem ponentes? v. 10. ι) Quæ sub ejus regno notabilis facta collectio Judæorum per totum orbem dispersorum? v. 11. 12. κ) Num cessavit sub eo æmulatio omnis & invidia inter Juda & Ephraim? v. 13. & num λ) utrique junctis viribus ei subjecerunt Philistæos, Arabes, Idumæos, Moabitas, Ammonitas? v. 14. Quid denique μ) *Ægyptus* sub eo mali passa est? v. 16.

§. XIV.

Quod b) *Serubabelem* attinet, is quidem e *trunco Isai jam succiso* effloruisse dici potest, & sub ejus principatu facta est aliqua Judæorum *recollectio*, quæ duo quam maxime urget JUNGMANNUS; sed reliqua prædicata omnia quam ei sunt dissimilia? speciatim altæ illius & profundæ pacis, subjugationis hostium & conversionis gentium ne umbra quidem in ejus historia & temporibus ostendi potest; sed quævis contraria potius. Nil quidem intentatum relinquit Auctor citatus, ut phrasin Prophetæ Zerubabelo suo quomodo-

documque attemperet, eumque loqui cogat, quod ipse vult, sed vix merebitur assensum eorum, quibus religio est, verba scripturæ extenuare, privare emphasi sua, & in sensum exilem aut nullum detorquere.

§. XV.

Quam egregie contra & in plena sua emphasi B) omnia regis in hoc Cap. descripti prædicata in *Christum* quadrent, demonstratu perquam facile est: a) Ortus sane est e *trunco Isai jam succiso*; b) requievit super eo Spiritus Domini sine mensura, Joh. III. 34. c) Odoratus est timorem Dei, Joh. I. 48. 49. quod ex sententia ipsorummet Judæorum character Messiæ erat, Luc. VII. 39. ff. d) Eidem 2 Thess. II. 8. disertis verbis tribuitur prædicatum comm. 4. apud Jesaiam, quod scil. spiritu oris sui interfecturus sit impium. e) Leges regni ejus sunt æquissimæ justissimæque, & animos subditorum inter se devinciunt perfecta charitate & concordia. f) Populi maxime *barbari*, deposita feritate, mansuefacti sunt susceptæ in eum fide. g) Inundavit sub ipso terram, & porro inundabit cognitio. h) In plena emphasi est radix Isai, non tantum surculus e radice Isai. i) Gentium confluxus ad eum factus est, tanquam ad oraculum divinitatis infallibile. k) Collegit sibi & porro collecturus est ecclesiam ex Judæis & gentibus, omni sublato populorum ac tribuum discrimine; & l) circa illud tempus, quo Deus regnum filii sui in orbe fundavit, regnum ægyptiacum & syriacum in eum jam statum erat redactum, ut progressum vocationis gentium & Judæorum ad regnum Christi impedire haud potuerit. Cœcus ergo sit oportet, qui Christum ejusque regnum C. XI. Jes. non depictum videat. °)

o) Nec prætereundus hic veterum Judæorum consensus, quorum plurimi unice de Messia hæc interpretati sunt. Cf. SCHOETGENII *Jesus der wahre Messias p. 124. 177. 256. 301. 887. 893.*

CI. ALLEGATVM.

ROM. XV. 21.

Ἀλλὰ καθὼς γέγραπται· οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, ὄψονται, καὶ οἱ οὐκ ἀκηκόασι, συνήσουσι.

JES. LII. 15.

כִּי אֲשֶׁר לֹא־סֻפַּר לָהֶם רָאוּ וַאֲשֶׁר לֹא־שָׁמְעוּ הִתְבּוֹנָנוּ׃

VERSIO LXX.

Ὅτι οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, ὄψονται, καὶ οἱ οὐκ ἀκηκόασι, συνήσουσι.

§. I.

In *Collatione textus graeci*, qui plane ex LXX. virali desumtus est, *cum hebraeo*, nulla se offert discrepantia praeter hanc, quod voculis περὶ αὐτοῦ in hebraeo nil respondet. Has autem a Paulo & LXX. haud invito contextu, sed exegeseos ergo additas fuisse, mox patebit in συγκρίσει singularum vocum utriusque textus.

§. II.

1) Particulam כִּי, ab Alexandrinis per ὅτι redditam, omisit Paulus, libertate usus in allegando, quae nemini potest denegari, cum utique cuivis liceat, verba auctoris citati, in stilo *relativo* posita, vel excerpere e contextu, & neglectis *particulis connectendi*, in stilo *recitativo* exprimere, vel *ut connexa* cum praecc. sistere, in stilo *relativo*. 2) אֲשֶׁר לֹא־סֻפַּר לָהֶם in graeco sonat: οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ· hicque notamus A) אֲשֶׁר לָהֶם recte translatum esse unica vocula οἷς, loco duarum, οἷς-αὐτοῖς, quod hebraismus esset, qui אֲשֶׁר saepe cum alio relativo pleonastice conjungit. Exempla tam hebraea quam graeca vid. in GLASSII *Ph.S. p. 739. f.* B) לֹא־סֻפַּר graece

græce redditum est: ἐκ ἀνηγγέλη, quasi in hebræo esset: לֹא הֻגַּד, non *annunciatum est*. Sed סָפַר non modo significat *numerare*, *zehlen*, verum etiam *narrare*, *erzehlen*, quod idem est cum *nunciare*. C) περὶ αὐτῦ addiderunt LXX. & Paulus, ut indicarent, *quid* illud sit, quod Propheta dicat gentibus non narratum, seu annunciatum esse; scil. *doctrina de Christo*: hic enim est *servus Jehovae*, de quo inde a v. 13. sermo erat, & ad hunc relativum αὐτῦ respicit.

§. III.

3) Circa verbum hebr. רָאוּ, observandum est: A) esse illud *praeteritum propheticum*, vim habens *futuri*, unde LXX. & Paulus verterunt ὄψονται; LUTHERUS in Jesaia vertit *mit Luſt ſehen*: & omnino hoc involvit verbum רָאוּ; rectius tamen omisit in Ep. ad Rom. B) Qualis *visio* hic intelligenda sit, discendum est e v. 10. *& videbunt omnes fines terrae salutem Dei nostri* scil. *in spiritu*: gentes enim non viderunt Christum *in carne*. *Cognoverunt* scilicet, quibus *antea* nil de ipso annunciatum erat, salutem in Christo paratam, & ipsum Christum, ut יְשׁוּעַת אֱלֹהֵינוּ, postquam ipsis annunciatus erat in evangelio tam certo ac tam vivide, ac si & ipsum & omnia, quæ ad salutem hominum peregit, oculis suis vidissent, nec jam opus habebant, ut aliorum recensioni crederent, propria jam experientia edocti, quid habeant in Christo?

§. IV.

4) וַאֲשֶׁר לֹא־שָׁמְעוּ, presse redditum est: οἷς οὐκ ἀκηκόασι· subaudi iterum περὶ αὐτῦ Hoc sequitur ex præced. hemistichio; ubi nullus annuncians, ibi nullus auditus, Rom. X. 14. Neque tamen hic negatur, etiam gentium *fidem fuisse ex auditu*, secundum generale assertum c. l. v. 17. *audiverunt* sane postea ab Apostolis evangelium de Christo, & ex eo fidem conceperunt, sed hic describitur status gentium ante tempora evangelii, ubi nil audiverant de Christo; quia τὰ λόγια τῦ Θεῦ concredita erant solis Judæis, Rom. III. 2. & illorum erant promissiones, C. IX. 4. coll. Deut. IV. 7. 8. Pſ. CXLVII. 20. 5) הִתְבּוֹנָנוּ optime exprimitur per συνήσωσι, *intelligere* enim est significatus utriusque verbi, nisi quod in hebræo forma *Hithpael* hanc præterea emphasin habeat, ut notet, *ex-*

citare vel applicare se ad intelligendum. Contrarium de Judæis dicitur Jes. VI. 9. 10. coll. Matth. XIII 14. 15.

§. V.

His de sensu verborum præmissis, superest II) ut dispiciamus, num revera hoc dictum inserviat scopo Apostoli, adeoque is apposite illud *applicaverit?* Dixerat v. 20. se in ministerio suo id inprimis operam dedisse, ut prædicaret evangelium, *non ubi nominatus esset* Christus, h. e. iis maxime in locis, ubi ne nomen quidem illius notum erat, idque se feciſſe, ne inædificaret alieno fundamento, h. e. ab alio jam posito. Quia vero Judæis id ipsum quam maxime exosum erat, Act. XIII 42 - 50. dicto V. T. recte se feciſſe, probare consultum ducit; ἀλλὰ, inquit, καθὼς γέγραπται· Nemo non videt, orationem esse ellipticam, ut supra v. 3. similem habuimus, atque ex contextu sic supplendam: sed prædicare studui evangelium, sicut scriptum est, h. e. non iis, qui jam inaudivere de Christo, ac ab aliis ad ejus cognitionem perducti sunt; sed iis, quibus hactenus nil narratum fuit de ipso, & qui nil de ipso audivere, gentibus scil. ad quas evangelium hucusque non pertigit. Quodsi itaque probari possit, oraculum citatum revera loqui de præconio evangelii inter gentes, quæ hactenus nil de ipso audiverunt, earumque conversione ad Christum, hactenus eis ignotum, constabit sane, in *applicatione* apostolica nil jure desiderari posse.

§. VI.

GROTIUS quidem, cum omnino statutum haberet, per *servum Jehovae*, v. 13. ſſ. descriptum, infeliciſſimo conatu *Jeremiam* intelligere, adeoque non posset non quamcunque occasionem arripere, illius in hanc scenam introducendi, etiam *Allegatum* nostrum pervertit, in *Annott. ad Rom. XV. 21.* hanc illi notulam adspergens: *videbunt res non ante nunciatas, & intelligent non ante audita, quod primo sensu dictum iis, qui videre eventum vaticiniorum Jeremiae: mystico sensu optime ad evangelium refertur.* Ad *Jesaiam* vero hæc annotat: *Reges*, ut Nabuchodonosor Chaldæorum, Necho Ægyptiorum, eorumque satrapæ admirabuntur cum silentio, ubi videbunt omnia, quæ dicet *Jeremias*, ita ad amussim & suis temporibus impleta, *quia, quod explicatum illis non fuerat* (ab alio quoquam) *id viderunt*, (per ipsum apertiſſime prædictum) & *quae non audierunt*, (ab astrologis

&

& magis ſuis) *haec intellexerunt*, (ab ipſo prævisa.) Viam illi in hac parhermenia præivit, R. SAADIA GAON; ſecutus vero eundem eſt HAMMONDUS in *Paraphraſi ad Rom. XV.* CLERICO autem *N. N. ad Hamm.* hæc interpretatio recte videtur contorta eſſe, quamquam ipſe mox inſigniter hallucinetur: Paulus, inquiens, recte potuit hoc vaticinium, loquens de vocatione gentium proferre, cum vulgo hic locus ad Meſſiam pertinere crederetur. Quaſi vero Apoſtolus heic κατ' ἄνθρωπον ſaltem argumentaretur. p) Judæi, qui *de populo Iſr.* hanc pericopam exponunt, verba citata ſic interpretantur, quod ipſi viſuri ſint, quod non eſt annunciatum, & contemplaturi plus quam audiverunt, h. e. plus experturi reipſa, quam per prophetas prædictum ſit. Sed hæc recitaſſe eſt refutaſſe.

§. VII.

Firmum potius manet, prædici h. l. *vocationem & converſionem gentium*, & totam pericopam agere *de Chriſto*. Vid. quæ Alleg. LXXXV. Rom. X 15. ex Jeſ. LII. 7. hac de re diximus, & CALOVIUS *in B. J. ad Jeſ. LII. & LIII.* Mirum eſt, cuiquam potuiſſe aliud quid in mentem venire. Antiquiores certe Rabbini conſenſere in hac periocha de Meſſia interpretanda, ut prolixe docet RAYM. MARTINI *in Pug. Fid.* & ex eo CALOVIUS *c. l.* Quodſi autem illa de Chriſto agit, & ſpeciatim v. 15. vocatio & converſio gentium prædicitur, dictum hoc ſane ſcopo Apoſtoli inſervit, quam quod maxime; ſi enim ii, quibus antea haud narratum eſt de Chriſto, videre, & qui non audiverant de ipſo, intelligere debebant, utique φιλοτιμία Pauli in prædicando evangelio, ubi illud huc usque res inaudita erat, in ipſo verbo prophetico fundata fuit. Dum ſibi diœceſin ſuam elegit iis in locis, ubi altum hactenus erat de Chriſto ſilentium, eo ipſo operam ſuam ſubſervire juſſit voluntati divinæ, per Jeſaiam præſignificatæ. Cf. v. 15 - 19. it. C. XI. 13. Gal. II. 7.

p) De modo argumentandi κατ' ἄνθρωπον, ſpeciatim circa Allegata V. T. ex profeſſo egimus *in der beſtätigten Beweißkraft der von Chriſto und den Apoſteln angeführten Schriftſtellen des A. T. Tüb. 1774.*

CII. AL-

CII. ALLEGATUM.

1 COR. I. 19.

Γέγραπται γὰρ· Ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν, καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν ἀθετήσω.

JES. XXIX. 14.

וְאֹבְדָה חָכְמַת חֲכָמָיו וּבִינַת נְבוֹנָיו תְּסַתָּתָר׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν (αὐτῶ), καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν (αὐτῶ) κρύψω.

§. I.

Quodsi I. textum *graecum* cum *hebraeo* conferamus, 1.) se nobis offert verbum וְאֹבְדָה, quod est *tertiae* personae, & significationis *intransitivae*, per ἀπολῶ in *prima* persona & *transitive* redditum, praeeuntibus *Alexandrinis*, qui pariter pro *peribit* habent *perdam*. Nec sane invito contextu id factum est, sed prorsus ex mente Prophetae, qui & ipse hunc *effectum* referri vult ad suam *causam*, h. e. Deum: DEVS in principio commatis sic in *prima* persona loquens inducitur: *idcirco ego is sum, qui addet mirabiliter agere cum populo hoc, valde mirabiliter agendo;* deinde judicium Dei, quo tam mirabiliter acturus sit, exprimitur in *tertia* persona: *& peribit sapientia sapientum ejus, & prudentia prudentum ejus evanescet.* Quum ergo LXX. & Paulus in *prima* persona vertunt ἀπολῶ, eo ipso hunc effectum tribuunt causae suae, cui & Propheta illum tribuerat; speciatim Paulus, *priora* oraculi verba non allegans, hoc ipsum eo compensat, quod *posteriora*, apud Prophetam in 3. pers. prolata, exprimit in 1ma, in qua antea locutus erat Deus, scite hoc modo lectori statim in animum revocans, sapientiae abolitionem & intelligentiae sublationem, de qua loquatur, non pendere *ab humano casu*, quo sapientia mundi cum novi-

novitate etiam gratiam ſuam amittere, atque ita exoleſcere ſoleat, aut a *temporis injuria*, qua ſæpe fiat, ut in hac illave orbis terrarum parte ſtudiorum culturæ ſumma ſuccedat barbaries; ſed a juſto Dei judicio, qui homines vaniloquos, & vaniloquentia ſua ſapientiæ divinæ obſtrepentes, non ferre amplius poſſit.

§. II.

2) חָכְמַת חֲכָמָיו, *ſapientiam ſapientum ejus*, (ſcil. populi judaici, init. verſus) Alexandrini & Paulus verterunt *τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν*, non addentes *αὐτῶ*, ad exprimendum ſuffixum in חֲכָמָיו, uti nec in ſeqq. poſt *συνετῶν* ad exprimendum ſuffixum in נְבֹנָיו; quamquam enim *relativum* hoc pronomen in textu LXX. virali hodie occurrat, id tamen ORIGENIS potius interpolationi, quam primæ manui deberi, haud vanis indiciis conſtat. Vide ſis *Editionem Breitingerianam* ad h. l. & confer. Prolegg. ad T. I. C. II. §. 9. Paulus certe omiſit; at nec opus erat addere, cum e contextu apud Prophetam facile quivis diſcere queat, *cujus populi* ſapientes & prudentes intelligendi ſint? &, ſi Apoſtolus illud ſua jam ætate in LXX. virali non invenit, perquam id *ſcopo* ejus accommodum erat, cum hæc verba *a ſpecie ad genus* transferre vellet, prouti infra oſtendemus. 3) וּבִינַת נְבֹנָיו, *intelligentia intelligentium*, ſive, ut alii vertunt, *prudentia prudentum ejus*, accurate in græco ſic exprimitur *καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν*. Uti nimirum in V. T. חָכְמָה & בִּינָה ſeu תְּבוּנָה, item חָכָם & נָבוֹן ſæpe junguntur, e. g. Deut. IV. 6. Hiob. XII. 12. XXVIII. 12. 28. Pſalm. XLIX. 4. Prov. I. 2. II. 6. 10. 11. III. 13. IV. 5. IX. 10. XVI. 16. XXI. 30. XXIII. 23. Jeſ. V. 21. XI. 2. ita & in N. T. *σοφία καὶ σύνεσις*, *σοφὸς καὶ συνετὸς*, Matth. XI. 25. Luc. X. 21. Col. I. 9. B. BENGELIUS ad c. l. Matth. XI. *σοφίαν* & *σύνεσιν* ſic diſtinguit, ut *illa* notet habitum *noeticum*, *haec* vero *dianoeticum*.

§. III.

q) Hoc & duo ſequentia Allegata Vir beatus uno ſchediaſmate academico complexus eſt, ſub titulo: *Commentatio Philologico-Critica in verba Pauli 1 Ep. ad Cor. Cap. I. v. 19. 20 & 31. Allegatum ex Jeſ. XXIX. 14. & Parodiam ad Jeſ. XXXIII. 18. iterumque Allegatum ex Jer. IX. 24. exhibentia. Tub. 1766.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0113
DFG

§. III.

Ad verbum hebræum תִּסְתַּתֵּר notandum A) ea, quæ ad verbum וְאִבְרָה & *peribit*, per ἀπολῶ *perdam*, redditum, ſupra obſervavimus, etiam heic valere. B) τὰς LXX. illud minus commode interpretatos eſſe, per κρύψω, *abſcondam*, melius autem, atque ad rem hoc verbo ſignificatam accommodatius, Paulum per ἀθετήσω, *abrogabo, abolebo, auctoritate ſua exuam.* Proprie enim תִּסְתַּתֵּר ſignificat *abſcondet ſe;* id ipſum vero cum Deus ſibi tamquam cauſæ ſupremæ tribuat init. comm. recte Apoſtolus adhibuit verbum ἀθετήσω, quod reapſe nil aliud dicit, quam hoc, *faciam, ut ſe* abſcondat. VITRINGA hebræam phraſin apte ſic exponit: abſcondet ſe, i. e. *evaneſcet, nullum effectum edet, non prodibit in lucem, ac ſi non eſſet.* Germanice autem non minus apte ſenſum eundem tia exprimas: der Verſtand der Verſtändigen wird *ſich verkriechen müſſen* (vor der Weisheit des Evangelii.) Huic certe expoſitioni egregie congruit verbum καταιχύνη verſu 27. quod una cum verbo καταργήσῃ v 28. verum ac plenum τῷ וְאִבְרָה & תִּסְתַּתֵּר ſenſum exhibere, vix dubitare licet.

§. IV.

Vindiciis allegationis ſuccedant nunc II) vindiciæ *applicationis.* 1) GROTIUS aliique pauci totam prophetiam Cap. XXIX. Jeſaiæ *ad tempora Hiskiae* referunt, & v. 1. ac ſeqq. deſcribi putant expeditionem illam Senacheribi, Regis Aſſyriorum, adverſus urbem Hieroſolymam, quæ hic nomine myſtico appelletur *Ariel;* ſed non quadrat hiſtoria 2 Reg. XVIII. XIX. Hæc enim non teſtatur, copias Aſſyrii *totam* urbem circumdediſſe, & minus adhuc, illas eandem cinxiſſe vallo, aut turres præſidiarias, aliave munimenta obſidionalia contra eam erexiſſe, quod tamen vates h. l. prædicit v. 3. ſed contrarium potius legitur 2 Reg. XIX. 32 - 36. Intentarunt tum quidem Aſſyrii Hieroſolymæ obſidionem, ſed ira ſtetit intra minas, & Deus horribili judicio effectum impedivit, ita ut Aſſyrius, infecta re, & antequam *vel aggerem* circa eam funderet, prout diſerte dicitur v. 32. domum reverti coactus fuerit. *Alii* proinde hic cogitant de calamitate *babylonica*, ſeu obſidione & expugnatione urbis per Chaldæos, ut NIC. à LYRA, TREMELLIUS, SANCTIUS, PISCATOR, Annotatores ad Biblia *Belgica*, CALOVIUS, & quos hic ſibi conſen-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0114
DFG

sentientes laudat in *Bibl. Ill. ad h. l. Jesaiae*; r) Nec sane idem huic sententiæ objici potest, quod præcedenti, cum negari haud possit, historiam hujus obsidionis, 2 Reg. XXV. 1. ss. descriptam, satis bene respondere illi, quam propheta heic describit. Verum tamen nec in hac subsisti posse, argumenta illa docebunt, quæ mox allaturi sumus pro sententia eorum, qui Prophetam hic longius prospicere arbitrantur, scil. *usque in tempora N. T.* ita ut hoc caput XXIX. præcipue depingat judicium Dei gravissimum, cui (ut VITRINGAE verbis utamur) populus judaicus, ratione status sui tam temporalis quam spiritualis, succubiturus sit circa extrema tempora Reipublicæ, a *Romanis* tandem evertendæ.

§. V.

Amplexi sunt hanc interpretationem, post EVSEBIVM, CYRILLVM, THEODORETVM, LVTHERVS, FORERIVS, COCCEJVS, BOCHARTVS, SEB. SCHMIDIVS, MICHAELIS *in Bibl. Hal.* VITRINGA, RAMBACHIVS, MOSHEMIVS *in exposit. vernac. 1 Ep. ad Cor. p. 108.* & BAVMGARTENIVS *ad eandem* p. 53. Rationes autem, quæ & nobis eam persuadent, huc redeunt: A) recte VITRINGA urget *rationem & analogiam verbi prophetici*, præsertim *Jesaiani*. Cum enim prophetæ passim soleant in vaticiniis suis tendere ad *extrema*, & eventus *intermedios* spectandos exhibere in suis *complementis*, adeoque, ut *Ven.* CRVSIVS ait *in Hypomnem. ad Theol. Proph. P. I. p. 621.* res, a Prophetis prædictæ, plerumque sistantur *complexe*, ita ut in universo suo ambitu summatim spectentur, vel κατὰ τὸ ἀποτέλεσμα, h. e. secundum id, quod res erit, ubi ad fastigium suum pertigerit, non item additis partibus singulis, nec successiva graduum consecutione, aut periodorum temporis distinctione, etiam ubi de remotis, vel per tempora longe dissita divisis, dicitur; cum, inquam, hæc ita se habeant, atque ita sentire, testimoniis N. T. de amplitudine verbi prophetici, e. g. Act. III. 24. 1 Petr. I. 10. 11. admodum consentaneum sit: nullo sane modo probabile est, Jesaiam, qui in pluribus jam vaticiniis prophetiæ suæ, e. g. C. I. V. VI. XXII. graviora fata Hierosolymorum, eorumque desolationem, prænunciaverat, hoc in loco, ubi judicium in hanc urbem graphice & data opera describit, leviorem ejus

r) b. ZACHARIÆ *in der paraphr. Erklärung ad h. l. Jes. XXIX. 14. handelt nicht von dieser heidnischen Weißheit, sondern von der eingebildeten Klugheit der jüdischen Lehrer, in welcher sie alle Weissagungen der Propheten von der Babylonischen Gefangenschaft für ungereimt hielten.* Vid. etiam *Comm.* nostra *Praelim.* T. I. Cap. II. §. VI.

calamitatem tantum memoraturum fuisse, graviore & plane exitiali omissa. B) Prophetia, juxta hanc hypothesin exposita, sensum exhibet *maxime emphaticum*, qui, si cetera sint paria, & circumstantiæ faveant, semper in verbo Dei sectandus, longeque præferendus est *dilutiori*, qualis e. g. ille est, cum GROTIVS verba textus nostri sic explicat: *nihil proficient versuti illi, qui agitant consilia sive de acciendis Ægyptiis, sive de deditione Assyrio facienda*, ad quæ solide respondet CALOVIVS in *Bibl. Ill. ad Jes. Nihil talium consiliorum vel in hoc textu Jesaiae, vel in historia de obsidione Hierosolymae 2 Reg. XIX. habetur; non enim leguntur ejusmodi consilia agitasse vel suscepisse Hiskiae consiliarii.*

§. VI.

C) Christus *obsidionem Romanam* prædicens Luc. XIX. 43. XXI. 20. iis maxime phrasibus utitur, quibus & Propheta v. 2. 3. nam וְהַצַּקְוֹתִי & συνέξουσί σε πάντοθεν, וְחָנִיתִי כְדוֹר עָלַיִךְ & περικυκλώσουσί σε, pro quo LXX. habent verbum simplex κυκλώσω, item וְצַרְתִּי עָלַיִךְ מָצוֹר & περιβαλοῦσιν - χάρακά σοι, locutiones sunt tam sibi similes, ut nihil magis; adeoque optimus Servator haud temere creditur ex hoc Jesaiæ loco, tamquam plane parallelo, descriptionem suam obsidionis romanæ repetiisse, cum præsertim in nulla præcedentium tam accurate is, quoad minutissimas circumstantias in eo prædictas, impletus fuerit, quam in hac, uti collatio docet a VITRINGA p. 141. inter hæc Jesaiæ & Lucæ loca ac narrationem Josephi instituta. Nec sequitur hinc, propheticam prædictionem excidii Hieros. hoc modo *Jesaiae* potius tribuendam fore, quam *Christo;* rem *ipsam* æque *hic* prævidit, ac *Jesaias*. sed *verbis hujus* eam describere voluit. ut doceret, non alia se prædicere Judæis, nisi quæ a prophetis V. T. jam prædicta fuerint, &, cum *sua*, etiam Jesaiæ prædictionem simul impletum iri. D) Plus adhuc roboris habet argumentum, quod locus Matth. XV. 7. ss. coll Marc VII. 6 ss. suppeditat, utpote in quo Christus comma 13. prophetiæ nostræ, cum Pauli allegato e v. 14. intime cohærens, diserte ad doctores & populum judaicum *sui temporis* applicat, & Jesaiam *de ipsis prophetasse* dicit, hoc ipso agnoscens in Jesaiæ dicto *prophetiam* de hominibus suæ ætatis, ut in qua duo illa vitia ab Jesaia notata, hypocrisis & superstitio, in gente judaica magis quam umquam antea fuere conspicua.

§. VII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0116
DFG

§. VII.

Fruſtra hic intercedit CLERICVS, *in Notis ad Hammondum*, non crediderim, *inquiens*, uti Grotius quidem exiſtimavit, hic (ſcil. Matth. XV. 7. ſ.) ſpectari *alterum implementum* vaticinii Jeſaiæ, qui iſtis verbis *nil praedicit*, ſed caſtigat Hebræos ſui temporis; verum ita loquitur Chriſtus, quia Jeſaias, veteres Judæos deſcribens, eadem opera indolem ultimorum nepotum graphice expreſſerat; itaque προφητεύειν *hic non debet urgeri*, nec alia eſt ſententia verborum Chriſti præter hanc: ea dixit *de majoribus veſtris* propheta Jeſaias, quæ *in vos* aptiſſime quadrant, ut, ſi reipſa ad vos reſpexiſſet, aliter loqui non potuiſſet. Atquæ neceſſitas, quæſumus, nos cogit, ut, *propriam* τῦ προφητεύειν ſignificationem, qua notat *futura praedicere*, & quam ipſe CLERICVS ad Luc. I. 67. p. m. 280. *propriam* appellat, hoc loco, deſerentes, *figuratam* præferamus? num ibidem a CLERICO Epimenidi potius, quem Paulus Tit. I. 12. προφήτην appellat, nomen hoc in ſenſu proprio ac eminentiori vendicandum erat, quam Jeſaiæ hoc loco? num verbum προφητεύειν etiam 1 Petr. I. 10. nil aliud ſignificat, quam quod prophetæ V. T. ea quandoque dixerint, quæ in res N. T. aptiſſime quadrent, ut, ſi reipſa ad eas reſpexiſſent, aliter loqui non potuiſſent? aut num Act. III. 24 omnes prophetæ, inde a Samuele ac deinceps, non aliter dies N. T. prænunciaſſe dicuntur, quam dicendo quædam, quæ his aptari quodammodo poſſunt? Cur denique CLERICVS adeo difficilem ſe præbet in agnoſcenda Jeſ. XXIX. 13. veri nominis prophetia, quam tamen agnoſcit ejusd. Cap. v. 17. ſqq. licet in eo erret, quod Judæorum tantum in melius mutationem per evangelium ibi prædici exiſtimat, cum *gentilium* potius *converſio* prædicatur, uti VITRINGA ex analogia verbi prophetici ad hanc alteram Capitis partem docet.

§. VIII.

Quodſi autem E) verſu 17. & ſeqq. de converſione gentium ſermo ſit, ea ſane, quæ præcedunt, non poſſunt non intelligi de iſto finali & peremtorio in gentem judaicam judicio, cujus *conſequens* eſſe debebat converſio gentium, i. e. de excidio per Romanos, & iis, quæ proxime illud vel antegreſſa vel ſecuta ſunt: unde & Paulus, quæ v. 10. de judicio ſpirituali excœcationis dicuntur, ad Judæos ſui temporis applicat Rom. XI. 8. Ad hæc omnia accedit F) quod ipſimet Judæi hanc pro-

phetiam, post destructum templum secundum, & subsequentibus seculis usque ad hodierna hæcce tempora, impletam fuisse, passim in scriptis suis confitentur, quando scribunt, *sapientiam* in Israele *ab illo tempore indies diminutam* fuisse usque in hodiernum diem; ita SURENHUSIUT *βιβλ. καταλλ.* p. 520. locum vero huc spectantem, eumque insignem, ex *Gemara* ad *Sota cap. ult. fol. 49. 1. 2* producit WOLFIUS *in Cur.* laudatum quoque B. BAUMGARTENIO *in Expos. vers. 1. Ep. ad Cor. p. 53.*

§. IX.

Jam si per hactenus dicta, *ad tempora N. T.* spectet hæc prophetia, omnino Paulus eam 2) prorsus *ad mentem Spiritus S.* allegasse censendus est. At, inquis, Jesaias loquitur de sapientia, quæ in *Judaismo* magni fiebat, Paulus e contrario sapientiæ *Graecorum* opponere hoc dictum videtur, cum v. 22. expresse id *Graecis* tribuat, quod *sapientiam quaerant.* Resp. de *scopo* Apostoli in allegatione hujus dicti judicandum potius esse *ex nexu illius cum praecedentibus.* Versu 18. *generatim* is locutus est de de *pereuntibus*, sive dein *Judaei* sint sive *Graeci*, quos v. 22. demum a se invicem distinguit, quo facto v. 25. ss. iterum *generatim* de *sapientia hominum* loquitur. Quin jam antea, & mox post allegatum nostrum, v. 20. 21. aperte locutus erat de sapientia *τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ in genere.* Non ergo Græcorum modo seu gentilium sapientiæ hoc oraculum opponitur, sed *omni sapientiae mundi*. adeoque & isti, quam Judaismus tum crepabat; quamquam vero illud aperte *hanc* tantum pro objecto habeat, allegatio tamen ejus ad denunciandum utrique, tam gentilium quam Judæorum sapientiæ, interitum juste fieri potuit *per translationem dicti de specie ad genus*, ob *rationem*, cui utraque species subsstat, *generalem*, vid. CARPZOVII *Crit. S. p. 863.* ubi & noster hic locus pro exemplo allegatur; ac sane eo magis Apostolus effatum hoc *generalius* accipere potuit, quo certius est, interitum sapientiæ judaicæ & ethnicæ in implemento illius haud longe a se invicem abfuisse; utramque expertus est evangelio inimicam; utramque & per evangelium devictum iri testatur.

§. X.

Hisce præsuppositis cum ratione omnino asseverare licet, validissime Paulum hoc dicto probare, *partim* quod v. 17. dixerat, scil. quia Deus ipse per Jesaiam interitum minatus sit sapientiæ humanæ, recte se

se facere, & consilio divino prorsus congrue, si evangelium prædicet non ἐν σοφίᾳ λόγϖ, ne inanis reddatur crux Christi, (i. e. ne minus appareat virtus crucis Christi, aut verbi de cruce: si fides evangelio habita adscribi posset sermoni erudito & artificioso) *partim* quod in fine comm. 18. legitur, scil. verbum crucis esse δύναμιν θεῦ iis, qui salventur, licet aliis μωρία sit, adeoque certam illi victoriam esse de omni sapientia mundi. Ita certe Apostolus ipse dictum nostrum de interitu sapientiæ mundi infra v. 25. ss. explicat, stultitia Dei, inquiens, *sapientior* est hominibus, & infirmitas Dei *validior* est hominibus: stulta & infirma mundi elegit Deus, ut *pudefaceret* sapientes & robusta: elegit ignobilia mundi & pro nihilo habita, & quæ non sunt, ut, quæ aliquid sunt (in oculis mundi) *aboleret*. Hæc autem *pudefactio* & *abolitio* id ipsum est, quod in textu hebræo innuitur verbis וְאַבְּדָה & תִּסְתַּתֵּר, atque in græco verbis ἀπολῶ & ἀθετήσω, uti supra jam observavimus sub fin. §. III.

CIII. ALLEGATVM.

1 COR. I. 20.

Πῦ σοφός; πῦ γραμματεύς; πῦ συζητητὴς τῦ αἰῶνος τύτυ;

JES. XXXIII. 18.

אַיֵּה סֹפֵר אַיֵּה שֹׁקֵל אַיֵּה סֹפֵר אֶת־הַמִּגְדָּלִים׃

VERSIO LXX.

Πῦ εἰσιν οἱ γραμματικοί; πῦ εἰσιν οἱ συμβελεύοντες; πῦ ἐστιν ὁ ἀριθμῶν τὺς τρεφομένυς [s]) (συστρεφομένυς);

§. I.

Num *Allegatum* ſtricte ſic dictum heic habeatur, an *alluſio* tantum aut *parodia*, an denique neutrum horum, ſed *verba ipſius Pauli*, una cum proxime ſequentibus concluſionem ejus ex allegato præcedente complectentia? de eo hactenus inter Interpretes nondum convenit. *Primo* enim (ut a poſtremo ordiamur) poſt CLEMENTEM ALEX. & FR. JUNIUM, MOSHEMIUS *ad h. l.* p. 108. ſ. nullam hic *allegationem* loci Jeſaiani agnoſcit, immo ne *alluſionem* quidem ad illum, ſed *affectui Pauli* unice hanc exclamationem tribuit, eumque ut victorem, hoſtes ſuos in fugam ſe proripuiſſe cum admiratione & gaudio cernentem, iisque inſultantem,

s) Nemo lectorum non mirabitur, quomodo LXX *Interpretes* מִרְגָּלִים *turres* verti potuerint per τρεφομένυς, quos etiam *Vulgatus* ſequitur: ubi eſt doctor *parvulorum*. *Die gemeine lat. Ueberſezung iſt hier lächerlich: ſie lautet alſo:* Wo iſt der Lehrmeiſter der kleinen Kinder? *Engl. Bibelw. ad h. l.* Sed ponantur Interpretes in Codice non punctato pro מְגַדְּלִים legiſſe מְגֻדָּלִים *educati*, qui *educantur*, *adoleſcunt*, Pſ. CXLIV. 12. & ſatis perſpicitur, cur ita verterint. Varians lectio συστρεφομένυς iis deinceps in mentem venire potuit, qui *parvulos* inter belli adminiſtros ægre ferebant. σύστρεμμα enim LXX pro *agmine* ſeu *turma militum* dicitur. Vid. TROMMIUS *in Conc. gr. ſub h. v.*

tem, ſchemate hoc rhetorico uſum eſſe exiſtimat. Conf. *Doctiſſ. Annotator ad Baumgarteni Expos. huj. Ep. p. 55. n. (4)* *Alii* παρῳδίαν quandam ad Jeſaiæ verba in verbis Pauli agnoſcunt, ut v. g. GROTIUS, HAMMONDUS, CLERICUS. *Alii denique allegatum proprie ſic dictum* heic exhiberi ſtatuunt, & *vel* ipſum oraculi ſenſum literalem, ut BRENTIUS, CALOVIUS, SEB. SCHMIDIUS, MICHAELIS *in Bibl. Hal. vel* myſticum ſaltem Chriſtum & tempora N. T. literalem vero tempora Maccabæorum reſpicere contendunt, ut VITRINGA & ex illo RAMBACHIUS. Jam nulla eſt inter has ſententias, quæ non certo veriſimilitudinis gradu gaudeat, quam vero ex iis noſtram faciamus, mox luculentius patebit. Expendemus I) *ſingulas*, intertexta ſimul explicatione verborum, quæ pro diverſitate hypotheſeos, cui unaquæque innititur, non poterit non diverſa eſſe. II) ἐπίκρισιν noſtram ea qua, par eſt, modeſtia ſubjungemus.

§. II.

I) In divortio ſententiarum modo memorato occurrit 1) illa, quæ *nullam neque allegationem neque alluſionem* heic agnoſcit; atque huic favere videtur A) quod nulla hic præcedat *formula citandi*, & ne quidem καὶ πάλιν illud, quo alias allegatum allegato jungi ſolet, ut v. g. Rom. XV. 10. 11. Sed regeri poteſt a) verſum 20. pertinere adhuc ſub ditionem τῷ γέγραπται v. 19. nec vel ideo peculiari formula citandi opus fuiſſe, quoniam allegatum hoc præcedens ſequatur paucis Capp. interjectis. b) Si vel maxime ſub formula γέγραπται non comprehenſum ſit hoc allegatum, idem hic forſan accidiſſe, quod Rom. XII. 20. ubi pariter allegatum habemus nulla citandi formula veſtitum B) Favet etiam dictæ ſententiæ, quod tam inſignis diſcrepantia ſit inter utrumque textum, ut operoſa conciliatione opus ſit, iis præſertim, qui ſenſum literalem utrinque eundem faciant, adeoque iſtam vel id unum commendare poſſit, quod ſuperſedere hoc modo liceat onere conciliandi. Verum alii huic quoque difficultati mederi ſe poſſe haud deſperant. Non obſtante illa in verbis aliquibus differentia, quæ ſane communis ſit huic allegato cum pluribus aliis, tantam tamen ajunt in reliquis eſſe harmoniam, ut vix dubitare liceat, Paulum ad minimum quodammodo *reſpexiſſe* ad iſtum Jeſaiæ locum, cum verſum 20. ſcriberet; id quod etiam eo credibilius ſit, quod Apoſtolus paullo ante *ex Jeſaia* quædam adduxerit. Favere C) videri poſſit etiam illud, quod Apoſtolus mox in *altero* hemiſtichio v. 20. ubi is ſine dubio ipſe loquatur, in eodem *interro-*

rogationis ſchemate pergat, quod in *priori* quoque adhibitum fuerit, adeoque omnino veriſimile ſit, utrumque hemiſtichion nonniſi Pauli verba exhibere, absque ullo reſpectu ad verba quædam V. T. Aſt heic quoque non deeſt, quod reſpondere liceat: hærere utique animo Pauli in poſteriori hemiſtichio adhuc poterat ſchema interrogationis aut exclamationis ex allegato prioris hemiſtichii, &, poſtquam e citatis prophetæ verbis etiam affectum illius induiſſet, non poterat non eadem cum illo loquendi ratione eundem exprimere.

§. III.

Quod ad 2dam ſententiam ſpectat, quæ in verbis Apoſtoli *parodiam* ſeu alluſionem ad verba Prophetæ agnoſcit, ea rurſus id habet commodi, ut Interpretes illam amplexi, agnito licet mutuo reſpectu horum locorum, non tamen opus habeant, in conciliandis illis deſudare, cum id tantum negotii ſibi datum eſſe exiſtimare poſſint, ut genuinum utriusque loci ſenſum indagent ac eruant. Age, audiamus, quem iſti ſenſum tribuant A) textui hebraico? a) quæ in hoc præcedunt *initio* v. 18. לִבְּךָ יֶהְגֶּה אֵימָה communiter vertunt *cor tuum meditabitur terrorem*, h. e. impetrata abs Deo liberatione meditaberis (ſeu ad animum tibi revocabis) terrorem ſuperioris temporis, quo ſcil. ſtatu ante hoc tempus res tuæ fuerint, cum omnia plena eſſent terrore, ob irruptionem Aſſyrii. b) reliqua verba: אַיֵּה כֹפֵר אַיֵּה שֹׁקֵל אַיֵּה סֹפֵר אֶת־הַמִּגְדָּלִים proprie vertenda putant: *ubi* eſt *ſcriba? ubi penſitator? ubi deſcribens* ſeu recenſens *turres?* Et in hoc fere conſentiunt.

§. IV.

Diſſentire autem illos deprehendimus α) in eo, num *triplex* hæc exclamatio referenda ſit *ad tempora terroris*, an vero *ad tempora liberationis?* א) Qui ad *illa* referunt, ii tres iſtas voces, סֹפֵר, שֹׁקֵל, סֹפֵר אֶת־הַמִּגְדָּלִים accipiunt *de praefectis rei bellicae inter Judaeos*, atque hunc verborum ſenſum faciunt: *cor tuum meditabitur terrorem ſuperiorum temporum, ubi ſalus omnis exſpectanda videbatur ab hominibus rei bellicae praefectis*, h. e. a *ſcriba*, milites recenſente, a *penſitatore*, tributa colligente & expendente, & a *recenſitore turrium*, cui machinarum bellicarum & munimentorum inſpectio commiſſa erat, ubi adeo ad hos homines, veluti ad præſidia ſalutis,

tis, reſpiciebatur, & paſſim audiebatur vox publica: *ubi ſcriba* &c. conf. 2 Reg. XVIII. 14. ſs quo in loco certe Hiskiam in cogendo tributo, a rege Aſſyriæ exacto, occupatum legimus. Verum his ſequentia opponit VITRINGA *p.* 253. ſi hæc verba eſſent conſternatorum Judæorum tempore irruptionis hoſtilis, non dicerent illi: *ubi eſt ſcriba? ubi penſitator*, ſeu tributorum collector? ſed potius: ubi ſunt heroes? ubi præfecti militiæ, ubi arma, quibus nos defendamus? *Locus* vero 2 Reg. XVIII. 14. huc non pertinet, ſed potius v. 17. & ſqq. ubi Aſſyrii, accepto licet tributo, vel mox, vel, ut alii volunt, aliquo poſt tempore, cum forte Hiskias iterum renuiſſet tributum pendere, Hieroſolymis obſidionem denuo minati eſſe leguntur; tunc autem Hiskiam iterum de tributi coactione ſollicitum fuiſſe, hiſtoria Cap. XVIII. & XIX. nusquam memorat; *terrorem* potius per irruptionem Aſſyrii incuſſum, reſponſo divino per Jeſaiam Hieroſolymitanis mox excuſſum fuiſſe diſerte perhibet.

§. V.

γ) Qui exclamationem hanc *ad tempus liberationis* referunt, iterum in partes abeunt; *vel* enim *) tribus iſtis vocabulis deſignari putant *miniſtros regis Hiskiae*, ut ſenſus ſit: cor tuum meditabitur terrorem ſuperioris temporis, quo ſalus omnis pendere viſa eſt a miniſtris regis; hoc terrore jam liberatus dices: *ubi eſt ſcriba* &c. non jam amplius tali auxilio, non defenſoribus iſtis egemus; *vel* **) *miniſtros regis aſſyrii*, hoc ſenſu: cor tuum meditabitur terrorem, qui tibi incuſſus fuit per minas Aſſyrii, & a quo nunc liberatus es; exultans ob liberationem tuam, & inſultans calamitati ſuperioris temporis hoſtique illam inferenti, dices: ubi nunc eſt ſcriba &c. ubi ſunt miniſtri bellici regis aſſyrii? nusquam amplius apparent, perierunt, aut in fugam verſi ſunt, non amplius terrebunt nos: qua poſteriori expoſitione admiſſa Paulus Prophetæ verbis perquam appoſite uſus eſt ad triumphum de hoſtibus evangelii canendum.

§. VI.

Magis adhuc β) Interpretes diſſentiunt in determinanda ſignificatione trium iſtarum vocum ratione *munerum* iis deſignatorum. סֹפֵר ſcriba *Kimchio* eſt פּוֹתֵב הַמַּס, miniſter publicus, qui conſcribit tributum,

ſcil. quantum cuique in tributo publico pendendum ſit? *Piſcatori* conſiliarius bellicus, *Grotio* miniſter regis aſſyrii, qui captivos matriculæ inſerebat; שֹׁקֵל *Kimchio* notat ponderatorem, tributum e manibus tributariorum collectum ponderantem, & *Grotio* collectorem tributorum, *Piſcatori* autem eum, qui appendebat nummos in mercedem militum; סֹפֵר אֶת־הַמִּגְדָּלִים deſcribens ſeu recenſens turres *Kimchio* eſt miniſter publicus, qui turres ex palatiis magnatum prominentes, ipſas quoque vectigales, recenſebat taxabatque, *Piſcatori* architectus bellicus, cujus eſt deſignare, ubi & quotnam turres ſeu munitiones exſtruendæ ſint ad obſidendam aliquam urbem? *Grotio* metiens turres. Nobis certum eſt, deſignari *officia*, eaque *militaria* maxime, apud Aſſyrios; quæ autem præciſe innuantur, vix putamus conjectura aſſequi licere: cum enim de officiis militaribus apud Judæos non ſatis nobis conſtet, quanto minus de aſſyriacis certi quid definire licebit?

§. VII.

Diximus de ſenſu textus *hebraei* ex ſententia eorum, qui Paulum ad iſtum alluſiſſe tantum exiſtimant. Quod jam B) ad *graecum* attinet, cum nulla eos conciliandi textus utriusque cura tangat, liberius utique illi verſari queunt in ſenſu verborum Pauli indagando. Sunt a) qui tria hæc genera eruditorum, de quibus Apoſtolus loquitur, *unice in Judaiſmo* quærunt; & conſtat ſane, Judæos חֲכָמִים vocaſſe *doctores* ſuos, cui hebræo nomini reſpondet græcum σοφὸς: vid. VITRINGA *de ſyn. vet. p. 569. ſ.* conſtat quoque סוֹפְרִים, græce γραμματεῖς, *ſcribas*, magnum inter Judæos nomen fuiſſe: vid. BENGELIUS *in Gnom. ad Matth. II. 4.* WOLFIUS *in Cur.* & KOECHERUS *in Analectis ad eund locum*, nec non VORSTIUS Phil. S. P. I. p 67. ſs. Nomine συζητητὴς vero α) aliqui reſpici putant ad illos, qui inter Hebræos אַנְשֵׁי הַמֶּחְקָר dicti ſunt, *viri ſcrutationis*, uti appellare ſolebant philoſophos, qui cauſas rerum naturalium ſcrutabantur, juxta DRUSIUM *Praet. L. VI. am h.l.* ſed fallitur idem, quando Paulum voce συζητητὴς appellationem hanc hebraicam exprimere voluiſſe cenſet, rectequeque illi VITRINGA *c. l.* p. 670. objicit, συζητεῖν non ſignificare, *ſcrutari*, ſeu inveſtigare, ſed *diſceptare* ac diſputare: e. g Marc. I. 27 IX. 16. Luc. XXII 23. Act. VI. 9. XV. 7. coll. v. 2. unde β) veriſimilius alii, v. g. NIC. FULLERUS *in Miſc. SS.* FESSELIUS *in Adv. SS.* LIGHTFOOTUS *ad h. l.* BARTH. MAJERUS *Ph. S. P. I. p. 222.* VITRINGA *c. l.* WOLFIUS *in Cur.* notari hac voce exiſtimant hebræorum דּרְשִׁים ſive הַדַּרְשָׁנִים, quare & Syrus συζητητὴν h. l. reddiderit דְּרוּשָׁא; notabat autem דָּרַשׁ

apud

apud Hebræos *inquirere* in verum, genuinum, & profundum ſcripturæ ſenſum, atque ſimul de eo *disquirere*, ſive id habita *oratione* (propria vel tropica) fiat, ſive per *interrogationes* mutuas, & per *diſputationes* publicas ac privatas. Sic VITRINGA, *c. l.* paucis comprehendit omnia, quæ inſunt in poteſtate hujus vocis, dein ulterius ea declarans p. 672. ſſ.

§. VIII.

Haud diffitemur, omnia hoc pacto bene conſpirare: triumphavit evangelium *de Judaeorum ſapientibus, ſcribis, & diſquiſitoribus*, iis præſertim, qui in interpretanda Scriptura S. *ſenſum myſticum & allegoricum*, מדרש dictum, ſectati ſunt, atque hac in re ad ineptias usque ſubtiles ſe præbuerunt: ſed Apoſtolum in hoc ſuo triumpho *nonniſi Judaiſmum* in animo habuiſſe, prorſus improbabile eſt; contrarium nobis perſuadet, quod additur τῦ αἰῶνος τέτυ. Quamvis enim VITRINGA *c. l. p. 671* hæc verba accipiat de *œconomia V. T.* hanc tamen reſtrictionem *nec* ſcopus Apoſtoli admittit, qui eſt, victoriam verbi crucis de *omni* ſapientia mundi, etiam *ethnici*, non *judaici* ſaltem, deſcribere, *nec* contextus, in quo mox de σοφία τῦ κόσμυ generatim ſermo eſt v. 20. 21. hic vero κόσμος ad *Judaeos & gentiles* refertur v. 22. Quin & ſtatus eccleſiæ corinthiacæ, in qua tam *Exjudaei* quam *Exgentiles* Apoſtolo negotium faceſſebant, argumento eſt, eum de *Ethniciſmo* æque ac *Judaiſmo* hic loqui; quam ipſam ob rationem admitti etiam nequit *Cel. Angli*, IO. LOCKII, conjectura, quod Paulus hic ſermonem ſuum dirigat ad *unum aliquem doctorem falſum*, qui *ex Judaeis* ortus, Corinthiorum eccleſiam turbare atque ad ſe allicere conatus, & his nominibus forte gloriatus ſit. *Singularis* σοφὸς κ. τ. λ. omnino *collectivus* eſt, recte proin a LUTHERO verſus *in plurali*; deeſt etiam articulus ὁ, quem ſine dubio præmiſiſſet Apoſtolus, ſi *unum* aliquod *individuum* his vocibus deſignare voluiſſet: licet enim *poſitio* ejus haud neceſſario ac ſemper unum aliquod individuum arguat, cum is etiam totum aliquod genus hominum notare poſſit, *omiſſio* tamen illius certum præbet indicium, non de hoc illove individuo ſermonem eſſe. Hæc de *prima* claſſe Interpretum.

§. IX.

Ad b) ſpectant ii, qui nomina σοφὸς, γραμματεὺς, συζητητὴς, *vel* ex parte ad Judaiſmum, & ex parte ad Ethniciſmum referunt, *vel* omnia

& singula ad utrumque simul. α) Ex *illis* NIC. FULLERO σοφὸς est philosophus *gentilium*, γραμματεὺς doctor *judaicus*, & quidem secundarius iste, vulgaris & grammaticus; συζητητὴς itidem doctor judaicus, sed primi ordinis, scil. mysticus דּוֹרֵשׁ & בַּעַל הַמִּדְרָשׁ Hebræis dictus; SURENHUSIUS contra *duo* priora nomina, σοφὸς & γραμματεὺς, ad *Judaeos* eorumque sapientiam spectare existimat, *tertium* vero ad *Gentilium* philosophos, de quavis materia subtiliter disquirentes, & disquisitionibus suis philosophicis mirum quantum tribuentes, indeque etiam apud populum, *Corinthi* præsertim, in magno honore habitos. MOSHEMIUS denique *cit. lib.* p. 110. voce σοφὸς notari existimat philosophos *Graecorum*, voce γραμματεὺς doctores judaicos, & vocabulo συζητητὴς, *scrutator*, *disquisitor*, eos *gentilium* philosophos, qui, nulli sectæ addicti, contra omnes libere philosophati sunt, & veritatem hactenus latentem investigare demum & eruere voluerunt, quales erant *Academici*: addit tamen *Vir Cel.* forte etiam inter *Judaeos* hujuscemodi homines fuisse.

§. X.

Verumenimvero id ipsum, quod Interpretes in determinando horum vocabulorum sensu adeo fluctuant, nunc *unum* nunc *duo* vel ad *Judaeos* vel ad *Gentiles* referendo, & unum idemque sive ad hos sive ad illos; argumento esse possit β) tutissimam forte eligi viam, si *omnia & singula* ad *utrosque* referantur. Σοφὸς certe non modo respondet hebræo חָכָם, sed etiam illud ipsum nomen est, quo gentiles insignire solebant philosophos suos, eos præsertim, qui præcepta morum tradebant, ut *VII. illi* per Græciam nobiles, deinde *Socrates*, & alii. Γραμματεὺς non solum respondet hebræo סֹפֵר, quod denotat *Legisperitum*, νομικὸν & νομιδιδάσκαλον alias dictum, qui sensum scripturæ grammaticum populo explicabat, &, de rebus perplexis consultus, ex lege respondebat; sed etiam, GROTIO judice, loquendi genere helleniſtico, generatim notare potest *legum peritum* & *historiarum*, etiam inter *gentiles*, sive *literatum*, ut CASTALIO vertit, sive *literatorem*, ut TERTULLIANUS, sive *philologum*, ut HAMMONDUS. Συζητητὴς denique respicere potest *primo* ad Hebræorum דּוֹרְשִׁים, seu Interpretes legis mysticos & allegoricos, juxta illorum opinionem scripturæ sensum profundiorem indagantes, profundiusque concionantes, disputantes: hæc enim omnia involvit vox דּוֹרֵשׁ, *deinde* etiam ad philosophos gentilium, subtilius disputantes.

§. XI.

§. XI.

Supereſt 3tia ſententia §. I. memorata, quæ ſcil. non alluſionem duntaxat, ſed *allegatum proprie ſic dictum* in textu noſtro agnoſcit, neque, ut eod. §pho vidimus, auctoritatibus caret. Quippe non deſunt A) qui ipſum adeo *ſenſum* oraculi *literalem*, directum, ac proximum, *tempora N. T.* reſpicere ſtatuunt, negantes contra & pernegantes, prophetam Hiskiæ tempora innuere, & ſtatum populi judaici ab Aſſyrio liberati. Atque hi verſus immediate præcedentis 17mi hunc faciunt ſenſum literalem: Videbunt oculi fidelium *Meſſiam* regem in decore ſeu majeſtate ſua, dominantem non in angulo tantum terræ, ſed *in terra longinqua*, in toto orbe terrarum; verſus 18vus autem hoc illis dicit: cor tuum præ admiratione obſtupeſcet, dicesque: *ubi eſt ſcriba*, h. e. literatus? *ubi ponderator*, h. e. qui omnia ponderare vult trutina mentis ſuæ? *ubi numerans* ſeu recenſens *turres*, h. e. qui res altas ac ſublimes hujus ſeculi recenſet, ac de iis disquirit? non enim ſapientes hujus ſeculi præcipuum locum obtinent in regno Chriſti, ſed humiles, abjecti ac ſimplices; ita CALOVIUS *in Bibl. Ill. ad Jeſ.*

§. XII.

B) In ſumma rei non admodum longe ab his recedit VITRINGA, interpres non e multis, qui Jeſaiam *myſtice* hic locutum eſſe, & proxime ad tempora *Maccabaeorum*, remotius autem ad *Chriſti* tempora reſpexiſſe contendit. Dabimus cogitata ejus in compendio: negat is α) deſignari tribus iſtis nominibus *officia* ſeu civilia ſeu militaria, vel in populo judaico, vel apud Aſſyrios, α) quia nulla ſit *analogia* inter abolitionem ſcribarum, qui milites recenſent, aut cenſum conficiunt, collectorum tributi, & architectorum bellicorum, ac abolitionem ſapientum, doctorum, ſcribarum, literali eruditione ſua ſuperbientium. β) quia voces, *ſcriba*, *penſitator*, *recenſitor turrium* alibi in iſto ſignificatu non occurrant, unde, ſi Propheta de ordinariis quibusdam muneribus civilibus ac militaribus locutus eſſet, ſine dubio voces adhibuiſſet uſitatiores. γ) quia, ſi vates per verba: *Cor tuum meditabitur terrorem*, hoc vellet dicere: meditabitur terrorem *ſuperioris temporis*, *dum hoſtes tibi imminebant*, graviora forte ſubjeciſſet, quæ terrorem & conſternationem ante id tempus maxime moverant, ut ſi dixiſſet: ubi eſt *ſpoliator?* ubi *vaſtator?* ubi *truculentus miles?*

§. XIII.

§. XIII.

Has ob rationes *Vir doctiſſ.* b) pro certo habet, Jeſaiam *myſtice* locutum eſſe; vox סֹפֵר, *ſcriba*, ipſi notat virum doctum, eruditione literali imbutum; שֹׁקֵל, *ponderator*, *librator*, ipſi eſt vir ingenio exercitatus, rationes cujusque rei judicii ſui lance librare ſolitus, & conſilii prudentia ceteris melior habitus; סֹפֵר אֶת־הַמִּגְדָּלִים *recenſitor turrium* vero ex illius ſententia deſignat *dialecticum ſubtilem* & ingenii vafri, qui pro hac illa, quam defendit ſententia, in medium producit varia argumenta, quibus, ſeu ex quibus tamquam robore & munimento ſuo, pugnat, עֲצֻמוֹת, *robora*, ideo dicta Jeſ. XLI. 21. Hac verborum ſignificatione ſuppoſita, idem c) hunc totius commatis ſenſum facit: Cor tuum meditabitur terribile effectum divinæ potentiæ & juſtitiæ, quod nemo mortalium ſecum exputare potuiſſet, quando ſcil. Deus, eccleſiam ſuam per media omnium, ut videbatur, ineptiſſima ſalvando, omnem mundi ſapientiam pudefecit; exiſtimabant homines carnales, aut nullam ſalutis ſpem eſſe, aut eandem ab aliis cauſis exſpectandam, & per alia media efficiendam fore, ſed Deus ſapientiam ſapientum abolevit. Deinde, quod ad *implementum* prædictionis ſpectat, haud quidem negat *laud. Auctor*, Deum *etiam Hiskiae tempore* ejusmodi magnum & mirabile opus ſalutis effeciſſe in liberatione populi ſui ab Aſſyrio, & quidem cum confuſione ſapientum ſeculi; ſed exiſtimat tamen, hujus prophetiæ complementum longe clarius conſpici ac demonſtrari poſſe *in temporibus Maccabaicis*, (vid. Comm in Jeſ. p. 254. col. b.) omnium vero clariſſime *in Eccleſia N. T.* ubi Deus, eludendo omnem faſtum hominum ſecularium omnemque ſubtilitatem ingenii ſcribarum legis & philoſophorum gentilium, contra omnium exſpectationem & opinionem, regnum ſuum in mundo fundaverit.

§. XIV.

Jam d) hunc ſenſum dicti *myſticum* VITRINGA ſtatuit Paulo ante oculos verſatum eſſe, cum probare vellet, *œconomiam novam* inſtitui debuiſſe *per inopinata media*, ut aboleretur ac infatuaretur ſapientia literalis & carnalis doctorum γραμματικῶν gentis judaicæ, & philoſophorum quoque atque oratorum gentilium; ita vero *Paulum* cum Jeſaia conciliat, ut ποῦ σοφὸς, *ubi ſapiens?* reſpondere ſtatuat hebræo אַיֵּה שֹׁקֵל; ubi *ponderator*,

rator, ponderans rerum quarumcunque, *levium & gravium* quæsitorum, rationes, quod sapientis sit; ποῦ γραμματεὺς, *ubi scriba?* hebræo סֹפֵר, ubi *literatus*, qui se jactat rerum humanarum divinarumque scientia? ποῦ συζητητὴς, *ubi disquisitor?* hebræo אַיֵּה סֹפֵר אֶת הַמִּגְדָּלִים *ubi recensitor turrium*, h. e. philosophus acutus, disputator, qui argumentis, ut putat, fortissimis pro sententiis suis acriter pugnat. Ceterum a *Viro Cel.* tanta cum fiducia hæc omnia proponuntur, ut, postquam p. 254. col. a. dixisset, *eam esse interpretationis suae elegantiam, ut non opus habeat a se commendari*, sub finem meditationum suarum ad v. 18. *p. 255.* tandem exclamet: *En perfectum consensum Jesaiae & Apostoli! quem demonstrasse, erat operae pretium;* nec sane dubium est, eum verbis comm. 17. quæ ipsi augustiora visa sunt, quam ut *de Hiskia* exponi queant, eo adductum fuisse, ut nihil intentatum relinqueret, an comma 18. temporibus primo maccabaicis, deinde Novi Testamenti, quodammodo aptari possit.

§. XV.

Recensitis hactenus sententiis reliquum est ut II) nostram tandem ἐπιχρισιν subjiciamus. Contra 1mam) quæ Apostolum *ne quidem per allusionem* ad locum Jesaiæ respexisse statuit, supra jam §. II. nonnulla monuimus; nobis, cum maxima Interpretum parte, certum est, Pauli animo eundem obversatum esse, cum allegato Jesaiano v. 19. hunc *paeana* v. 20. subjungeret: *Ubi est sapiens* &c. Restat igitur 2) ut eundem vel *pro veri nominis allegato*, vel *pro parodia* tantum habeamus. A) Nullum est dubium, si evinci possit, sensum, quo *tertia classis* Interpretum verba prophetæ induit, genuinum, & a Spiritu S. primario vel secundario intentum esse, locum hunc paulinum pro allegato proprie sic dicto habendum fore; sed nobis quidem id nondum satis probatum esse videtur: a) enim, quod *a Pauli citatione* duci solet, argumentum, mera est *petitio principii*, quia supponitur, quod in quæstione est, scil. Paulum *Interpretem* hic egisse loci jesaiani. b) haud dissimulamus, verba comm. 17. per se spectata, optime quadrare in *regem Messiam*, ejusque regnum longe lateque propagatum, quin & eadem, cum reliquo verbo prophetico comparata, sponte nos invitare ac manu quasi ducere in eam sententiam, quod *augustius* quid sonent, quam majestatem regis terreni, qualis erat Hiskias; unde & lubentes agnoscimus, si comma sequens 18vum æque bene ac commode aptari posset iis, de quibus Paulus loquitur, nec tam aperte in eo de officiis quibusdam militaribus apud

Assyrios sermo esset, ut illud, nonnisi vi adhibita, ad hostes evangelii, quibuscum apostolis res erat, detorqueri possit, omnino utrumque comma de rebus ad N. T. spectantibus exponendum fore. At cum v. 18. nimis manifeste respiciat ea, quæ temporibus Hiskiæ contigerunt, utique etiam v. 17. nonnisi de regia Hiskiæ majestate, post tenebras iterum effulsura, & de securitate, terræ Canaan post afflictionem assyriacam restituenda, intelligendus erit. Videatur de *illa* 2 Par. XXXII. 23. & de *hac* 2 Reg. XIX. 31.

§. XVI.

c) Quum VITRINGA (uti supra §. XII. audivimus) postulat, ut ii, qui Paulum ea, quæ a propheta de scribis, ponderatoribus, & recensitoribus turrium apud Judæos vel Assyrios *literaliter* dicta sunt, in sensu *mystico* ad sapientes Judæorum & gentilium applicasse statuunt, *analogiam* ostendant inter hunc sensum literalem & mysticum; hoc quidem telum eos non ferit, qui in verbis Pauli meram *allusionem* agnoscunt: cum enim nullam hic statuant applicationem mysticam sensus literalis, utique etiam necesse non habent, ut analogiam ostendant inter sensum dicti literalem & mysticum. d) Sensus ille *mysticus*, quem VITRINGA tribus istis nominibus tribuit, & a vate ipso, absque ullo ad officia quædam inter Judæos sive Assyrios usitata respectu, proxime intentum fuisse, contendit, magis profecto *ab usu illorum in stilo Hebraeorum* abhorret, quam iste, quo illa certa quædam officia seu civilia seu bellica designare existimantur. De una voce סֹפֵר constat, quod virum doctum & eruditione literali imbutum Hebræis significet; sed ubi, quæsumus, סֹקֵל denotat hominem, judicii sui lance omnia pensitantem? ubi סֹפֵר אֵת־הַמִּגְדָּלִים dialecticum aut subtilem disputatorem, argumenta sua, tamquam totidem munimenta, recensentem? e) quis neget, exactionem tributorum, atque, his negatis, dimensionem turrium ad obsidendam urbem, terrorem incutere potuisse populo judaico? eundemque postea, fugatis hostibus, cum gaudio exclamasse: *ubi jam est* exactor, *ubi* architectus bellicus? neque enim ulterius tum adhuc processerat ira hostis.

§. XVII.

f) Ipse VITRINGA mox ab initio interpretationis suæ ac deinceps passim in ipsa tractatione hujus Capitis haud diffitetur, argumentum ejus

ejus non male quadrare *in tempora Hiskiae & Senacheribi*, hoc tantum sibi concedi postulans, exactius illud convenire *temporibus maccabaicis & Novi Testamenti*, his autem in sensu *mystico* duntaxat aptare potuit, quod Hiskiæ temporibus in sensu *literali* convenire negari nequit; postquam enim exercitus assyriacus stupendam stragem passus, & reliquiæ ejus fugatæ erant, propriissime omnino Hierosolymitani dicere poterant: ubi nunc est *exactor* tributorum & *architectus* bellicus? g) denique, num Deus, tempore Maccabæorum statum populi sui pene collapsum per media apparenter ineptissima mirabiliter restaurans, dici potest *sapientiam* doctorum judaicorum & philosophorum gentilium *prostituisse* ac pudefecisse, imo prorsus *abolevisse*, id quod tamen Paulus h. l. probare intendit? An isto jam tempore ulla ratione facta censeri potest abolitio sapientiæ mundi, quam Apostoli verba innuunt? &, si vel maxime facta sit, num credibile est, prophetam id expressurum fuisse triplici hac exclamatione: ubi jam scriba? ubi ponderator? ubi recensitor vel dimensor turrium? Non sane ita loqui amant prophetæ, & mystica illa *Vitringae* expositio, quæ & Rabbinis quibusdam arrisit, *Cabbalam* magis judaicam redolet, quam stilum propheticum. Vid. Comm. in Jes. p. 254. nota A.

§. XVIII.

Fatemur, hæc eo apud nos valere, ut B) dam sententiam, quæ *parodiam* saltem ad verba Prophetæ in verbis Apostoli agnoscit præferendam putemus. Postquam scil. Paulus abolitionem sapientiæ mundi per verbum crucis versu 19. probasset dicto Jesaiæ XXIX. 14. ipsi vel Jesaiæ volumen evolventi in oculos incurrit, vel a memoria suggestum fuit, quod haud longe post citatum dictum C. XXXIII. 18. legitur, ubi liberatus ab Assyrio populus Dei, hunc stupendum potentiæ Dei effectum meditans, in hunc pæana erumpit: ubi scriba? ubi exactor tributorum? ubi architectus bellicus? Cum igitur similem victoriam de hostibus ecclesiæ meditaretur Paulus, eatenus suum fecit istum pæana, ut, servato ejus schemate rhetorico, verba paululum inflecteret ad rem, de qua ipsi sermo erat, סֹפֵר quidem accurate exprimens per γραμματεὺς, sed pro שֹׁקֵל ponens σοφὸς, & pro סֹפֵר אֶת־הַמִּגְדָּלִים συζητητὴς, sicque tribus his nominibus omnes & Judæorum & Gentilium eruditos, hostes evangelii acerrimos, complectens. Placet hic appingere verba *Theologi angli* DODDRIDGII, *in Expos. paraphr. N. T. Edit. germ.* scite rem ita repræsentantis: *Nach dem Zusammenhang bey dem Propheten beziehen sich*

dieſe Worte auf die Errettung des jüdiſchen Landes aus den Händen Sanheribs, und der 18. vers ſtellet die Juden als ſolche vor, die ſich mit der Betrachtung des Schreckens beſchäftiget, der ſie überfallen, die aber auch, als ſie die Zernichtung aller feindlichen Anſchläge geſehen, mit Verwunderung ausgeruffen: Wo iſt der Schreiber, der die feindliche Macht gezehlet und gemuſtert? Wo iſt der Zahlmeiſter, der unter die Armee die Lehnung ausgetheilet? Wo iſt der Ingenieur, der die Thürme und Bollwerke angewieſen, gegen welche und von welchen der Angriff geſchehen ſolle? Dieſe Worte ahmet nun der Apoſtel nach, ob er wohl andere Vorſtellungen damit verbindet, und triumphiret über die Zernichtung aller feindlichen Anſtalten zur Verhinderung des Evangelii.

§. XIX.

In hunc fere ſenſum verba tam Prophetæ quam Apoſtoli interpretari ſolent ii, qui *hunc* ad *iſtum alluſiſſe* tantum exiſtimant, licet cetera in determinanda ſignificatione *trium* iſtarum vocum, quibus uterque hoſtes, non humana ſed divina potentia devictos, in hoc ſuo epinicio deſignat, diverſas ineant vias. Atque hac ratione omnino ſuperſedere licet omni iſta textus hebræi & græci tortura, quam alii ad utrumque conciliandum adhibere neceſſe habent. Quodſi autem plane quis impetrare a ſe nequeat, quo minus *veri nominis allegatum* in hoc loco noſtro agnoſcat, id, ſi multum largiamur, eatenus ſaltem per nos fieri poterit, ut Paulus *dictum de una re ad rem ſimilem aliam* transtuliſſe, idque eo majori jure facere potuiſſe dicatur, quo certius ſit, victorias populi Dei de hoſtibus ſuis tempore V. T. *figuras & pignora* fuiſſe illuſtriſſimorum eventuum N. T. quamquam, noſtro quidem judicio, nulla hic urgeat neceſſitas, ut eo nos recipiamus.

CIV. ALLEGATUM.

1 COR. I. 31.

Ἵνα καθὼς γέγραπται, ὁ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω.

JER. IX. 23. 24.

כֹּה אָמַר יְהוָה אַל־יִתְהַלֵּל חָכָם בְּחָכְמָתוֹ וְאַל־יִתְהַלֵּל הַגִּבּוֹר בִּגְבוּרָתוֹ אַל־יִתְהַלֵּל עָשִׁיר
בְּעָשְׁרוֹ: כִּי אִם־בְּזֹאת יִתְהַלֵּל הַמִּתְהַלֵּל הַשְׂכֵּל וְיָדֹעַ אֹתִי כִּי אֲנִי יְהוָה עֹשֶׂה חֶסֶד מִשְׁפָּט
וּצְדָקָה בָּאָרֶץ כִּי בְאֵלֶּה חָפַצְתִּי נְאֻם־יְהוָה:

VERSIO LXX.

Τάδε λέγει κύριος· μὴ καυχάσθω ὁ σοφὸς ἐν τῇ σοφίᾳ αὐτοῦ, καὶ μὴ καυχάσθω ὁ ἰσχυρὸς ἐν τῇ ἰσχύι αὐτοῦ, καὶ μὴ καυχάσθω ὁ πλούσιος ἐν τῷ πλούτῳ αὐτοῦ, ἀλλ' ἢ ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος, συνιεῖν καὶ γινώσκειν, ὅτι ἐγώ εἰμι κύριος ὁ ποιῶν ἔλεος καὶ κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐπὶ τῆς γῆς, ὅτι ἐν τούτοις τὸ θέλημά με, λέγει κύριος.

§. I.

Postquam *Jeremias* in concione sua quarta, Cap. VII - IX. populo judaico prænunciasset calamitatem a Chaldæis imminentem, sub finem adhuc occurrit *falsae gloriationi Judaeorum*, sapientia, robore ac opibus suis avertendo omni periculo pares se fore somniantium, ostenditque ex adverso, *quae vera sit gloriatio*. Atque effati hujus prophetici summam exhibet *Paulus*.

§. II.

Quod itaque I. ad *allegationem* ipsam spectat, 1) *generatim* observandum est, esse hoc Allegatum ex iis, quæ dicta V. T. *compendii ergo* in

nervum ac ſummam redigunt, id quod Rabbinis dicitur *allegare* בלשון קצרה *lingua* ſeu locutione *abbreviata & compendiaria.* Utitur autem Paulus hoc compendio, non ac ſi reliquum contextum propheticum haud attendi velit, utpote qui apprime reſpondet iis, quæ Paulus v. 26. ſs. de σοφοῖς ac δυνατοῖς κατὰ σάρκα, & v. 29. de *vanitate gloriationis carnis* differit; ſed hoc tantum fine, ut oſtendat, quid jam potiſſimum e verbis Prophetæ *ad ſcopum ſuum* pertineat, & in quo *nervus oraculi* ſitus ſit? Reapſe ſub Apoſtoli brevi ſententia *affirmativa* continetur etiam *negativa* Jeremiæ, & *in Domino* gloriari in ſumma idem dicit, quod gloriari *de cognitione* Domini.

§. III.

Hoc præmiſſo, expendamus jam 2) *utrumque textum;* A) in *hebraeo* occurrit a) *exordium* כה אמר יהוה, & reſpondet ei *epilogus* נאם יהוה, quæ formulæ, prophetis admodum frequentatæ, ubi illarum alterutra, & magis adhuc, ubi utraque ponitur, quemadmodum hoc loco, ſemper indicant, Deum ad hoc illudve dictum quam maxime attendi, & ea, quæ *verbo Jehovae* debetur, reverentia excipi velle; *Jeremiam* vero ea, quæ hic dicuntur, forſan ex alia concione, in *ſolatium* piorum habita, tamquam ejus ſummam, huic ſuo *elencho* inſeruiſſe, uti *Joach.* LANGIUS *in Comm. ad h. l.* conjectat, plane non eſt veriſimile, quoniam optime hæc ſententia cohæret cum præcedentibus. b) particula אל, ter hic repetita, & *futuro* juncta, notat *nequaquam*, ut ſenſus ſit: *nequaquam* gloriabitur ſapiens &c. ſi vertas *ne*, latine ſenſus ſic exprimendus foret: *ne* glorietur ſapiens &c. quomodocunque vertas, vim habet *dehortandi*, ſeu *prohibendi*: conf. GLASSII *Ph. S.* p. 984. c) יתהלל, quod eſt Hithpael verbi הלל, *laudavit*, propric ſignificat, *laudare ſe*, *gloriari*, *gratulari ſibi*, *& felicem ſe praedicare*, h. e. laudare propriam ſortem ob hanc illamve peculiarem ἐξοχὴν aut præeminentiam, quæ cauſa impulſiva notari ſolet præfixo ב; ita GEIERUS *ad Pſalm XXXIV. 3.* d) Verba: חכם בחכמתו הגבור בגבורתו עשיר בעשרו in ſe nihil habent difficultatis; annotaſſe igitur ſufficiat, hæc eſſe *tria iſta numina*, quæ mundus colit, & in quibus omnem ſuam fiduciam ponit, *ſapientiam* ſcilicet, *potentiam*, & *opes*, quæ propterea ipſi audiunt nervus rerum gerendarum. Verum, licet ea quandoque non ſine effectu opponantur aliorum hominum prudentiæ, robori, ac opibus, nil tamen valent adverſus Dominum, ubi jam in eo eſt, ut judi-

judicia ſua exſequatur. Vid. Prov. XXI 30. Pſalm. XXXIII. 16. 17. Apoc. XVIII. 15. ſqq. Memorabile quoque eſt, *tertiam* ſententiam: *dives ne glorietur in divitiis ſuis*, prioribus per *Vau* copulatis, & præterea accentu *Athnach* a tertia ſejunctis, ſubjici per *aſyndeton*; id quod ideo fortaſſe factum, quod etiam mundus, neque in *prudentia*, neque in *potentia* ſola ſalutem ſemper poſitam, ſed *hanc illi jungendam eſſe*, facile intelligit; ubi vero utraque ſe deluſum ſentit, divitias tamen pro ultimo habet refugio, iisque, quod conſilium & robur negaverit, obtineri adhuc poſſe confidit: juxta illud *Coh. X. 19.* &, ſi mundum ipſum audire placeat, HORATII *Sat. L. II. III. v. 94. 98.*

— — — omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulcris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens etiam & rex,
Et quidquid volet.

Judæi certe, quid pecunia valeat, experti erant *in Senatheribo* 2 Reg. XVIII. 13 - 16. quid itaque mirum, ſi eandem ipſi vim tribuerint contra Chaldæos?

§. IV.

e) כִּי אִם LXX. reddiderunt ἀλλ' ἤ, quod alias notat *niſi*, *praeterquam*, quandoque vero etiam, ut DEVARIUS *de Particc. graecis p. 27.* ex *Ariſtophane* probat, idem valet, quod ἀλλὰ μόνον, *ſed tantum*, quæ ſignificatio etiam h. l. optime quadrat; nam כִּי אִם etiam ſignificare, *ſed*, ex Pſ. I. 2. 4. & Jeſ. LIX. 2. probare ſolent Philologi. f) בְּזֹאת יִתְהַלֵּל הַמִּתְהַלֵּל, preſſe οἱ LXX. interpretati ſunt ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος· *in hoc glorietur glorians*, ſcil. qui recte & decenter, juxta voluntatem & verbum Dei, adeoque cum approbatione divina, gloriari vult. g) הַשְׂכֵּל וְיָדֹעַ אוֹתִי iterum accurate ab *Alexandrinis* redditum eſt per συνιεῖν καὶ γινώσκειν, exceptа vocula אוֹתִי, *me*; quam omiſerunt, quia *objectum* intelligentiæ & cognitionis mox uberius declaratur; verba hebræa *vivam* notare *intelligentiam* & *cognitionem*, quæ verum ſit antitheton *ſapientiae*, in qua *mundus* gloriatur, inſimulque iis *gradationem* ineſſe, & *intelligere* h. l. minus dicere, quam *cognoſcere*, res ipſa loquitur & ordo verborum.

§. V.

§. V.

h) כִּי אֲנִי יְהוָה & quæ ſequuntur, deſcriptionem continent *objecti cognitionis*, uti proxime antecedentia *objecti gloriationis*: vera ſapientia eſt, *intelligere & cognoſcere Deum*, quod ſit *Jehovah*, *faciens miſericordiam*, *judicium & juſtitiam* in terra; adeoque כִּי hoc loco non eſt *cauſale*, ſed *declarativum*. Ceterum optime apex cognitionis Dei in eo ponitur, ſi agnoſcatur pro *Jehovah*; id enim, quod *Jehovah* eſt, baſis eſt omnium reliquarum perfectionum. i) עֹשֶׂה חֶסֶד מִשְׁפָּט וּצְדָקָה בָּאָרֶץ quod LXX. pariter exacte reddiderunt: ὁ ποιῶν ἔλεος καὶ κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐπὶ τῆς γῆς, ulterius declarat, *quid* præcipue in Deo intelligere ac agnoſcere juvet, ad obtinendam veram ſapientiam. *Primo* loco ponitur *gratia* ſeu miſericordia Dei, quia ſine hac, ut CALVINUS bene obſervat, horror nos & deſperatio abſorberet, Deumque fugeremus; quum vero idem מִשְׁפָּט intelligi vult de rigore Dei adverſus impios, & צְדָקָה de fideli cuſtodia Dei, qua ſuos tuetur; minus accurata nobis videtur hæc diſtinctio, cum hac ratione צְדָקָה jam contineatur ſub חֶסֶד; melius ſe habent, quæ GROTIUS hic annotat: non dicit: quod me noverint *ſecundum naturam meam*, ea enim hominum captum ſuperat; ſed ſecundum eas proprietates, quæ homines ſpectant, quas מִדּוֹת appellant Hebræi, & quarum præcipuæ ſunt *benignitas* in pios, *ſeveritas* in impios, & in omnibus rebus *perfectiſſima* ὀρθότης, *rectitudo*, quæ hic ſignificatur nomine *juſtitiae*, generalius ſumtæ, cum alioquin ea vox varias habeat ſignificationes: & nota illud, *in terra*, contra Philoſophos, qui ante Ariſtotelem cenſuere, Dei providentiam ad *ſublunaria* non pervenire. Omnium vero optime BURCKIUS *in Gnom.* ad Pſ. XXXIII. 5. *juſtitiam* & *judicium* ſic diſtinguit, ut *illam* verſari dicat circa *unam* rem, *unam* perſonam, (ei ſcil tribuendo, quod ſuum eſt) *hoc* autem circa *duo* vel extrema, vel alias quocumque modo comparanda, diſcernenda, *rectitudinem*, v. 4. memoratam, ita *ſubdividi* ſtatuens. k) ultima verba: כִּי בְאֵלֶּה חָפַצְתִּי, ab *Alexandrinis* non minus bene ſic reddita: ὅτι ἐν τούτοις τὸ θέλημά μου (ubi θέλημα notat *beneplacitum*) αἰτιολογίαν continent, cur unice gloriandum ſit in cognitione Dei, facientis miſericordiam, judicium & juſtitiam in terra; quia ſcil. Deus in exercitio harum perfectionum ſummum ſuum beneplacitum, atque adeo & gloriam ſuam quærat. Tantum de *hebraeo*.

§. VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0136
DFG

§. VI.

Quæritur jam B) quomodo conciliari cum eo possit textus *graecus*? Verba הַמִּתְהַלֵּל יִתְהַלֵּל presse Apostolus post LXX. reddidit: ὁ καυχώμενος καυχάσθω, & hactenus nulla opus est conciliatione; quum vero is addit: ἐν κυρίῳ, primo intuitu non apparet, quid in hebræo huic phrasi respondeat? Verum supra jam diximus, gloriari *in Domino*, reapse idem esse, quod gloriari *de cognitione Domini*. Gloriationis *objectum* est *Deus*, quatenus eum *cognovimus ut Jehovam*, qui terram theatrum facit misericordiæ, judicii, & justitiæ suæ; hinc alibi in V. T. & in ipso *Jeremia* C. IV. 2. res nervose sic exprimitur: וּבוֹ יִתְהַלְלוּ, *& in ipso gloriabuntur*; conf. Jes. XLV. 25. Ps XXXIV. 3. ubi הִתְהַלֵּל construitur cum בַּיהוָה; ex quo factum fortasse est, ut pervulgata inter Hebræos *gnome* fieret: *qui gloriatur, glorietur in Domino!* Paulus certe 2 Cor. X. 17. ipsissimam hanc sententiam totidem verbis repetit.

§. VII.

Ecquid vero nunc II) de *applicatione* apostolica sentiendum est? Nullum est dubium, *scopum* hujus dicti *specialem* alium esse apud *Jeremiam*, alium apud *Paulum*. *Ille* Judæorum animis excutere isto voluit falsam illam fiduciam in propria sua sapientia, robore, ac opibus, qua sed obfirmabant adversus comminationes divinas; *hic* vero adhibuit illud, cum in eo esset, ut ostenderet, quo consilio ac scopo Deus elegerit non multos *sapientes* secundum carnem, non multos *potentes*, non multos *nobiles*, sed *stulta* mundi, *infirma & ignobilia*, ita ut *his*, non *illis*, ab ipso factus sit Christus sapientia justitiaque, & sanctificatio & redemtio? *Illos* ait a Deo neglectos esse hoc scopo, *ut ne* haberet caro, in quo gloriari posset coram ipso v. 29. *hos* contra electos, & in Christo omnibus, quæ umquam desiderari queunt, bonis dotatos, *ideo*, *ut* nemo amplius glorietur, nisi in Domino. Patet igitur diversitas scopi apud Prophetam & Apostolum; neque tamen propterea Paulus minus dextre hoc dictum applicasse censendus est: continet enim illud *axioma* quoddam *generale* pro omnibus omnium locorum ac temporum hominibus, & *supremam* quasi *rationem status*, quam divina sapientia constantissime sequitur in regimine mundi & ecclesiæ, ubi omnia Deus eo dirigit, ut carni nulla amplius coram Deo gloriandi materia supersit, *ipse* vero amplissimam homini *in ipso* gloriandi materiam suppeditet. Uterque igitur, tam Propheta, quam Apostolus, *sententiam generalem*, pro scopo suo *speciali* recte adhibuit.

CV. ALLEGATVM.

1 COR. II. 9.

Καθὼς γέγραπται· ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν.

JES. LXIV. 4.

וּמֵעוֹלָם לֹא־שָׁמְעוּ לֹא הֶאֱזִינוּ עַיִן לֹא־רָאֲתָה אֱלֹהִים זוּלָתֶךָ יַעֲשֶׂה לִמְחַכֵּה־לוֹ׃

VERSIO LXX.

Ἀπὸ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσαμεν, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν ἴδον Θεὸν πλὴν σοῦ, καὶ τὰ ἔργα σου, ἃ ποιήσεις τοῖς ὑπομένουσιν ἔλεον.

§. I.

Fuere quidem, qui hoc dictum non e libro V. T. canonico, scilicet Jesaiæ prophetia, desumtum crederent, sed e libro quodam apocrypho, nec uno ex iis, quos superstites habemus, sed deperdito, qui olim sub nomine *Apocalypsis Eliae* notus erat. Ita enim HIERONYMUS jam suo tempore *in Ep. 101. ad Pammachium*, postquam hæc verba Pauli 1 Cor. II. 9. adduxisset, conqueritur: solere h. l. apocryphorum quosdam deliramenta sectari, & dicere, quod de *Apocalypsi Eliae* testimonium sumtum sit, quia scil. in Jesaia juxta hebraicum aliter legatur; & *in Comm. ad Jesai. L. XVII.* observat, iis, qui ad apocrypha heic confugiant, id potissimum fraudi fuisse, quod in *Ascensione Jesaiae* & *Apocalypsi Eliae* hoc testimonium habeatur, prouti apud Paulum legitur. Quantum hodie constat, erravit hunc errorem speciatim ORIGENES, *Homil. ult. in Matth. XXVII. 9.* ubi hunc locum in nullo regulari libro positum ait, nisi *in Secretis Eliae;* ex Origene hoc repetit ZACHARIAS *Chrysopolitanus Harm. Evang. C CLXVI. T. XIX. Biblioth. P. P.* ἐκ τῶν Ἠλίᾳ ἀποκρύφων petitum esse scribit GEORG. SYNCELLUS *p. 27.* Conf FABRICII *Codex Pseudepigr. V. T. p. 1072.* & COTELERIUS *ad PP. Apostolicos T. I. p. 347.*

§. II.

§. II.

E recentioribus GROTIUS *ad Matth. XXVIII. 9.* Jesaiam dictum hoc ab Elia mutuatum esse affirmat, provocans hoc fine ad antiquam traditionem, cujus ORIGENES & HIERONYMUS jam meminerint; in annott. vero ad 1 Cor. II. 9. hæc habet: Cum ipsa verba, quibus hic utitur Paulus, exstitisse in apocryphis Eliæ tradant ORIGENES, HIERONYMUS, ZACHARIAS *Chrysop.* & GE. SYNCELLUS, credibile omnino est, depromsisse hoc Paulum ex scriptis Rabbinorum, qui ea habuerant ex traditione veteri; provocat etiam ad CRYSOSTOMUM, qui ad h. l. multos veteres libros periisse scribat. Recentissime PETRUS ALLIX *in den Ausspruchen der alten jüdischen Kirche wider die Unitarios p. 13. f.* eandem sententiam suam fecit. Sed rectius alii, cum Interpretum parte longe maxima, tuentur, Paulum hoc suum allegatum non aliunde quam ex Jesaiæ loco citato desumsisse; *α*) enim nuspiam Spiritus S. in N. T. phrasi καθὼς γέγραπται ad aliam, quam ad canonicam scripturam respicit; nullibi, cum ait: *sicut scriptum est*, ad scripta Rabbinorum aut ad apocryphum librum digitum intendit; e fontibus sua haurire amat, non e lacunis; *β*) quamquam locus Paulinus ab Jesaiano nonnihil discrepat, id tamen ejusmodi est, ut in aliis locis idem non minus observes, de quorum tamen origine canonica haud dubitatur. Firma igitur perstat recepta sententia citari heic ab apostolo locum Jes. LXIV. 4.

§. III.

1) In *collatione* textus græci cum hebræo deprehendimus 1) *generatim*, non unam utriusque discrepantiam, nec est, cur offendere nos id debeat; scriptores N. T. Prophetarum oracula citantes, non transcripserunt illa grammatice, sed παραφραστικῶς, sive allegando interpretati sunt, sensum eorum sectati, & minus presse inhærentes verbis, sicque & Paulus h. l. Quem allegandi modum Apostoli, ab eodem Spiritu acti, rebus non verbis intenti, non opus est componere cum more allegandi dicta Scripturæ S. in corrupta schola judaica usitato, quæ etiam hac in re nil singulare habuit; est enim mos omnibus scriptoribus receptus. Ita optime VITRINGA *p. 879.* sufficit apud Jesaiam & Paulum sensum utrinque eundem esse.

§. IV.

Patet hoc 2) ex *specialiori* consideratione discrepantiæ utriusque textus: *Omisit* Paulus τὸ מֵעוֹלָם, a LXX. redditum, ἀπὸ τῶν αἰώνος. Sed præterquam, quod ad substantiam sensus ista temporis notatio haud pertineat, adeoque hæc salva illa omitti potuerit, ea haud obscure jam anticipata fuit v. 7. ubi res eadem, quam v. 9. *oculus non vidisse*, *auris non audivisse* dicitur, appellatur sapientia Dei in mysterio, occulta illa, quam præfinivit Deus πρὸ τῶν αἰώνων; cui *occultationi*, tempore V. T. scilicet, deinde v. 10. opponitur revelatio hujus mysterii, tempore N. T. facta. Sicut apud Jesaiam מֵעוֹלָם cum seqq. *praeteritis*, שָׁמְעוּ, רָאֲתָה, הֶאֱזִינוּ, notat œconomiam V. T. in qua mysterium Evangelii adhuc occultum fuit, & sequens futurum יַעֲשֶׂה œconomiam N. T. respicit, in qua Deus præstiturus sit hactenus inaudita, ac nondum visa & percepta; ita & apud Paulum manifeste antithesis illa inter 9. & 10. œconomiam novam veteri opponit.

§. V.

B) Observamus in textu *Paulino transpositionem* verborum *Jesaiae;* in his enim *auditus visui* præponitur, in illo autem *visus auditui;* a) Ordinis apud *Jesaiam* ratio hæc est, quia cum verbis אֱלֹהִים זוּלָתֶךָ, aptius jungi poterant verba: *oculus non vidit*, quam præcedentia לֹא שָׁמְעוּ לֹא הֶאֱזִינוּ *non audiverunt*, *auribus non perceperunt;* Deus enim *praevidit*, sed non *ante audivit*, quæ facturus erat tempore N. T. *Paulus* contra b) cum v. 7. jam anticipasset, quod Jesaias de occultatione hujus mysterii in mente Dei heic inseruit, adeoque in citatione sua commode illud præterire posset, hunc servat ordinem, ut primo *oculi*, qui non vidit, deinde *auris*, quæ non audivit, ac tandem *cordis*, quod non percepit, mentionem faciat; qui ordo plane nativus est. Quæ Deus tempore N. T. facere decrevit, ea profecto, antequam fierent, nemo mortalium *vidit*, ut *narrare* aliis potuisset; quia nemo narravit, *audiri* etiam non potuerunt, nec per consequens mente *percipi*.

§. VI.

C) Jesaias *oculi* quidem organi visus in voce עַיִן, sed non *auris* tanquam organi auditus, expressam mentionem facit; Paulus vero utriusque

que organi, nec inconcinne, cum sic membra sententiæ elegantius sibi respondeant: *oculus* non vidit, *auris* non audivit, in *cor* non ascendit; quid quod Paulus h. m. ellipticam indeque subobscuram locutionem textus hebr. לֹא שָׁמְעוּ, *non audiverunt*, scil. homines, seu impersonaliter, *non auditum est*, clariorem reddat: D) Hebræorum, לֹא הֶאֱזִינוּ, *omisisse* videtur Paulus, contra vero plane de suo *addidisse* verba: καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη· his enim vix apparet, quid in hebræo respondeat. At salva res est; a) enim cum sermo prophetæ tria habeat membra, & apostolicus pariter sit trimembris, hujus vero *primum* membrum aperte respondeat *tertio* apud Prophetam, & *secundum* itidem manifeste respiciat primum, vix dubitare licet, Apostolum tertio quoque membro exprimere voluisse sensum secundi apud Prophetam. Nimirum, quod jam b) observari velim, הֶאֱזִין, pro quo Versio Alexandrina, & Novum Test. dicere solet, ἐνωτίζεσθαι, duo significat, *advertere aures* ad audiendum, quo sensu synonymon est verbi הַקְשִׁיב, *attendit*, v. g. Jes. XXVIII. 23. & tum שָׁמַע subjungi solet ut ejus consequens, ut c. l. deinde, *auribus percipere*, & tum præcedere solet verbum שָׁמַע, uti hic, & in Psalmis sæpissime. Sin autem illud præcedat, הֶאֱזִין profecto plus quiddam dicit, quam simplicem *auditum*, quem h. l. verbum שָׁמְעוּ jam indigitat, scil. præter *perceptionem auris* etiam *perceptionem mentis*, quam Apostolus hic vocat *ascensionem rei auditae in cor*, h. e superiores animæ facultates, ad imitationem phraseos hebrææ, לֹא עָלְתָה עַל־לֵב, Jer. III. 17. pro qua Latini dicunt: *in mentem venire.*

§. VII.

E) Quod Jesaias inciso: אֱלֹהִים זוּלָתֶךָ, innuere voluit, cum Paulus, ut supra monuimus, *v. 7.* jam anticipaverit, commode illud ab eo heic omissum censeri potest: אֱלֹהִים tamen postea adhuc exprimens pro ὁ θεὸς Ceterum אֱלֹהִים hic non accipiendum esse in *accusativo*, ut sensus sit: oculus non vidit *Deum alium*, qui facere aut præstare talia possit, præter te, quæ τῶν LXX. *Arabis*. VATABLI, GROTII, COCCEJI, interpretatio est; sed in *vocativo*, ut sensus sit: Quæ facturus est (per enallagen personæ pro facturus es, seu, per ellipsin, quæ facturus est Messias) ei, qui Te exspectat, non vidit oculus, *o! Deus, praeter te*, recte statuunt plerique, v. gr. TIRINUS, PISCATOR, *Annotatores Angli*, S. SCHMIDIUS,

DIUS, VITRINGA, MICHAELIS in *Bibl. Hal.* Primaria ratio hæc est, quoniam alioqui præter rem ultima commatis verba, *quae faciet Deus exspectantibus se*, nimis divellerentur a verbis: non audiverunt, non perceperunt auribus, quæ tamen Paulus cum iis connectit æque ac cum iis, quæ immediate præcedunt, *oculus non vidit.*

§. VIII.

F) Ellipsin textus hebr. in quo ante יַעֲשֶׂה subaudiendum est אֲשֶׁר, *quae*, recte Paulus supplevit pronomine relativo: ἃ; conf. GLASSII *Phil. S. p. 730. Can. XXII.* Cum vero geminet τὰ ἃ, initio versus & in fine, denuo elliptica fit ejus oratio, sic supplenda: *quae* oculus non vidit &c. *sunt ea, quae* paravit Deus; ita BENGELIUS *in Gn. ad h. l.* G) Verbum יַעֲשֶׂה, faciet, per ποιήσεις, *facies*, reddiderunt LXX. observantes in eo enallagen personæ supra notatam; Paulus vero per ἡτοίμασε, pro *faciet*, ponens, *paravit*, sicque simul *futurum* mutans in *praeteritum*; sed neutrum ab ipso factum est invito textu; a) עָשָׂה enim est πολύσημον, nec *facere* modo significat, sed etiam *parare*, e. g. Judic. VI. 19. Neh. V. 18. Ezech. XXXV. 6. & verbum *parare*, ἑτοιμάζειν, optime congruit rei, de qua hic sermo est; exprimit enim, Deum *magno apparatu fecisse*, quæ ad salutem nostram pertinent; cf. Luc. XIV. 17. 1 Petr. I. 5. b) Prophetæ *futurum* recte in *praeteritum* mutavit Paulus, quia suo jam tempore *paratam* omnibus salutem prædicare poterat.

§. IX.

H) Hebræa לִמְחַכֵּה־לוֹ, *exspectanti ipsum*, LXX. mutato numero reddiderunt: ὑπομένουσί σε, Paulus autem τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. Hinc a) aliqui putarunt, Paulum pro לִמְחַכֵּה לוֹ, *praestolanti ipsum*, legisse *diligenti ipsum*, a rad. חָבַב, quæ habetur Deut. XXX. 3. & proprie notat, *in sinu fovere, amore complecti, vehementer diligere.* Sic ERASMUS *Rot.* ad h. l. & SURENHUSIUS *p. 529.* sed optime regerit VITRINGA: α) Usum verbi חָבַב esse rarissimum, & probe quidem convenire amori, quo *Deus* homines complectitur, neutiquam vero amori hominum erga Deum, de quo verbum אָהַב constanter usurpari soleat; β) qui tam longe quæsita conciliatione Pauli cum Propheta opus esse censeant, eos ex Paulo, homine spirituali, dicta Scripturæ S. spirituali sensu allegante, facere velle

velle grammaticum. Vera potius b) mutatæ phraseos ratio hæc est, quod illa, qua Jesaias utitur, proprie sit periphrasis hominis fidelis in V. T. utpote *exspectantis* adhuc seu *praestolantis salutem Jehovae;* ea vero quam Paulus adhibet, magis congruat fidelibus N. T. Deum ob salutem jam paratam tenerrimo amore prosequentibus. Tantum de allegatione apostolica.

§. X.

Progredimur II) ad *vindicias applicationis;* sunt 1) qui totam pericopam propheticam inde a v. 7. C. LXIII. usque ad fin. C. LXIV. habeant pro *oratione populi judaici in Babylone captivi*, ut PISCATOR, SANCTIUS, *aliique;* sed videantur, quæ VITRINGA adversus hanc hypothesin disputat *p. 857. §. IV.* 2) GROTIUS eam transfert ad *tempora maccabaica*, sed nec huic sententiæ subscribit VITRINGA, *partim* ob rationes, quæ adversus eam militant, æque ac contra præcedentem, *partim* quod in hac precatione supponitur derelictio gentis judaicæ per *longum tempus*, v. 5. 9. *partim* quod temporibus maccabaicis non convenit querela v. 10. domus nostra sancta & glorioſa, in qua te celebrabant patres nostri, facta est *in exustionem ignis.* Nam sub Maccabæis quidem multa sanctuarii instrumenta corrupta sunt, domus ipsa profanata, & varie læsa, sed hoc tempore *non exusta* fuit, ut historia docet; purgatum enim a Juda Maccabæo sanctuarium deinceps, ut ante solebat, inserviit cultui sacro.

§. XI.

Rectius itaque alii 3) hanc periocham respicere censent miserrimum statum gentis judaicæ *in praesenti exilio*, *post excidium per Romanos.* Ita post EUSEBIUM, CYRILLUM, HIERONYMUM, LIRANUS, ALTINGIUS, VITRINGA, *aliique* magno numero; A) VITRINGA speciatim ita calculos suos subducit, ut statuat, inde a v. 7. C. LXIII. usque ad fin. C. LXIV. introduci a Propheta *chorum Judaeorum*, repræsentantem primitias populi hujus, ultimis temporibus ad Christum conversi, atque pro se & fratribus suis apud Deum, in pœnitentia & fide, supplicando intercedentem. Vid. *Analysis p. 856.* col. b. e qua simul patebit, primum tetrastichon C. LXIV. ipsi esse precationem votivam hujus chori pro ulteriori progressu magni istius operis gratiæ divinæ, scil. illustris conver-

versionis totius populi in fine dierum exspectandæ, 1ma ratione petita ab exemplo descensus Dei in montem Sinai, v. 1 - 3. 2da vero a majoribus exemplis divinæ gratiæ, quæ exspectabantur sub œconomia nova, v. 4. Dum scil. supplices isti pœnitentes Deo ante oculos ponunt *tremenda & mirabilia* ab ipso olim edita sub exitum majorum suorum ex Ægypto, ut in ipso quasi excitent sui ipsius operumque suorum antiquorum æmulationem, mox subjiciunt, nil se iniquum a Deo petere vel exoptare; nosse enim se, Deum non *similia* tantum in diebus Messiæ patraturum esse opera, sed *majora* etiam *& illustriora*, quæ *visa* prius & audita nunquam fuerint, & in cogitationem hominis nunquam ascenderint. Ipsemet sane Deus Mich. VI. 15. testatus est: *ut diebus, quibus exiisti e terra Aegypti, faciam te videre* נִפְלָאוֹת, *mirabilia*; nim. sub œconomia Messiæ. Cum vero omnes intelligerent, tempora Messiæ tanto fore beatiora, quanto Mose major esset Messias, Deumque statum ecclesiæ suæ sub Messia perfecturum esse, simul intellexerunt & sperarunt, Deum sub regno Messiæ editurum esse opera non visa hactenus, non audita, non percepta ab ullo mortalium; *comparationem* sane h. l. instituit inter œconomiam veterem ac novam, testantur ex una parte *praeterita*, quæ v. 3. occurrunt, ac indubie descensum Dei in montem Sinai describunt, ex altera vero *futurum* יַעֲשֶׂה v. 4. Qui itaque hic loquuntur supplices, opponunt sibi invicem tempora utriusque œconomiæ, & postquam Deo proposuissent exemplum liberationis *pristinae*, tot documentis majestatis potentiæ & gratiæ divinæ illustre, *rapti veluti in spiritu*, imo, ajunt, Domine, non hæc tantum persuasi sumus te præstitisse olim, ac præstare posse, sed & his longe majora & illustriora; auris enim non audivit, & oculus non vidit, quæ tu facies exspectantibus te, sub œconomia Messiæ, quam novimus omnium fore perfectissimam.

§. XII.

Hac expositione admissa, B) plane ad *mentem Spiritus S. & appositc* dictum hoc allegavit Paulus. a) Dixerat v. 7. & 8. sapientiam Dei in mysterio, absconditam illam, neminem principum hujus seculi (qua appellatione & Judæorum & Græcorum proceres complectitur) *cognovisse;* jam pergit v. 9. ἀλλὰ, sed (subaudi, ἐγένετο, *factum est*, quam ellipsin Rom. XV. 3. 21. 1 Cor. I. 31. jam habuimus) καθὼς γέγραπται, *sicut scriptum est: quae oculus non vidit &c.* Pro confesso sumit, hoc oraculum loqui de rebus N. T. indeque probat, recte se Evangelium vocasse sapien-

sapientiam Dei in mysterio & absconditam, quam nullus principum hujus seculi cognoverit; ac tota sane œconomia nova constat paradoxis, quidquid in ea visum fuit ac auditum, mirabile est; sapientiæ carnali adversum, v. g. apparitio filii Dei in statu humili; administratio Evangelii, per ipsum facta, & miraculis firmata; passio ejus, resurrectio & ascensio in cœlos; forma regni ab ipso instituta spiritualis; bona regni spiritualia; ministri regni ejus promovendi, nulla sapientia mundana instructi; donatio Spiritus S.; electio gentium & rejectio Judæorum; judicia tremenda in hunc populum & romanum imperium, & universa regni Christi administratio per multa secula decurrens, inter varias illius vicissitudines & afflictiones, terminanda tandem in victoria Domini de omnibus suis hostibus, Judæorumque & gentium unione optatissima in fide ejusdem Domini ac Christi. Hæc omnia α) oculus carnalis nunquam viderat, auris corporalis nunquam audiverat, nunquam enim ante hoc tempus extiterant; β) nulla cogitatione, nullo ingenii acumine, absque revelatione præcognosci poterant; γ) revelata etiam a Prophetis nec plane percepta nec credita erant; δ) etiam manifestato jam regno Dei a nemine percipi ac intelligi poterant, nisi ab hominibus gratia Spiritus S. illuminatis; carnalia quotquot erant ingenia, ad hanc mirabilem dispensationem gratiæ divinæ stupuerunt.

§. XIII.

Patet hinc b) quid sentiendum sit de pervulgata ista applicatione hujus dicti ad ea, quæ Deus nobis paravit *in altera vita;* certum est α) verba hæc, in se spectata, omnino optime quadrare in gloriam vitæ futuræ, quæ omnem nostrum sensum, & omnem etiam mentis humanæ captum longissime transcendit; unde & HIERONYMUS de vita æterna illa interpretatur; quin & inter Judæos, ut VITRINGA observat *p. 878. col. b.* R. JUCHANAN, in *Sanhedrin fol. 99.* eo tendit, quando, *Prophetae*, ait, *quotquot extiterunt, non vaticinati sunt, nisi de diebus Messiae* (h. e. prophetiæ illorum terminantur in diebus Messiæ) *verum* quod *attinet ad seculum futurum, oculus non vidit &c. Homiletis* vero quid magis solenne est, quam ut dictum hoc de gloria alterius vitæ accipiant? At, si dicendum quod res est, proximus saltem tam Prophetæ quam Apostoli scopus non est vita æterna, sed tota salus Messiæ, cum beneficiis ei connexis, Judææ quoque genti glorioſe exhibenda in fine temporum, & terminanda *in altera vita.* Quippe hæc omnia conjunctim sunt objectum exspectationis ecclesiæ; ac eatenus dictum hoc haud inepte applicatur ad vitam *gloriae*, modo non excludatur tota œconomia *gratiae*, quæ illam præcedit, & perinde ac illa intellectui carnali non percepta nec perceptibilis est.

CVI. ALLEGATUM.

1 COR. III. 19.

Ἡ γὰρ σοφία τȣ́ κόσμȣ τȣ́τȣ μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐςι. Γέγραπται γὰρ, ὁ δρασσόμενος τȣ̀ς σοφȣ̀ς ἐν τῇ πανȣργίᾳ ἀυτῶν.

HIOB. V. 13.

לֹכֵד חֲכָמִים בְּעָרְמָתָם׃

VERSIO LXX.

Ὁ καταλαμβάνων σοφȣ̀ς ἐν τῇ φρονήσει ἀυτῶν.

§. I.

In *collatione* utriusque textus deprehendimus 1) *generatim*, græcæ verſioni Pauli optime convenire cum textu hebræo; ſed ab *Alexandrina* illam differre; nam pro καταλαμβάνων Paulus habet δρασσόμενος, & pro φρονήσει ponit πανȣργίᾳ, quia hebræum עָרְמָה proprie non *prudentiam* notat, ſed *aſtutiam*; quum autem WOKENIUS *in Harm. V. & N. T.* p. 232. τȣ̀ς LXX. etiam ſuffixum in בְּעָרְמָם omiſiſſe, Paulum vero rectiſſime per ἀυτῶν id expreſſiſſe aſſerit, injuriam illis facit, cum & ipſi habeant ἐν τῇ φρονήσει ἀυτῶν, nec in *Edit. Breiting.* ulla hic annotata ſit varians lectio. Interim tamen ob diſcrepantiam ſupra notatam recte hic obſervat DRUSIUS in *Polo* ad h. l. Hiobi, Apoſtolos non ſemper uſos eſſe editione LXX. vir. uti etiam aliis ex locis patet; BENGELIUS in Gnom. ad 1 Cor. III. 19. obſervat, Apoſtolos verba LXX. Intt. maxime tenuiſſe in locis apud Helleniſtas valde notis, v. gr. in *Parſchijoth*, & *Haphtharoth*, item in *Pſalmis*; hebraica autem in locis minus uſitatis, qualis eſt hic *Jobi* locus.

§. II.

§. II.

Quod jam 2) *speciatim* ad singula verba utriusque textus spectat A) ad verbum לכד observamus: a) cum Hebræi verbum *praesentis* temporis non habeant, quandoque pro præsenti verbi substantivi, quo eam ipsam ob causam carent, usurpant & participio præsenti addunt defectivum יש, quod verbi substantivi significationem habet, ut Gen XXIV. 42. 49. XLIII 4. Sæpissime autem simpliciter *participium praesenti* ponunt pro *praesenti indicativi*. Vid. GLASSII *Phil. S. p. 924.* Recte ergo LUTHERUS in Hiobo vertit: *Er fähet &c.* & in N. T. *erhaschet er*; b) ipsum verbum לָכַד proprie significat *capere*, vel in *bello*, ut Judic. VII. 25. VIII. 12. 14. 2 Sam. VIII. 4. ubi per συλλαμβάνειν, & κρατεῖν reddunt LXX. vel *reti* aut laqueo more venatorum, in quorum retia animalia, dum effugere volunt, se involvunt; quæ metaphora obtinet Psalm. IX. 16. Prov. III. 26. V. 22. Jesai. VIII. 15. XXIV. 18. Hiob. XVIII. 10. Neutra ab h. l. aliena est. Paulus reddidit: ὁ δρασσόμενος, quod verbum proprie significat *pugno includere*, *in die Fauſt faſſen*, Lev. II. 2. V. 12. Num. 5. 26. unde δρὰξ significat *pugnus* vel etiam *pugillus*, & δράγμα, *manipulus*; deinde vero δράσσεσθαι etiam notat, *manu injecta aliquem prehendere* ac *tenere*, scil. fugientem, vel irretitum, ut evadere nequeat.

§. III.

B) חֲכָמִים h. v. vocantur, qui versu præc. dicti sunt עֲרוּמִים, i. e. *astuti*, *callidi*, æque ac Paulus v. 19. σοφὸς appellat, quos antea v. 18. dixerat δοκοῦντας σοφὸς εἶναι. Utrinque scil. intelliguntur *sapientes mundi*, sapientia sua, seu astutia potius, sapientiæ Dei obstrepentes. β) בְּעָרְמָם omnes Interpretes *substantive* vertunt: *Paulus* ἐν πανουργίᾳ αὐτῶν, LXX. ἐν φρονήσει αὐτῶν; *Chaldaeus*, *in sapientia eorum*; *Vulgatus*, *in astutia eorum*; & revera hic est sensus vocabuli, ac, si DAV. KIMCHI recte arbitratur, בְּעָרְמָם dictum esse pro בְּעָרְמָתָם, ut v. gr. Neh. V. 14. פַּחַם, *dux eorum*, contracte dicitur pro פַּחֲתָם, בְּעָרְמָם sine dubio est substantivum: sed quia עָרְמָה, in statu conjuncto fit בְּעָרְמַתָּם, dici etiam posset, formam absolutam esse עָרְם, *astutia*. Quia tamen nec hæc forma alibi in scriptura deprehenditur, nec, quod KIMCHI, & post illum MERCERUS & BUX-

TORFIUS *in Lex. min.* p. 587 dicunt, certum est; בְּעָרְמָם SEB. SCHMIDIO *in Comm. ad Hiobum* p. 198. tutius forte ad grammaticam accipi videtur pro *infinitivo cum suffixo*, ut ad verbum sonet: *in astute agendo eos*, quod hanc haberet emphasin, Deum non modo sapientes sic capere posse, ut occupet eos, antequam sapientia sua uti possint, sed etiam, quod capiat eos illo ipso tempore, quo vel maxime sua sapientia utuntur, ut fateri oporteat, sapientiam Dei sua majorem esse. [t]) Ceterum hoc ipsum בְּעָרְמָם optime a Paulo translatum est: ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν· Licet enim πανουργία quandoque etiam accipiatur in bonam partem, [u]) uti & vox latina, *callidus*, cum utriusque etymon per se nil mali involvat; hic tamen in deterius sumitur, & putatitia mundi sapientia vero suo nomine appellatur. Præfixum ב & præpos. ἐν diversimode accipi potest, vel α) simpliciter sic; *dum* vel maxime *versute agunt*, ac sapienter se agere putant, vel β) capit eos sic, ut manifestum fiat, sapientiam eorum imaginariam nil aliud esse, quam astutiam; vel γ) capit eos *per* ipsam eorum astutiam; hancque illis in *laqueum* convertit, quod postremum plurimis, & BENGELIO quoque placet.

§. IV.

Superest II) ut dispiciamus, num allegato dicto insit vis probandi id, quod Paulus eo probare intendit? 1) Dubitari posse videtur ex eo, quod verba citata non sint Jobi, sed *Eliphazi*, hominis non θεοπνεύστου, adeoque non habeant divinæ scripturæ auctoritatem; sed probe observandum est, continere illa tamen veritatem canonicam, alibi in scriptura testatissimam, &. si cui hoc non sufficiat, eandem vel in calamo Pauli demum factam esse canonicam. Dum enim sua fecit hæc verba Eliphazi, eoipso docuit, illa non pertinere sub censuram Dei C. XLII. 7. *non estis locuti rectum coram me?* [x])

§. V.

t) Nemo hodie dubitabit, formam substantivam עָרְמָם adsciscere, etiamsi alibi non occurrat, cujus fœmininum est עָרְמָה: hæc forma enim illam supponit. Patet hinc, cur sæpius ejusmodi substantiva Milhel masculina habere videantur pluralem fœmininum, & v. v. Nulla in his adest anomalia; sed, cum utraque forma in usu esset, nunc pluralis tantum formæ masculinæ, nunc tantum fœmininæ, singulari in scriptura non exstante, se conservavit.

u) Cf. Prov. I. 4. VIII. 5. XIII. 1. XXVII. 2. qui tamen vocis usus mere hellenisticus esse videtur.

x) Plane superflua hæc nobis videntur. Sive Eliphazus, sive alius quicunque, de cujus inspiratione nobis nil constat, protulerit in scripturis, quod *in se verum* est,

§. V.

Dubitari certe 2) nequit, ſententiam his verbis comprehenſam ap. prime ſcopo Apoſtoli inſervire. Dixerat init. comm. *ſapientiam hujus mundi eſſe ſtultitiam apud Deum*, h. e. omnes Dei vias in ſua eccleſiæ & mundi gubernatione eo tendere, ut ſapientes mundi convincat ſtultitiæ ſuæ, vel ſaltem aliis manifeſtum fiat, eorum ſapientiam puram putam eſſe ſtultitiam. Cf. Rom. I. 22. Jeſ. XLIV 25. 2 Sam. XV. 31. Qui autem efficacius hoc aſſertum probare potuit, quam hoc ipſo dicto, *quo Deus ſapientes capturus dicitur in aſtutia ſua?* Si enim Deus ſapientiam eorum ipſis *in laqueum* convertit, quo capiuntur, adeoque ſuis eos retibus capit, apparet profecto, eandem meram eſſe ſtultitiam; & egregie ſane Deus hoc præſtitit, cum & Judæorum ſapientes & Græcorum philoſophos ita inter ſe commiſit, ut nihil alter pro certo affirmaverit, quod non alter, æque ingenioſus, everſum iverit. At, inquis, Eliphas nondum loqui potuit de ſapientia Judæorum & Græcorum, ſed reſpicit potius (ut vetus *Paraphraſtes Chaldaeus* hic annotat) *ſapientes Aegyptiorum*; Reſp. gratis forte id dici, & ſi vel maxime verum ſit, Paulum tamen effatum de ſapientia Aegyptiorum optime transferre potuiſſe ad *ſapientiam mundi* in *genere*: iſtam præſertim, quæ ejus tempore florebat.

eſt, & vel evidentia ſua vel per experientiam ſe ut verum commendat: ſine omni dubio allegare id Paulus potuit per ſuum γεγραπται γαρ; nec opus eſt dici, per allegationem tale dictum *canonicum fieri*.

CVII. ALLEGATVM.

1 COR. III. 20.

Καὶ πάλιν, κύριος γινώσκει τὰς διαλογισμὰς τῶν σοφῶν, ὅτι εἰσὶ μάταιοι.

PSALM. XCIV. 11.

יְהוָה יֹדֵעַ מַחְשְׁבוֹת אָדָם כִּי הֵמָּה הָבֶל׃

VERSIO LXX.

Κύριος γινώσκει τὰς διαλογισμὰς τῶν ἀνθρώπων, ὅτι εἰσὶ μάταιοι.

§. I.

In *collatione* textus græci cum hebræo occurrit 1) phrasis: יְהוָה יֹדֵעַ, tam a LXX. quam ab Apoſtolo accurate reddita: κύριος γινώσκει: nam hebræum *participium* etiam hic, ut in priori allegato, vicem ſuſtinet *praeſentis indicativi*. Deus *eſt ſciens* cogitata hominum, h. e. *per ſe novit perfectiſſime pleniſſimeque*, tanquam אֵל דֵּעוֹת, *Deus ſcientiarum*, a nemine ſcientiam accipiens Jeſ. XL. 14. Hiob. XXI 22. ac ſciens nihilominus ſingula ac univerſa citra omnem errorem ac defectum, Pſ. CXXXIX. 2. ſs. & homines quoque docens ſcientiam, ut paullo ante v. 10. dixerat Pſaltes. Conf. v. 7. ſs. 2) Vox מַחְשֶׁבֶת non ſimpliciter *cogitationes* denotat, ſed *cogitationes* quaſi *excogitatas*, quæ phraſis habetur Jer. XI. 19. unde & חָשַׁב notat *artificem*, Exod. XXVI. 1. 31. & 2 Chron. XXVI. 15. ſermo eſt de *excogitata cogitatione artificis*. Exod. XXXV. 33. Sic Eſth. IX. 25. uſurpatur de conſilio Hamanis aſtute excogitato, & Coh. VII. 26. 30. deſignat *ratiocinia*, quamquam & hic LUTHERUS verterit *Künſte*. Patet igitur, recte a Paulo & LXX. hanc vocem translatam eſſe per διαλογισμὰς, ſeu *ratiocinationes*.

§. II.

§. II.

3) Hebræum אָדָם, quod est nomen collectivum, LXX. presse reddiderunt τῶν ἀνθρώπων, Paulus autem τῶν σοφῶν; Qu. ergo, quo jure? Respondet A) SURENHUSIUS, p. 532. Paulum revocasse solummodo *genus* ad *speciem*, more hebræorum doctorum, ad majorem rei elucidationem; utque sapientiam Dei eo magis extolleret, in eo, quod ille non solum plebejorum & indoctorum hominum cogitationes, sed & philosophorum subtilissima ratiocinia noscat, tanquam meram vanitatem. Jam si ab imitatione Rabbinorum Paulo hic adscripta discesseris, admitti hæc possunt, licet nondum plene, quod res est, dicant. Cf. WOKENIUS p. 358. Plus dicit B) GROTIUS, qui, Paulum ait, pro *hominum*, posuisse *sapientum*, quia id instituto ipsius conveniebat, & haud dubie de iis maxime agit Psalmographus, qui sibi sapere plurimum videbantur. Vid. v. 2 - 4. 10. fin. atque iterum WOKENIUS c. l. Acu autem C) rem tetigit BENGELIUS in *Gn. ad h. l.* quando voculæ ἀνθρώπων vocabulum σοφῶν substitutum fuisse scisit ad exhauriendam plenius emphasin vocis מַחְשֶׁבֶת, quia vocabulum *cogitationes*, non per se, sed *sapientum* addito, respondeat voci hebrææ; videantur modo, quæ paullo ante ad istam notavimus, & *patebit*, מַחְשֶׁבֶת, ejusmodi notare cogitationes hominis, in quibus sibi quam maxime *sapiens* esse videtur. Perperam igitur WHISTONUS ex hac discrepantia textus hebræi & græci concludit, in hebræo olim lectum fuisse non אָדָם, sed חָכָם, cum præsertim *Aethiops* quoque habeat *sapientum*. *Aethiopi* opponimus *Alexandrinum*, *Vulgatum*, cum quo exacte conspirat versio HIERONYMI ex hebræo confecta, *Syrum*, *Chaldaeum*; mutatæ autem a Paulo phraseos rationes modo exposuimus.

§. III.

Supersunt 4) verba: כִּי הֵמָּה הֶבֶל, quæ Paulus cum LXX. interpretatus est: ὅτι εἰσὶ μάταιοι A) כִּי & ὅτι h. l. non est αἰτιολογικὸν sed ἐξηγητικὸν; declarans, non *cur* sciat Deus, sed *quid* sciat, scil. quod vanitas sint cogitationes hominum. B Hebræum הֵמָּה est pluralis masculinus הֵם *ipsi*, cum *He paragogico*. Qu. autem, quorsum referendus sit hic pluralis masculinus? non enim videtur construi posse cum מַחְשֶׁבֶת quod est *fœminini* generis. Sed recte respondent GEIERUS & BURCKIUS

ad

ad h. l. הֵמָּה, *ipſi*, reſpectum habere ad collectivum אָדָם, ut ſenſus ſit: Dominus novit, quod *homines in cogitationibus* ſuis vanitas ſint. Cf. Rom. I. 21. ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. C) הֶבֶל, per metonymiam concreti pro abſtracto, LXX. & Paulus reddiderunt, *μάταιοι*: abſtractum enim nil aliud dicit, quam *vani* ſeu *vaniſſimi*. Cf. Pſ. LXII. 10. ſ. De voce הֶבֶל vid. GEIERUS ad *Coh. l. 2.* Homines ſcil. in cogitationibus ſuis *vanitas* ſunt tam ratione *objecti*, circa quod verſantur, quippe quod plerumque caducum, a vero bono abducens, imo vitioſum eſt; quam ratione *finis & eventus*, quia non aſſequentur, quod intendunt. Hæc de utroque textu.

§. IV.

Pergimus II) ad *applicationem* hujus dicti, ab Apoſtolo factam, num recte illa ſe habeat? ſive, num probet illud, ſapientiam mundi ſtultitiam eſſe apud Deum? Sunt 1) quibus ipſa vox הֶבֶל *ſtultitiam* deſignare videtur. Ita ſane HAMMONDUS *in Pſ. ad h. l.* הֶבֶל, *inquit*, ſignificat *ſtultefcere*, Pſ. LXII. 11. & athei homines *ſtulti* in ſcriptura vocantur, atque hæ cogitationes atheorum, quod Deus non videat v. 7. hujus Pſ. ut falſæ, ita *ſtultae* ſunt, v. 8. quæ interpretatio ſi obtineat, ſummus utique conſenſus eſt inter dictum probans & rem probandam. Enimvero vox הֶבֶל nunquam notat *ſtultitiam*, ſed ſemper *vanitatem*, & verbum הָבַל quoque *c. l.* ac alibi nil aliud ſignificat, quam *vanum fieri*, *evaneſcere* aut *ſpe falſa decipi*. Rectius ergo 2) & hic retinetur conſuetus vocabuli ſignificatus, quo *vanitatem* notat; ſi vero cogitationes ſapientum, hique cum illis, *vanitas* ſunt, coram Domino, utique & *ſtultitia* apud Deum eſt ſapientia mundi. Summa enim *ſtultitia* eſt, *vana* ſectari, in iisque ſibi placere, cum nil eorum præſtare poſſint, quæ quis ſibi ab iis promittit, &, quamvis homines alia quævis ſibi imaginentur, Deus tamen certo ſciat, ſpem eorum deluſum iri. Sic omnia probe conſpirant.

CVIII. ALLEGATVM.

1 COR. IX. 9.

Ἐν γὰρ τῷ νόμῳ Μωσέως γέγραπται, οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα.

1 TIM. V. 18.

Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ, βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις.

DEUT. XXV. 4.

לֹא־תַחְסֹם שׁוֹר בְּדִישׁוֹ׃

VERSIO LXX.

Οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα.

§. I.

In *Collatione* textus græci, qui plane ex *alexandrina* verſione deſumtus eſt, cum hebræo, nulla ſe prodit diſcrepantia. Ne tamen nil ad textum dicamus, obſervabimus nonnulla partim *de bove triturante*, partim de *ore ipſi non capiſtrando* inter triturandum. 1.) *Boves* olim adhibitos fuiſſe ad excutienda frumenta, ſeu ad triturandum, apud *Judaeos* (vid. Jer. L. 11. Hoſ. X. 11.) *Ægyptios*, *Graecos*, (e quibus CALLIMACHUS Cereri hoc inventum tribuit) & *Romanos*, BOCHARTUS probat in *Hieroz. P. I. L. 2. C. 3.* Bifariam autem boum opera triturari ſolebat, *partim* bobus plauſtrum trahentibus ſuper ſpicas, *partim* bobus in aream, quorſum manipuli ſegetis congeſti erant, immiſſis, qui, eosdem ungulis ſuis conculcantes, grana ſpicis excutiebant; ad utrumque paſſim alluditur in Scriptura S. Jeſ. XXVIII. 27. 28. XLI. 15. Amos. I. 3. Mich. IV. 13. Jer. L. 11. Text. or. Hoſ. X. 11. Interim tamen antiquitus baculo etiam grana frumentis excuſſa fuiſſe, liquet e locis Judic. VI. 11. Ruth. II. 17.

§. II.

2.) Bobus triturantibus *ora olim capistrata* fuisse, ne de frugibus, quas terebant, edere possent, BOCHARTUS itidem probat c. l. C. 40. Quia vero nonnisi inclementiores erga jumenta sua tenacioresque id facere solebant, vel straminis esum, nedum granorum, eis h. m negantes, Deus id interdicere populo suo consultum duxit: 1) quia *justus etiam animam jumenti sui cognoscit*, h. e attendit, quid ex necessitate naturæ suæ appetat, & quid animam, seu vitam ejus conservet? viscera autem impiorum crudelia sunt. Prov. XII. 10. 2) quia eo paratior est nostra in alios homines misericordia, si etiam in animantia alia se prætentaverit: ita enim & *Pythagorici*, ut PORPHYRIUS refert, mansuetudinem erga bestias exercitium fecerunt ad amorem & misericordiam erga homines; 3) quia inhumanum est, jumenta victui nostro parando inservientia ab omni ejus participatione prorsus excludere.

§. III.

Hisce præmissis II) penitius jam inquirendum erit in *naturam* hujus allegati, & *vim probandi*, quam habet. 1) In eo est Apostolus, ut probet, æque sibi & Barnabæ, ac reliquis apostolis, si uti eadem vellent, potestatem fore, non proprio manuum labore victum sibi parandi, sed eundem ab ecclesia exspectandi. Probat autem id 1) e vita communi exemplo militum, vinitorum, pastorumque v. 7. 2) ex ipsa *Lege div.* v. 8 - 10. *Num secundum hominem, inquit, haec dico?* i. e. ex more & consuetudine *hominum*, a qua ad ecclesiam forte non valet consequentia? Minime! Ipsa etiam *lex divina* id confirmat; scriptum est enim in lege Mosis: *Bovi trituranti os non obligabis.* Ut vero ostendat, probare hoc dictum, quod probandum erat, sic deinde pergit: *Numquid boves curae sunt Deo? aut num propter nos id dicit* (Deus)? *omnino! propter nos enim scriptum est.*

§. IV.

Hæc verba jam 2) nos edocent, quamnam probandi vim huic allegato tribuat Apostolus. Observamus, A) verbis: *num boves curae sunt Deo? non simpliciter* negare Paulum, quod Deo boves vel reliqua animantia ulla ratione curæ sint: nam adversum hoc foret aliis scripturæ effatis,

tis, Psalm. XXXVI. 7. CIV. 27. 28. CXLVII. 9. Matth. VI. 26. X. 24. Luc. XII. 6. Neque *genera* modo ac *species* animantium curat Deus, ut GROTIUS vult *ad h. l.* sed ipsa etiam *individua*. Quomodo ergo interrogando negat? R. *Secundum quid*, ita ut hoc tantum velit, Deum hanc legem *non tam* propter boves, quam propter homines condidisse, ac hos *potissimum* respexisse, ut nos doceret, ex labore suo oportere unumquemque vivere. Hinc B) addit: *aut num propter nos id dicit* Deus? πάντως, *omnino!* Licet enim τὸ πάντως ipsi interrogationi insertum sit, recte tamen BENGELIVS illud pro *responso* Pauli agnoscit; sequitur enim γὰρ· δι ἡμᾶς γὰρ ἐγράφη, quae continent ætiologiam τῦ πάντως.

§. V.

Patet autem ex hoc asserto a) Paulum non per meram *accommodationem* tantum, omni vi probandi destitutam, ut *Sociniani* volunt, hoc dictum citare, seu *probabilem* tantum consequentiam ex eo deducere, ita ut illud non demonstret, sed illustret saltem officium ecclesiæ, alendi ministros suos, quod SURENHUSIUS vult. p. 538. Sic enim Apostolus justo liberalius diceret: *Propter nos* hoc scriptum est. Inest potius b) huic allegato justa vis probandi; argumentatur Paulus ex *ratione generali*, y) cui subest tam obligatio, bovi trituranti os non capistrandi, quam obligatio, alendi ministros ecclesiæ, ac simul per argumentum *a minori ad majus* ab ista ad hanc concludit. *Ratio generalis* hæc est: qui pro nobis laborat, victum suum a nobis ipse exspectat, idque consentaneum est æquitati naturali; si autem bovi seu alii jumento, pro nobis laboranti, id debemus; *quanto magis* ministro ecclesiæ? Rabbini hanc argumentationem *a minori ad majus*, uti & illam a majori ad minus, qualis occurrit v. 11. appellant קַל וְחֹמֶר, *leve & grave*, h. e. illationem ejus, quod gravius est, ex eo, quod levius est, & v. v.

y) Cf. *Comment. nostra prælimin. T. I. Cap. II. §. VI.*

CIX. ALLEGATUM.

1 COR. X. 7.

Μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε, καθώς τινες αὐτῶν· ὥσπερ γέγραπται, ἐκάθισεν ὁ λαὸς φαγεῖν καὶ πιεῖν, καὶ ἀνέστησαν παίζειν.

EXOD. XXXII. 6.

וַיֵּשֶׁב הָעָם לֶאֱכֹל וְשָׁתוֹ וַיָּקֻמוּ לְצַחֵק׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἐκάθισεν ὁ λαὸς φαγεῖν καὶ πιεῖν, καὶ ἀνέστησαν παίζειν.

§. I.

Textus *graecus*, qui plane idem est cum LXX. exacte congruit textui *hebraeo*, adeoque nulla hic *conciliatione* opus est. Annotabimus tamen quædam ad rem, his verbis expressam. 1) Respicit apostolus historiam Μοσχολατρείας, Exod. XXXII. 1 - 6. descriptam. Postquam scil. Aaron, sancito fœdere sinaitico, ac populo Israelitico, ad radices montis Sinai, Mosis ex illo reditum cum impatientia præstolante, importunæ hujus petitioni tandem annuisset, condendo vitulum aureum, v. 5 - 15. dicitur altare coram eo exstruxisse, & in crastinum diem *festum Jehovae*, cujus simulacrum esse volebat vitulum istum, indixisse: quo facto primo statim mane sequentis diei surrexerunt Israelitæ, & holocausta hostiasque pacificas obtulerunt. Tum vero ut in Allegato nostro jam porro sequitur, *consedit populus ad edendum ac bibendum, & surrexerunt ad ludendum.*

§. II.

Hæc verba nunc 2) Observationibus quibusdam illustrare juvabit. A) τὸ *sedere ad edendum ac bibendum* non de quocunque, sed *sacro* epulo, quale etiam gentiles cum Deastrorum suorum cultu, peractis sacrificiis,

ciis, conjungere solebant, ipsa orationis mosaicæ *series* evincit. Erat enim epulum sacrificiale ex idolothytis; Exod. XVIII. 12. XXIV. 11. 1 Sam. IX. 13. & 1 Cor. X. 18 - 21. Magis B) controversum est, quid sibi velit τὸ *surgere ad ludendum?* a) in *hebraeo* est לְצַחֵק, a verbo צָחַק, quod in *Kal* significat, *risit*, in *Piel* vero, si construatur cum ב aut ל, *irrisit* seu *illusit*, & simpliciter positum, *lusit*, *jocatus est*. Sicque etiam b) græcum παίζειν notat *ludere*, uti compositum ἐμπαίζειν, *illudere*.

§. III.

Si vero propius jam c) determinandum sit, in quo *lusus* iste constiterit, nolim ego α) cum quibusdam, ut HAMMONDO, FESSELIO &c. τὸ צָחַק & παίζειν de *re venerea* accipere, licet tam illud, quam *hoc*, ut & compositum ἐμπαίζειν, quandoque hoc sensu accipi videatur, e g. Gen. XXXIX. 14. 17. Judic. XIX. 25 LXX. quo pacto idem hæc verba dicerent, quod græcum ὑβρίζειν, cui æquipollet germanicum *schänden*, & latinum *illudere*; cf. GATAKERUS *in Polo ad* Gen. XXXIX. 14. Haud quidem negamus, epula gentilium sacrificialia etiam cum promiscua venere conjuncta fuisse; sed hoc quidem loco verbis צָחַק & παίζειν illam indigitari, eapropter non est verisimile, quia Paulus hoc v 7. idololatriam Israelitarum pertringit, & v. seq. demum *fornicationes* eorum; DODDRIDGIUS ad h. l. p. 593 hanc præterea rationem affert, quod non sit credibile, Israelitas, cum in eo essent, ut sub isto aurei vituli simulacro *Jehovam suum* colerent, detestanda adeo flagitia patraturos fuisse. Præstat igitur β) intelligi lusum hunc de *choreis* idololatricis, in sacris gentium receptis, scilicet hebræum שָׂחַק, quod plane synonymon est τῷ צָחַק, it. latinum, *ludere*, & germanicum *spielen*, *aufspielen*, *primario* quidem notat *psallere*, *cantare*, v. g. 2 Sam. VI. 5. quo & pertinet VIRGILII istud, *Ecl. 1. 10.*

Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti;

nec non *Georg. L. 4. v. penult.*

Carmina qui *lusit* pastorum.

i. e. Bucolica cecini. Nec dubium est, heic quoque, nempe in festo μοσχολατρείας, *instrumenta musica* adhibita fuisse; nam *festa* talibus celebrari sueviſse, inter alia patet ex c. 1 2 Sam. VI. 5. Psalm. LXVIII. 26

secundario tamen *ludere* etiam significat *saltare*, *choreas agere*, quod VIRGILIUS vocat, *in numerum ludere*; ita שָׂחַק usurpatur Jer. XXXI. 4. cf. Psalm. CIV. 26. & παίζειν in HESIODI *Scuto Herc. v.* 277. ubi χοροὶ παίζοντες sunt *chori ludentes*, seu *saltantes*. Ac sane tam apud Judæos, quam apud gentes in more fuisse, *festa* celebrare non modo *concentibus musicis*, sed etiam *choreis* ad eosdem institutis, abunde constat. Vid. Ex. XV, 20. ubi בְּתֻפִּים וּבִמְחֹלֹת significat cum *tympanis* & *choreis*; sicque etiam C. XXXII. 19. Moses dicitur vidisse vitulum & מְחֹלוֹת, *choros*. Adde Judic. XXI. 21. coll. v. 19. Item 2 Sam. VI. 14. 16. David *saltasse* legitur die quodam festo coram arca Domini, idque ipsemet v. 21. exprimit verbo שָׂחַק, *ludere*; unde etiam hebræum חַג, *festum*, dicitur a חָגַג, quod non modo *feriari* significat, seu *festum celebrare*, sed etiam *tripudiare*, 1 Sam. XXX. 16. & apud Romanos *Salii* a *saltando* dicebantur sacerdotes, qui saltantes circuibant aras jamjam incensas: vid. VIRGILII *Aen. L. VIII.* v. 285. Atque sic constare putem, non modo צָחַק recte per παίζειν redditum esse, sed etiam utrumque *de choreis ductis* recte exponi.

§. IV.

Consideremus nunc II) *quo scopo* Apostolus locum hunc citaverit? 1) Ipsemet, ejus indicium facit sub init. comm. 7. μηδὲ, inquiens, εἰδωλολάτραι γίνεσθε, καθώς τινες αὐτῶν, ὡς γέγραπται· quod monitum etiam v. 14. repetit: φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας· Nimirum Christiani, qui Corinthi erant, vel propriæ carnis, veteres Ethnicismi delicias rursum appetentis, illecebris inducti, vel consanguineorum aut amicorum suorum ethnicorum persuasionibus seducti, eo delapsi erant, ut haud dubitarent, epulis gentilium sacrificialibus interesse, id sufficere rati, si in ipso cultu idololatrico, sacrificiis præsertim, parte cultus essentiali ac præcipua, nullam cum iis communionem haberent, etiamsi in *rebus* istis *accessoriis*, epulo & choreis, istam non adeo scrupulose defugerent. Cum autem Paulo probe perspectum esset, quanto ipsi periculo plenariæ defectionis ad idololatriam se exponerent, si epula ex idolothytis parata frequentare pergant, totus jam in eo est, ut eos hac in parte circumspectius res suas agere doceat, huncque in finem veterum Israëlitarum exemplum proponit, allegans locum Exod. XXXII, 6.

§. V.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0158
DFG

§. V.

Habemus hic, quod jam 2) obſervamus, inſigne ſpecimen *praecisionis & accurationis* apoſtolicæ. Quia fideles, quibus cum Paulo heic res eſt, nullam cum gentilibus communionem habere ſolebant in ſacrificiis & religioſa Idolorum adoratione, transmittit ea *loci citati* verba, quæ de ipſo cultu vituli per ſacrificia loquuntnr, ac *illa tantum* allegat, quæ de *epulo ſacrificiali* agunt. Cum autem nihilominus antea monet, ne *idololatrae fiant*, in hoc ipſo loco cum ſeqq comparato, exi. mium ἦθος obſervare licet; ne *leviculum* putent, idolothytis veſci in ſacris gentilium epulis, monet, ne idololatræ *fiant*, cum ab incauto idolothytorum eſu facilis ſit ad ipſam idololatriam tranſitus; ne autem juſto durius cum eis agere, eosque plenæ jam defectionis ad idololatriam inſimulare videatur, epulorum tantum & chorearum e loco moſaico mentionem facit. Conf. Moshemivs *ad h. l. p. 587. col. a. & 594. col. b.*

CX. ALLEGATVM.

1 COR. X. 8. z)

Μηδὲ πορνεύωμεν, καθώς τινες αὐτῶν ἐπόρνευσαν, καὶ ἔπεσον ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες.

NUM. XXV. 1 - 3. 9.

וַיֵּשֶׁב יִשְׂרָאֵל בַּשִּׁטִּים וַיָּחֶל הָעָם לִזְנוֹת אֶל־בְּנוֹת מוֹאָב: וַתִּקְרֶאן לָעָם לְזִבְחֵי אֱלֹהֵיהֶן וַיֹּאכַל הָעָם וַיִּשְׁתַּחֲווּ לֵאלֹהֵיהֶן: וַיִּצְמַד יִשְׂרָאֵל לְבַעַל פְּעוֹר וַיִּחַר־אַף יְהוָה בְּיִשְׂרָאֵל: וַיִּהְיוּ הַמֵּתִים בַּמַּגֵּפָה אַרְבָּעָה וְעֶשְׂרִים אָלֶף:

VERSIO LXX.

Καὶ κατέλυσεν Ἰσραὴλ ἐν Σαττειν, καὶ ἐβεβηλώθη ὁ λαὸς ἐκπορνεῦσαι εἰς τὰς θυγατέρας Μωάβ. Καὶ ἐκάλεσαν αὐτὸς εἰς τὰς θυσίας τῶν εἰδώλων αὐτῶν· καὶ ἔφαγεν ὁ λαὸς τῶν θυσιῶν αὐτῶν, καὶ προσεκύνησε τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν· καὶ ἐτελέσθησαν τῷ Βεελφεγώρ· καὶ ὠργίσθη θυμῷ κύριος τῷ Ἰσραήλ. — Καὶ ἐγένοντο οἱ τεθνηκότες ἐν τῇ πληγῇ τέσσαρες καὶ εἴκοσι χιλιάδες.

§. I.

In *Collatione utriusque textus* deprehendimus, 1) ex comm. 1 - 3. apud Moſen nil ſuum feciſſe Paulum, niſi *ſummam rei* pluribus ibi deſcriptæ; quod ſcilicet *aliqui Iſraelitarum ſcortati ſint.* Subjungitur autem in narratione moſaica tragica hæc hiſtoria immediate hiſtoriæ de prophetа Bileamo, a Rege moabitico Balak mercede adverſus Iſraelitas conducto; ac ſane intimior eſt utriusque hiſtoriæ nexus, quam primo intuitu

z) Non quidem hoc, & duobus ſeqq. locis, ſcripturæ verba repetuntur, ſeu *Allegata* proprie talia continentur; ſed allegat tantum Paulus aliquas V. T. hiſtorias, ad ſuum ſcopum facientes. Nec tamen Lectores noſtros his B. Auctoris obſervationibus fruſtrandos putavimus, quæ, quicquid ſit de Allegato, nonnullis utriusque Teſtamenti locis lucem affundunt non contemnendam.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0160
DFG

tuitu videtur. *Apoc. II. 14.* indubie ad hunc locum Moſis reſpicitur; ſed habetur etiam ibi, quod in hoc fruſtra quæras, ſcilicet *Bileamum* fuiſſe illum, qui auctor fuerit Balako, eique conſilium dederit, per Moabitidas offendiculum objiciendi coram filiis Iſraelis, ut ederent idolothyta, & ſcortarentur. *Generatim* quidem id innuitur Num. XXV. 18. ſed de ipſo conſilio Bileami altum eſt & hoc & præced. cap. ſilentium; Jam ſunt quidem, qui Johannem ex *traditione* hoc habuiſſe exiſtiment, e qua & *Joſephus* habuerit, *A. J. L. IV. C. VI.* conſilium iſtud Bileami prolixe deſcribens; ſed haud neceſſe eſt, ad traditionem heic confugere, cum hujus conſilii in ipſa S. Scriptura mentio fiat, non quidem Num. XXIV. 14. ut aliquibus videtur; nam ibi nullum tale conſilium legitur, ſed prophetia, quid ultimis temporibus facturus ſit populus Iſrael populo Balaki. Rectius hic provocatur ad Num. XXXI. 16. ubi expreſſe dicitur, Moabitidas anſam dediſſe Iſraelitis ad prævaricandum, *ſecundum verbum Bileami:* ex hoc itaque loco hanc circumſtantiam didicit Johannes; reliqua autem ex Num. XXV. 1-3. ubi diſerte memoratur, Iſraelitas non modo fornicatos eſſe cum filiabus Moab, ſed etiam idolothyta cum iis comediſſe, ita quidem, ut ſimul deaſtrum moabiticum religioſe coluerint. Atque ſic in noſtro quoque loco Paulino exemplum fornicantium proxime cohæret cum præc. exemplo idololatriæ.

§. II.

Quum autem in textu Pauli legimus: καθώς τινες ἐξ αὐτῶν, *aliqui ex iis*, ἐπόρνευσαν, idque relationi Moſis, qui v. 1. הָעָם, populum, ait, fornicari cœpiſſe, ac in ſqq. magnum Iſraelitarum numerum, partim manu judicum Iſraelis v. 5. partim plaga divinitus immiſſa v. 9. C. XXXI. 16. ob patratum ſcelus peremtum fuiſſe perhibet, adverſum videtur; obſervandum eſt, a) dum in textu moſaico dicitur: populum *incepiſſe* fornicari, intelligendum id eſſe *de aliquibus e populo*, qui initium fecerunt; b) multos ſe iſtius criminis reos haud feciſſe, patet e v. 5. ubi pœna expreſſe reſtringitur ad eos, qui ſe copulaverint Baali Peor; c) ipſa plaga divina progreſſum hujus peccati mox inhibuit. d) Viginti quatuor millia in comparatione cum ſexcentis & quod excedit millibus, qui erat numerus totius populi, etiam poſt plagam, Cap. XXVI. 51. utique τινες dici poterant.

§. III.

Atque sic jam devenimus 2) ad notabilem illam difficultatem, quæ textum paulinum premere videtur, quando *tria tantum & viginti millia* occisorum memorat, Moses autem v. 9. *quatuor*. LUD. CAPPELLUS *in Crit. S. p. 58. s.* temere hinc colligit, textum hebræum corruptum, in eoque lectum olim fuisse *tria & viginti millia*, uti Paulus habeat; nec ullam aliam asserti rationem proferre potuit præter dissensum Pauli; sed refellit hanc suspicionem consensus *codicis samaritani*, *paraphraseos chaldaicae*, *versionis LXX. & vulgatae*, nec non *Philonis & Josephi*, cum nostro textu masorethico. R. ISAAC *in Chissuk Emunah P. II. C. 86. Paulum* vitii incusat; alii autem *librarios* errasse putant; sed utrumque gratis asseritur. Alia igitur ineunda est via ad conciliandum utrumque textum: Sunt a) qui urgeant, additum a Paulo esse: ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ. *uno die*, quo ipso genuinam conciliandi rationem ipse nobis suppeditet; loqui scilicet eundem *de iis tantum*, qui una illa funesta die, qua plaga sæviit, adeo repente dira morte abrepti fuerint; chiliadem vero, quam Mosis calculus tribus istis ac viginti millibus addat, comprehendere *vel* eos, qui *pridie* feralis istius diei partim *laqueo*, v. 4. partim *gladio* judicum populi v. 5. perierint; *vel* eos, quos *postridie*, forte matutino tempore, plaga adhuc absumserit, donec zelus Pinehasi finem eidem faceret. Placuit hæc sententia BIBLIANDRO, IO. ALBERTI, WOKENIO, nec alienus est WOLFIUS *in Cur. ad h. l.* WOKENIUS adeo etiam rationem reddere conatur, cur Apostolus eos tantum, quos plaga divina uno die sustulit, numerare voluerit, scilicet propter magnam illam emphasin, quæ una die tot enectos dicat, ne telum hoc, animos timore percutiens, pereat. Enim vero solide BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.* obvertit: Mosen æque ac Paulum eos numerare, quos ipsa unius diei plaga absumserit, non connumeratis iis, qui suspensi ac per judices interfecti fuere; id enim aperte innuit v. 18. C. XXV. Num. ubi *unius* tantum *diei* mentio fit.

§. IV.

Alii b) Mosen & Paulum ita conciliant, ut dicant, Paulum eos tantum recensere, qui gladio perierant; Mosen vero connumerare illos, qui suspendio; plagam forte, cujus v. 9. mentio fit, solummodo in his duabus pœnis ponentes; ita JUNIUS *in Parall. SS.* WALTHERUS *in Harm. bibl.*

bibl. SURENHUSIUS *in BK.* qui provocat ad diversitatem phraseos mosaicæ, הַמֵּתִים, quæ totum numerum eorum, qui periere, respiciat, & paulinæ, ἔπεσον. quæ ad eos solum, qui gladio peremti sunt, non ad *suspensos*, scilicet proceres istos v. 4 referri queat. Idem quoque rationem sibi reperisse visus est, quare Apostolus *plebejorum* tantum, *qui gladio* perierant, meminerit, non vero *primorum* populi, qui *suspensi* erant: nimirum quod illi, qui fidem christianam inter Corinthios assumserant, ex plebe essent, magistratu in veteri cultu idololatrico atque impuro vitæ genere perseverante, ita ut magistratus corinthiacus veteri isto patrum israeliticorum exemplo, ob corporales & spirituales scortationes enecatorum, ad castitatem permoveri non posset. Verum & hæc sententia vix tueri se potest: α) quia principes illos suspensos numerum millenarium expleviſse haud credibile est; β) quia nimis aperte v. 9. ii, qui plaga interemti dicuntur, ab iis, quos sec. antecc. laqueus & gladius abstulit, distinguuntur, & *plaga* semper notat pœnam divinitus immissam, *pestem* præcipue. Vid. Exod. IX 14. 15. Num. XI. 33. XIV. 36 XVI. 46. 11. Ps. CVI. 29. 30. γ) ut v. 5. verbum κατεκρώθησαν omnes in deserto mortuos complectitur, ita & ἔπεσον v. 8. δ) etsi Paulus 1 Cor. II. 8. *nullum* principum hujus mundi sapientiam Dei cognovisse scribat, id tamen cum aliqua restrictione accipiendum esse, ut *nullus* sit *fere nullus*, liquet e Rom. XVI. 23. ubi *Erastus*, quæstor ærarii publici apud Corinthios, inter credentes refertur. Falsum est igitur, omnes christianos corinthios *ex plebe* fuisse; deinde gratis supponitur, Mosen hic proceres suspensos connumerasse, cum & is, ut supra audivimus, eos solum numeret, quos plaga sustulit.

§. V.

Restat itaque ε) ut dicamus, verum ac præcisum eorum, qui periere, numerum sine dubio *medium* fuisse inter utrumque *rotundum*, tam Mosis quam Pauli, h. e. *supra tria* ac viginti, & *infra quatuor* ac viginti millia: Mosen ergo *ulteriorem* numerum scripsisse, Paulum vero *citeriorem*. Ita PISCATOR, VORSTIUS, ESTIUS, HEUMANNUS; & BENGELIUS quoque hanc conciliationem pro simpliciſſima habet, aliorum subtilitatibus valere jussis.

§. VI.

Supereſt jam, ut nonnihil adjiciamus de *scopo* hujus citationis, quam Paulus ipse indigitat verbis: μηδὲ πορνεύωμεν, καθώς τινες αὐτῶν ἐπόρνευσαν.

σαν. Notandum hic 1) proclivem Paulo fuisse descensum ab idololatria v. 7. ad fornicationem v 8. nam contigua sunt hæc duo vitia; unde & *idololatria* passim vocatur *fornicatio*, scilicet spiritualis. Exod. XXXIV. 15. 16. Deut. XXXI. 16. Judic. II. 17. VIII. 33. Solenne etiam gentilibus fuit, epulis suis sacrificialibus jungere promiscuam venerem; eo enim dementiæ prolapsi erant, ut Deos suos Deasque fœdissimis spectaculis, impudicis gestibus, verborum spurcitia & omnis generis obscœnitatibus delectari crederent; *Corinthus* præsertim sedes quasi impudicitiæ erat; unde κορινθιάζειν dicebatur, qui lasciviæ indulgebat; *urbem Veneris* appellari, summo sibi honori ducebat, indeque numismata urbis Veneris imagine superbiebant, ut EZECH. SPANHEMIUS docet *de usu & praestantia numism. Artic. I. Diss. V. p. 276.* ATHENÆUS præterea & ÆLIANUS docent, scortis plurimum semper indulsisse Corinthios, adeo id non turpe habentes, ut publicis precationibus adhiberentur meretrices, essetque in eis precationibus, ut augerent dii numerum proventumque meretricum, atque etiam voverent quidam, se novas meretrices adducturos. In vertice montis, ad cujus radices sita erat Corinthus, templum erat exstructum Veneri sacrum, in quo ultra mille prostibula publicis sumtibus alebantur, ad cujusvis libidinem parata. Cum itaque periculum esset, ne christiani corinthii, epula sacra gentilium incaute frequentantes, denuo se inescari patiantur ad polluendos sese pristinis libidinibus, recte Apostolus monito de fugiendis idolothytis subjicit monitum de vitanda fornicatione; nec sane 2) efficacius illud Corinthiorum animis insinuare poterat, quam proposito veterum Israelitarum exemplo, & gravissimo Dei in illos judicio. Liberati erant ex Ægypto, magnisque ac multis a Deo beneficiis in deserto mactati, & terræ promissæ jam propinqui; nihilominus multo maxima eorum pars prostrata fuit in deserto, quia Deus in iis tanquam ἐπιθυμητὰις κακῶν beneplacitum habere non poterat. 1 Cor X 1-5 Testatur itaque Paulus, Israelitas in eo *typo* esse debere Corinthiis, a quibus discant, si priscis Israelitis similes fiant in *peccando*, similem quoque *pœnam* ipsos manere v. 6. Jam fomite peccati, cui ante conversionem Corinthii maxime erant dediti, 1 Cor. VI. 9. 11. in eorum animis nondum exstincto, facile erat, relabi in pristina peccata, lasciviam præsertim. 1 Cor. V. 1. Minatur ergo relabentibus iram Dei, in odio peccati sibi semper similem.

CXI. AL-

CXI. ALLEGATUM.

1 COR. X. 9.

Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν, καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν, καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο.

NUM. XXI. 5. 6.

וַיְדַבֵּר הָעָם בֵּאלֹהִים וּבְמֹשֶׁה לָמָּה הֶעֱלִיתֻנוּ מִמִּצְרַיִם לָמוּת בַּמִּדְבָּר כִּי אֵין לֶחֶם וְאֵין מַיִם וְנַפְשֵׁנוּ קָצָה בַּלֶּחֶם הַקְּלֹקֵל: וַיְשַׁלַּח יְהוָה בָּעָם אֶת הַנְּחָשִׁים הַשְּׂרָפִים וַיְנַשְּׁכוּ אֶת־הָעָם וַיָּמָת עַם־רָב מִיִּשְׂרָאֵל:

VERSIO LXX.

Καὶ κατελάλει ὁ λαὸς πρὸς τὸν Θεὸν καὶ κατὰ Μωυσῆ, λέγοντες· ἵνατί ἐξηγάγετε ἡμᾶς ἐξ Αἰγύπτου, ἀποκτεῖναι ἡμᾶς ἐν τῇ ἐρήμῳ; ὅτι οὐκ ἔστιν ἄρτος, οὐδὲ ὕδωρ, ἡ δὲ ψυχὴ ἡμῶν προσώχθισεν ἐν τῷ ἄρτῳ τῷ διακένῳ τούτῳ. Καὶ ἀπέστειλε Κύριος εἰς τὸν λαὸν τοὺς ὄφεις τοὺς θανατοῦντας, καὶ ἔδακνον τὸν λαόν· καὶ ἀπέθανε λαὸς πολὺς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ.

§. I.

Conferentes utrumque locum deprehendimus I) Apostolum *factum Israelitarum, quod Moses v. 5.* prolixius *describit*, exprimere verbo ἐπείρασαν, quo generatim omnia peccata Israelitarum in deserto, *ex incredulitate* profecta, notantur; Num. XIV. 22. ubi Deus se ab illis decies jam tentatum fuisse testatur; Psalm. LXXVIII. 19. 42. 57. licet expresse tentationis mentio nonnisi uno in loco fiat; Exod. XVII. 2. 7. ubi מַסָּה, quod *tentationem* significat, transiisse dicitur in nomen proprium *loci tentationis*. cf Deut. VI. 16. XXXIII. 8. Psalm. XCV. 9. Hebr. III. 8. 9. Hoc itaque non obstante, Paulus plane secundum stilum scripturæ, non quidem in loco, quem respicit, sed alibi tamen obvium, factum Israelitarum, de quo ipsi sermo est, *tentationem* vocavit. *Deum tentare* generatim

ratim significat, *non contentum* esse ordinariis & hactenus ab ipso editis speciminibus perfectionum ejus, potentiæ, v. g. bonitatis, justitiæ & sapientiæ, sed *nova* semper earum *documenta postulare*, eoque ipso non tam, ut quidem videri posset, nimiam erga Deum fiduciam, sed revera incredulitatem potius suam prodere; sic h. l. Israelitæ Deum *tentarunt*, h. e. ex incredulitate (vid. Num. XIV. 22. coll. 11. & Ps. LXXVIII. per tot.) nova semper potentiæ Dei specimina provocarunt, cum protervo beneficiorum hactenus acceptorum contemtu, patientiam ejus mire hoc modo fatigantes, atque *iram* ejus *provocantes*. Sic τὸ πειράζειν per παραζηλῶν exponitur 1 Cor. X. 22. Pro nihilo habebant miraculosam liberationem e servitute ægyptiaca, dicentes: *quare nos ascendere fecisti ex Aegypto?* diffidebant, Deum ipsos perducturum esse in terram promissam, dum in deserto sibi *pereundum* fore metuebant; contemtim etiam loquebantur de *manna*, ne *panis* quidem nomine cibum hunc cœlitus datum dignantes, dum ajebant: אֵין לֶחֶם, & paulo post *panem* illum appellantes, הַקְּלֹקֵל tamen vocarunt, *cibum levissimum*, quem fastidiat anima ipsorum. Nonne hoc erat tentare Deum?

§. II.

Audiamus nunc 2) quæ *pœna*, Mose ac Paulo teste, secuta sit? *Misit Jehovah*, inquit Moses, *in populum serpentes ignitos, & momorderunt populum, & mortuus est populus multus in Israel*; Paulus autem ita hæc in summam contrahit: καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο, ubi articulus τῶν notat rem certam & illustrem, & ex historia satis notam, ad quam illo ipso Apostolus nos remittit. A) *Quodnam genus serpentum* intelligi debeat, scire haud multum refert. Sunt, qui *prestores* innui putant, *Cavsonas* etiam dictos, a *vi urendi*. Sunt qui *serpentes alatos*, qui pariter *igniti* dicuntur: Jes. XIV. 29. XXX. 6. Sunt, qui *hydros*, qui aqua deficiente in sicco degunt, & fiunt *chersydri*, ac, infestante tunc siti, virus habent acrius & nocentius, quæ BOCHARTI *in Hieroz.* sententia est, qui ad dubium, Hydris, qui in locis aquosis nascantur & vivant, non convenire locum siccum, qualis *desertum* erat, inter alia & hoc respondet: hos serpentes forte non ibi natos, sed aliunde a Deo accersitos esse; nec procul dissita fuisse aquosa loca, ut ex hoc ipso Cap. pateat. At dubito, an ita nodum solvat. Ipsum desertum, quod Israelitæ pererrarunt, alebat serpentes istos ignitos, licet maxima in eo regnaret siccitas, sec. Deut. VIII. 15. fontes vero ac rivulos, quorum v. 12. seq. C XXI. Num. mentio

tio fit, sine dubio rarissimos, tantam hydrorum copiam aluisse, vix probabile est. Nobis sufficit, serpentes istos fuisse nocentissimos, & שְׂרָפִים seu *ignitos* dictos, vel a colore *igneo* & *rutilante*, quem præ se ferebant, & serpens æneus quoque, sole præsertim collustratus, referebat; vel a vi ipsorum caustica, partes venenatis morsibus læsas inflammante, & homini sitim intensissimam excitante, vel ab utroque simul. Qui linguis suis venenatis nil nisi virus evomuerant adversus Deum & Mosen, (v. 5.) omnino venenatis serpentum linguis ac morsibus plecti meruerunt. Quod B) phrasin *graecam* attinet: ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο, habemus hic activum intransitivum, *perierunt*, pro passivo transitivo, *perditi sunt*. Vid. GLASSII *Ph. S. p. 820 l.* Periit עַם־רַב, *populus multus*, donec Deus, Mose intercedente, pœnitentibus Israelitis de remedio salutis prospiceret per serpentem æneum, Christi typum.

§. III.

Atque sic jam ordo nos deducit II) ad vindicias *applicationis*: Qu. quomodo Paulus exemplo veterum Israelitarum, *Deum*, ut Num. XXI. 5. expresse dicitur, & quidem haud impune, tentantium probare potuerit, non tentandum esse *Christum*? 1) Non desunt, qui ipsam lectionem receptam: μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστόν, sollicitent. A) GROTIUS omnino legendum putat, τὸν Θεὸν pro τὸν Χριστὸν, nixus auctoritate *unius codicis alexandrini*, cui MILLIUS & BENGELIUS addunt codicem *Basil. 2. vers. aethiopicam*; ARTEMONIUS vero *in Init. Ev. Joh. restit. p. 191.* versionem *slavonicam* ante annos 900. concinnatam. Assentitur etiam Grotio WETSTENIUS *in Prolegg.* ad novam N. T. græci edit. p. 90. qui alteram illam lectionem, Χριστὸν, a *Marcione* teste Epiphanio invectam autumat, in eo consentientem sibi habens COLOMESIUM *obss. SS. p. 26.* *Grotius* contra lectionem Χριστὸν inde natam existimat, quod librarii pro vocula Θεὸν abbreviate scripta per $\bar{\Theta}\nu$, legerint $\bar{\chi}\nu$, hoc est, Χριστὸν: inepte quidem, cum *Christus* sit nomen *hominis*, neque adeo dici possit, Israelitas tentasse *Christum*, qui *homo* tum nondum erat. Verum *Grotio*, præter CALOVIUM *in B. J. ad h. l.* jam respondit MILLIUS: *Quasi vero*, inquiens, *proclive fuerit librariis, pro* Θ *scribere* X, *aut lectionem, qualis illa* Θεὸν, *commodam, mutare in duriorem hanc, & ad quam impegerint lectores*, Χριστὸν. *Certe, cum editis congruant non solum* IRENÆUS, THEODOTUS *in ἐπιτομαῖς, ac scriptores graeci, latini, complures, sed & exemplaria MSS. universum, quique Marcionis tempora praecessisse videtur*,

detur, *Interpres Vulgatus; omnino crediderim*, *ab Apostolo ipso scriptum* Χριστὸν, *mutatum autem hoc in* Θεὸν *ab audaculo quodam studioso*, *cui minus verum*, *si placet*, *videbatur*, *quod ex recepta lectione dicitur*, *Israelitas tentasse Christum in deserto.* Atque hac in re *Millio* adstipulatur C. M. PFAFFIUS *in Diss. de var. Lect. N. T. p. 152.* B) Nec Χριστὸν, nec Θεὸν, sed κύριον legerunt EPIPHANIUS, THEODORITUS, SEDULIUS, *Armenus*, *Coptus*, quibus ARTEMONIUS addit Epistolam Paulo famosateno a sex orthodoxis Episcopis missam; habent etiam κύριον duo Codices, *Coveilianus 2.* & *Lincolnienses*, quorum tamen alterum BENGELIUS confutari censet per gemellum, *Uffenbachianum* 2dum; alterum vero nimis recentem esse existimat; nihilominus *Artemonio* genuina videtur hæc lectio, qui & in cit. Libri *P. I. C. XXXVIII.* toto eandem omni nisu adstruere & vindicare conatur, provocans cum maxime ad *Epiphanium*, & pigmentis omnibus studiose conquisitis ornans illud ejus assertum, quod Paulus quidem ipse scripserit: *neque tentemus Dominum*; *Marcion* vero *Christum* loco *Dominum* posuerit; sed videantur, quæ BENGELIUS eidem obvertit *in App. Crit. ad 1 Cor. X. 9.*

§. IV.

Merito itaque 2) inhæremus *lectioni receptae*: μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν, καθὼς καὶ τινες αὐτῶν ἐπείρασαν· Si autem Israelitæ *Christum jam* tentarunt *in deserto*, utique præexistentia ejus ante nativitatem ex Maria, & per consequens etiam *divinitas* negari nequit, cum præsertim nusquam *merum hominem* Mosen, v. g. sed *semper Deum* tentasse dicantur Israelitæ. Vid. GLASSII *Ph. S. p. 732.* Hoc ergo telum ut effugiant Sociniani, nil intentatum relinquunt. ENJEDINUS, acutissimus SS. Trinitatis hostis, excipit 1) Israelitas non *Deum* modo *tentasse*, sed etiam locutos esse, seu murmurasse adversus Deum *&* *Mosen* simul, Num. XXI. 5. 7. Ps. CVI. 16. id vero Paulum exprimere *per tentare*; sed resp. utique Israelitas etiam in Mosen peccasse, altercando cum eo & murmurando adversus ipsum, uti legitur *cc. ll.* eos autem *tentasse* Mosen, nuspiam in scriptura dici. Considerate profecto Spiritus S. has duas phrases distinguit: Exod. XVII. 2. 3. 7. de *Mose* ait, Israelitas altercatos esse cum eo, v. 2. & murmurasse adversus ipsum, v. 3. unde & sec. v. 7. locus, ubi hoc contigit, nomen מְרִיבָה, *altercatio*, accepit; de *Deo* autem, quod *tentaverint* eum, unde & locus iste accepit nomen מַסָּה, *tentatio.* Quæ ergo scriptura solicite *distinguit*, ENJEDINUS perperam *confundit*; non licet

licet pro synonymis habere, urget ENJEDINUS, quod Paulus moneat quidem christianos, ne tentent *Christum*, sed non dicat, olim quoque Israelitas tentasse *Christum*, cum in textu simpliciter legatur: ἐπείρασαν, non addito: αὐτὸν, seu Χριστὸν· perinde ut v. seq. intransitive dicatur, eos *murmurasse*, non addito: *contra quem?* Resp. Verbum πειράζειν semper esse *transitivum*, nec umquam adhiberi sine *accusativo*, notante eum, qui tentatus fuit. Uti ergo initio comm. suum habet *accusativum*, ita in seqq. talis subaudiendus est; instantia vero a verbo *murmurare* ideo non stringit, quia nunquam illud transitivum est, nec cum accusativo personæ construitur.

§. IV.

Instat ENJEDINUS & 3) regerit: quodsi etiam verbum ἐπείρασαν transitive sumendum sit cum respectu ad *objectum* aliquod, haud tamen necesse esse, ut ellipsis suppleatur ex immediate præcedd. sed suppleri eandem posse ex aliis scripturæ locis, ubi scilicet testètur, Israelitas *Deum* tentasse, quod cum omnibus notum fuerit, Apostolum cuivis id subaudiendum relinquere potuisse, ut adeo sensus hic sit: ne tentemus *Christum*, sicut aliqui eorum *Deum* tentarunt. Resp. non *aliunde* ex scriptura, sed ex *contextu* supplendam esse ellipsin, præter id, quod *simplicissimum* hoc est, etiam docere potest vocula καθὼς & particula καὶ; licet enim haud pauci codices hanc non habeant, uti & illud καὶ post τὸ καθὼς v. 10. utrinque tamen firmior est lectio recepta. Monentur sane christiani, ne *Christum* tentent, *sicut etiam* illorum quidam tentarunt, quem vero, nisi *pariter Christum?* Ipsa Pauli *illatio* hunc sensum poscit: si enim veteres Israelitæ *non Christum*, sed *Deum* tentarunt, & *Christus* non est *Deus*, e *pœna* certe, quæ secuta est *tentationem Dei*, nequaquam sequeretur, eos, qui *Christum* tentant, similem pœnam manere, quia *horum* delictum non simile esset *illorum* delicto. 4ta) ENJEDINI objectio hæc est: nomen *Christus* pertinere, nostro ipsorum judicio, ad *humanitatem* Christi, secundum quam *unctus* sit; hanc autem in V. T. nondum exstitisse, adeoque nec tentari illum potuisse. Resp. quis dubitet, ab Apostolo in N. T. *Christum* vocari potuisse, qui in V. T. nondum quidem erat Christus, sed tamen ut Deus, jam exstitit, & dux erat populi Israelis? Recte sane dicitur: *Regem* Davidem Bethlehemi natum, eundemque pastorem ovium fuisse, etsi tum, cum prædicata hæc ipsi competerent, nondum rex fuerit. 5to) Sic argutatur ENJEDINUS:

quodsi etiam concedatur, Israelitas tentasse *Christum*, nondum tamen hinc sequi, eum in V. T. jam extitisse: tentari enim eundem, licet nondum existentem, tunc potuisse *in uno* aliquo typorum suorum, e. g. *Mose*, qui typus Christi fuerit in eo, quod unctus sit a Deo, ut esset Dux populi sui; ut adeo Paulus Israelitas tentasse diceret Christum, non quidem eundem, quem is Corinthios suos tentare nolit, sed datum a Deo priscis Israelitis Christum, h. e. *Mosen*. Resp. α) nuspiam Mosen vocari *Christum*, & β) omnium minime h. l. dici, quod Christus tentatus fuerit *in typo* suo, sed in contextu ut *typos* saltem proponi judicia Dei in peccata V. T.

§. V.

Quum denique 6to) alii Sociniani b. *Lutherum* nostrum malæ fidei postulant, quod versioni suæ inseruerit pronomen: Ihn, *wie etliche von jenen* ihn *versuchten*, quasi in fonte post ἐπείρασαν legisset αὐτὸν: non quidem α) provocabimus, ad *nonnulla exemplaria Bezae*, quæ pro αὐτῶν post τινὲς habent αὐτὸν, consentiente ERASMI Edit I. nec non *Codice Aug. 6.* & FABRO STAPULENSI, ac CAJETANO; cum hæc testimonia nondum probent γνησιότητα hujus lectionis; sed hoc saltem urgemus, frequentem esse in Sacris ellipsin relativi *ille, ipse*. Vid. GLASSII *Ph. S. p. 731. seq.* ubi omnino rem confecit comparatio *loci* nostri *Paulini* cum loco *Deut. VI. 16.* uti hic in verbis: *non tentabitis Jehovam, Deum vestrum, quemadmodum tentastis in Massa*, posterius hemistichion supplendum est ex priori, vel voce *Deum*, vel relativo *eum*, & Lutherus recte supplevit vocula *Ihn*: ita & Pauli verba supplenda sunt ex immediate præcedd. nec peccavit Lutherus, inserendo relativum *Ihn*.

§. VI.

Per hactenus disputata in aprico jam esse arbitror 3) fortissime omnino stringere allegationem Pauli: veteres Israelitæ Christum tentarunt, & a serpentibus perierunt; ergo caveamus, ne Christum tentemus, sicut illi tentarunt, *eum*; Christus, qua Dux Israelis per desertum, est *Deus* ille, contra quem locuti esse dicuntur Israelitæ; Num. XXI 5 coll Exod. XVII. 2. & *tentatio* illa, qua populus peccabat, singulari ratione *Christum* offendit: nam, quum ex *Petra*, quæ *Christus* erat, bibissent, v. 4 tamen de aquæ defectu querebantur c. l. Num. XXI. 5 Proinde etiam a serpentium ardoribus, exaltato serpente, *Christi* typo, servabantur, v 8 seqq. coll. Joh. III. 14 Conf. de Christo inter Israelem præsente, loca Exod XXIII. 20. seq. XXXII. 34. Jes LXIII. 9.

CXII. AL-

CXII. ALLEGATVM.

1 COR. X. 10.

Μηδὲ γογγύζετε, καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐγόγγυσαν, καὶ ἀπώλοντο ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ.

NUM. XVI. 41. 49.

וַיִּלֹּנוּ כָל־עֲדַת בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל מִמָּחֳרָת עַל־מֹשֶׁה וְעַל־אַהֲרֹן לֵאמֹר אַתֶּם הֲמִתֶּם אֶת־עַם יְהוָה: — וַיִּהְיוּ הַמֵּתִים בַּמַּגֵּפָה אַרְבָּעָה עָשָׂר אֶלֶף וּשְׁבַע מֵאוֹת מִלְּבַד הַמֵּתִים עַל־דְּבַר־קֹרַח:

VERSIO LXX.

Καὶ ἐγόγγυσαν πᾶσα ἡ συναγωγὴ, οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ τῇ ἐπαύριον ἐπὶ Μωυσῆν καὶ Ἀαρὼν, λέγοντες· Ὑμεῖς ἀπεκτάγκατε τὸν λαὸν Κυρίου. — Καὶ ἐγένοντο οἱ τεθνηκότες ἐν τῇ θράυσει τεσσαρεςκαίδεκα χιλιάδες καὶ ἑπτακόσιοι, χωρὶς τῶν τεθνηκότων ἕνεκεν Κορέ.

§. I.

Frequentia in V. T. exempla proſtant Judæorum adverſus Deum ejusque miniſtros murmurantium: Exod. XV. 24. XVI. 2. 7. 8. 12. XVII. 3. Num. XIV. 2. 27. 29. 36. XVI. 41. ſqq. Qu. ergo, quem ex his locis Paulus potiſſimum reſpiciat? Sunt α) qui reſpici putant hiſtoriam Num. XIV. ubi v. 27 - 35. memoratur decretum Dei juramento firmatum de interitu omnium Iſraelitarum in deſerto, quotquot ſcilicet eorum adverſus Deum ejusque miniſtros murmuraverant, & ætatem vicennalem egreſſi erant. Ita ſentiunt omnes illi, qui ſupponunt parallelismum hujus loci cum illo Hebr. III. 8. ſqq. Vid. GROTIUS *ad h. l.* WOKENIUS *p.* 145. WOLFIUS *in Cur. ad h. l.* nec non LIGHTFOOTUS *in Hor. Talmud. ad 1 Cor. X. 15.* Sed durum eſt, cum hisce τὺς ἀπολλυμένους ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ de iis tantum intelligere, qui intra 40. annos in deſerto morte naturali exſtincti ſunt. Præſtat igitur β) referre locum noſtrum ad hiſtoriam Num. XVI. 41. ſqq. ubi poſt tragicum interitum

Korachi, Dathanis & Abirami totus Israelitarum cœtus contra Mosen & Aharonem murmurasse, ac propterea plaga divinitus immissa ingentem stragem in populo edidisse dicitur.

§. II.

Jam I) in *collatione textus paulini cum historia*, quam is respicit, deprehendimus 1) generatim, quod Apostolus, historiam illam ut in vulgus notam supponens, prolixiorem Mosis narrationem in nervum contrahat; de *culpa* ait: *murmurarunt aliqui ex iis*; ac de *pœna: perierunt* ab *exterminatore*. Dicemus ergo 2) de utroque, quantum necesse est. וַיַּלִּינוּ recte vertitur per ἐγόγγυσαν, *murmurarunt*, h. e. animum suum *rebellem* erga Deum & ministros ejus *verbis* etiam *seditiosis* prodiderunt; verbum hebræum in *Kal* significat *pernoctare*, in Hiphil vero *murmuravit*. & difficile perspectu est, quomodo in hunc significatum transierit? Græcum γογγύζειν derivatum censetur a γρύζω, *ganni* & *grunnio*, quorum illud *canum* est, hoc *suum*; utroque modo *turpitudinem* rei, quam notat, satis declarat. Bis tamen in N. T. scilicet Joh. VII. 12. 32. non tam *murmurationem cum indignatione* quoad personam vel rem designat, quam *mussitationem*, seu sermonem, qui non audet erumpere, sive in bonam sive in malam partem. Vid. ER. SCHMIDIUS *ad c. l.* Joh. VII. 12. & BENGELIUS ad eundem. כָּל־עֲדַת בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל, *omnis cœtus filiorum Israel*, minus dextre a Paulo expressum videtur per τινὲς αὐτῶν, *aliqui eorum*; sed videantur, quæ supra monuimus ad v. 8. Textus *hebraeus* fistit peccatum, ut jam invaluerat in populo, & magnam ejus partem infecerat; græcus autem per suum τινὲς in eos præcipue digitum intendit, qui auctores mali & tubæ quasi rebellionis exstiterunt.

§. III.

Quod ad *pœnam* spectat, *Moses* Israelitas per *plagam divinitus immissam*, & Paulus ὑπὸ τῦ ὀλοθρευτῦ eosdem periisse ait. Qu. ergo, quid per τὸν ὀλοθρευτὴν intelligendum sit? a) LIGHTFOOTUS *in Hor. Ebr. Talm. ad h. l. p. m. 206.* alludi heic ab Apostolo putat ad notionem Judæis usitatissimam de *angelo mortis*, מַלְאַךְ הַמָּוֶת, *perditore illo magno*, alias *Sammael* ab iis dicto, cui mortem adscribant, cum non constat de causa aliqua violenta, & evidenti genere mortis; sic enim etiam Paulum h. l. postquam notos & evidentes mortis modos memorasset, *serpentes*, & *pestem*

v. 8.

v. 8. & 9. jam loqui *de communi genere mortis*, non de evidenti aliqua plaga, quo perierit tota turba murmurantium intra annos 40. Num. XIV. periiſſe illos dici ὑπὸ τȣ̃ ὀλοθρευτȣ̃, a magno illo disperditore, angelo mortis. Sed α) probandum fuiſſet *Lightfooto*, Pauli jam tempore viguiſſe illud Judæorum de Sammaele, angelo mortis, eodemque angelo malo, figmentum, antequam adeo fidenter Paulum eo alluſiſſe diceret; β) hoc etiam poſito non tamen credibile eſt, Apoſtolum ad ejusmodi commentum alludere voluiſſe; γ) ſupponit vir doctiſſimus, reſpici a Paulo hiſtoriam Num. XIV. ubi utique nullius plagæ extraordinariæ mentio fit, qua murmurantes Iſraelitæ perierint: quod ipſum etiam cauſa fuit, cur b) WOKENIUS per ὀλοθρευτὴν nil aliud intelligat, quam *mortem*, quæ omnes perdat homines, & veteres quoque Iſraelitas, divino decreto morti devotos, intra ſpatium 40. annorum perdiderit; at hoc quoque minus ſcripturarie dici manifeſtum eſt. Ubicunque enim in ſcriptura הַמַּשְׁחִית, ὀλοθρευτὴς ſeu ὁ ὀλοθρεύων memoratur, ſemper innuitur extraordinarium aliquod mortis genus. Vid. Exod. XII. 23. ſqq. Hebr. XII. 28. Sap. XVIII. 22. 25.

§. IV.

Rectius proinde c) per ὀλοθρευτὴν intelligitur *angelus* aliquis, quo uſus eſt Deus in plaga iſta, de qua Num XVI. 41 ſqq. ſermo eſt, Iſraelitis murmurantibus infligenda. Notum ſcilicet eſt, ſolere Deum judicia ſua per angelos exequi, 2 Sam. XXIV. 16. 2 Reg. XIX. 35. Act. XII. 23. & quidem, ut judicioſiſſimus JO. D' ESPAGNE *Opp. p. 640* obſervat, in *impiis* per angelos *bonos*, quorſum pertinent loca modo citata, & Exod. XII. 23. in *piis* autem per *malos*, ut exemplum Hiobi C. II 7. Pauli 2 Cor. XII. 7. docet. Atque ſic & plaga iſta horribilis Num XVI. 46 - 49. ſine dubio per *angelum bonum*, juſſu divino, inflicta fuit. Moſes id quidem expreſſe haud memorat; ſed auctor tamen Libri Sap. C. XVIII. 20 - 25. ubi hanc ipſam hiſtoriam recenſet, haud obſcurum nobis indicium præbet, ex conſtanti in Eccleſia judaica traditione indubitato conſtitiſſe, quod Deus in plaga iſta angeli cujusdam miniſterio uſus ſit. Ipſa certe emphatica loquendi ratio, quam Moſes adhibuit, & analogia plagarum ægyptiacarum, quæ divinæ miſſioni angelorum, qui *mali* audiunt ob *mala malis* inflicta, in ſe enim erant angeli *boni*, tribuuntur *Pſ. LXXVIII.* 50. quin & analogia totius ſcripturæ, in qua complura exempla adminiſtratæ per angelos juſtitiæ divinæ paſſim occur-

currunt, non potuit non Apostolo suppeditare nomen ὀλοθρευτῆ, ut adeo nihil hic *vel* doctrinæ in ecclesia jud. receptæ, *vel* Mosi, *vel* reliquæ scripturæ S. adversum docuerit.

§. V.

Restat II) ut paucis quoque ostendamus, historiam allegatam apprime scopo Apostoli inservire. 1) *Scopus* illius est, christianos corinthios convincere de ingenti periculo, quo se exponant *murmurantes* adversus Deum & ministros ejus; μηδὲ γογγύζετε, inquit; hoc est *vitium* illud, adversus quod præmunire illos satagit. Attentionem nostram meretur, quod Apostolus in IV. hisce monitis v. 7 - 10. quoad phraseologiam minus sibi constare videtur. In 1mo, v. 7. loquitur in 2 pers. γίνεσθε, in 2do & 3tio v. 8. 9. autem in 1ma, πορνεύωμεν, ἐκπειράζωμεν, & in 4to v. 10 iterum in 2da, γογγύζετε. Casu aut inconsiderate id factum esse, quis credat? BENGELIUS in *Gnom.* utrumque *decore* factum esse ostendit; monita de fugienda idololatria & murmuratione ad solos Corinthios pertinebant: nam Paulus jam erat extra periculum *idololatriae*, *murmurationis* vero etiam objectum, tanquam minister Dei; reliqua vero, de fugienda *scortatione* & *tentatione* Christi, etiam sibi vult dicta, per κοινοποίαν, de qua figura vid. GLASSII *Ph. S. p. 899.* Hæc de *scopo*, cui 2) allegatum hoc egregie inservire, vix probatione opus habet; consequentia est firma: si illi non impune murmurarunt, sed iram Dei in se provocarunt hoc suo cacoëthe, quid vobis, eadem patrantibus, exspectandum erit? Nodum plane constringit versus 11. *Haec autem omnia typice eveniebant iis, scripta vero sunt ad nostram admonitionem, in quos fines seculorum occurrerunt.*

CXIII. ALLEGATVM.

1 COR. XIV. 21.

Ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται· ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις, καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ, καὶ οὐδ' οὕτως εἰσακούσονταί μου, λέγει Κύριος.

JES. XXVIII. 11. 12.

כִּי בְלַעֲגֵי שָׂפָה וּבְלָשׁוֹן אַחֶרֶת יְדַבֵּר אֶל־הָעָם הַזֶּה׃ אֲשֶׁר אָמַר אֲלֵהֶם זֹאת הָנִיחַ לָעָף וְזֹאת מַרְגֵּעָה וְלֹא אָבוּא שְׁמוֹעַ׃

VERSIO LXX.

Διὰ φαυλισμὸν χειλέων, διὰ γλώσσης ἑτέρας, ὅτι λαλήσουσι τῷ λαῷ τούτῳ — καὶ οὐκ ἠθέλησαν ἀκούειν.

§. I.

Non parum negotii heic faceſſit tum *conciliatio utriusque textus*, tum *applicatio apoſtolica*. Conferentes 1) *graecum* cum *hebraeo* deprehendimus 1) in græco *transpoſitionem* quandam verborum hebraicorum; nam *prima* apud Paulum, ἐν ἑτερογλώσσοις, proprie non reſpondent primis apud Jeſaiam, בִּלְעֲגֵי שָׂפָה, ſed ſequentibus, בְּלָשׁוֹן אַחֶרֶת: contra vero, quod apud Apoſtolum ſequitur, καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις, reſpondet primis apud Jeſaiam, בִּלְעֲגֵי שָׂפָה. Sed levicula eſt hæc diſcrepantia. Nam cum utraque phraſis unum idemque revera notet, ac proinde una alteri commode ſubſtitui queat, ſi quidem לָשׁוֹן & שָׂפָה *linguam* ſeu *dialectum* denotat, & lingua *peregrina* etiam eſt *ridicula*; perinde utique erat, utram alteri Apoſtolus præponeret; uterque etiam ordo phraſium ratione idonea haud caret; apud *Jeſaiam labiis ridiculis poſtponitur lingua peregrina*, quia hæc poſterior phraſis quaſi exegeſis eſt prioris; apud Paulum vero *labiis peregrinis* ſeu ridiculis *praeponitur* lingua peregrina, quia ridiculum eſſe *conſequens* eſt peregrinitatis.

§. II.

§. II.

2) Hebraica בִּלְעֲגֵי־שָׂפָה etiam grammatice duplicem admittunt sensum: לַעֲגֵי potest esse pluralis substantivi personæ, לָעַג, quod active *subsannatorem*, *irrisorem*; passive autem *ridiculum* notat. Hoc posteriori sensu verba nostra vertas: *cum ridiculis labio*, quo pacto לַעֲגַ־שָׂפָה idem heic diceret, quod נִלְעַג לָשׁוֹן Jes. XXIII. 19. *ridiculus lingua*, i. e. *barbarus*, qui non intelligentibus ridicule loquitur. Priori autem sensu verba Psalm. XXXV. 16. לַעֲגֵי מָעוג sunt *sanniones facetiae*, i. e. faceti. Consentit BURKIUS *in Gnom. ad h. l.* At לַעֲגֵי potest etiam esse pluralis substantivi rei, לַעַג, quod *subsannationem*, *derisionem*, & quidem tam activam, quam passivam, Ps. LXXIX. 4. XLIV. 14. significat; quo sensu vertendum esset *in sannis l bii*, seu per Hypallagen, *in labio sannarum*, passive, quatenus labium seu lingua vel blæsa & balbutiens, vel peregrina & barbara ab aliis deridetur. Jam utrumque quidem, & substantivum personæ & substantivum rei in locum nostrum quadrat; sed malim tamen *prius*, *partim*, quia *sic* non opus est, *hypallagen* statuere, *partim* ob locum parallelum Jes. XXXIII. 19. *partim* quia & Paulus primo de *personis* ἑτερογλώσσοις, deinde *labiis peregrinis* loquitur; non enim de *immediata* Dei ipsius *locutione* hic sermonem esse, sed de locutione *per alios*, per linguas & labia barbarorum, infra patebit. *Paulus* primam hanc phrasin reddidit: ἐν χείλεσιν ἑτέροις, non quidem hoc modo exprimens notionem, quæ inest voci לַעֲגֵי, sed tamen *antecedens*, cujus illa est consequens. Optime ESTIUS ad h. l. qui loquuntur linguis *peregrinis*, quasi *balbi* sunt & *barbari* non intelligentibus, deridere videntur auditores, & ipsi vicissim audientibus habentur *ridiculi*, imo & *insani*. 1 Cor. XIV. 23. vel etiam *temulenti*, ut illi Act. II. 13. Pertinet huc illud OVIDII apud Getas in exilio degentis: *Trist. L. V. Eleg. X. Barbarus* hic ego sum, quia non intelligor ulli, & *ridet* stolidi verba latina Getæ; it. Per *gestum* res est significanda mihi. Melius certe hic hebræa interpretatus est Paulus, quam LXX. vertentes: διὰ φαυλισμὸν χειλέων, quod plane alienum est.

§. III.

3) וּבִלְשׁוֹן אַחֶרֶת LXX. reddiderunt, διὰ γλώσσης ἑτέρας, Paulus, ἐν ἑτερογλώσσοις, quod malim in *masculino* sumere, quam in neutro; ἑτερόγλωσσος enim idem dicit, quod ἀλλόγλωσσος apud Homerum & apud LXX.

LXX. Ezech. III. 6. ubi עִמְקִי שָׂפָה, *profundi labio*, per ἀλλόγλωσσον vertunt, poſtquam v. præc. idem preſſe reddiderant per βαθύγλωσσον. Dicit ergo noſtra vox hominem *alius linguae*, ſeu *peregrini* ſermonis; ut adeo ἑτερόγλωσσος idem ſit quod לֹעֵז, *barbarus*, Pſ. CIV. 1. Lingua exotica dicitur ἑτέρα γλῶσσα, Act II. 4. 4) יְדַבֵּר אֶל־הָעָם הַזֶּה, proprie ſonat, *loquetur ad populum hunc*, quod ellipticum eſſe nemo non videt; ſubaudiendum, יְהוָה, *Deus*; unde LXX. ſiniſtre reddiderunt in 3. perſ. plur. λαλήσωσιν, optime vero Paulus 3tiam ſing. quæ in hebræo eſt, vertit in 1ma, λαλήσω, quia ſubjicere volebat frequentatum illud: λέγει κύριος. *Deo* quoque hoc effatum aptavit AQUILA in verſione ſua; hallucinatus tamen eſt GROTIUS, quando Paulum hæc verba citaſſe ait non ex LXX. quod verum eſt; ſed ex verſione *Aquilae*, quod falſum; cum Aquila demum vixerit ſub Adriano, adeoque verſio ejus ætate Pauli longe inferior ſit. Ceterum ſenſum dicti optime idem ſic expreſſit: *Barbarorum opera utar ad vos caſtigandos.*

§. IV.

5) Græca: καὶ οὐδ' ὕτως εἰσακούσονταί μου, *& ne ſic quidem exaudient me*, ſunt, qui Paulum plane de ſuo addidiſſe exiſtiment, v. g. BEZA; ſed rectius is e fine Pſ. XII. hæc ſumſiſſe dicitur, ubi legitur: לֹא אָבוּא שָׁמוֹעַ *& non voluerunt audire.* In nexu apud Prophetam hæc verba ſunt clauſula totius ſermonis v. 11. & 12. Senſus hic eſt; *per ridiculos labio & in lingua peregrina loquetur ad populum hunc*, quis? hoc jam ſequitur v. 12. is ſcilicet ita locuturus eſt ad populum hunc, *qui* (ſubaudi, *antea*) *dixerat ad illos: haec eſt requies: date quietem feſto: & hoc eſt refrigerium: et non voluerunt audire.* Hæc ergo clauſula proprie continet *aetiologiam*, cur in alia lingua ad illos locuturus ſit Deus, *quia* ſcilicet *Deum blande ad eos loquentem*, eosque de via ad veram animi quietem gratioſe inſtituentem audire noluerint. *Paulus* autem hanc clauſulam immediate connectit cum iis, quæ ex v. 11. citaverat, eamque ſic inflectit: *& ne ſic quidem* (ſcilicet etiam gentibus barbaris in pœnam eis immiſſis) *exaudient me.* Id quod etiam Pauli tempore eventu jam comprobatum fuit. 6) Additamento λέγει κύριος· nil quidem reſpondet in textu hebr. Quia vero totum ſermonem ut oraculum Dei per Jeſaiam conſiderari volebat, quo fine etiam ſupra 3. perſ. in 1mam mutaverat, conſuetum hoc oraculorum divinorum ſigillum deeſſe noluit.

§. V.

Pergimus autem II) ad *applicationem* apostolicam, de qua judicium ferre, *scopo Prophetae* prius haud investigato, temerarium foret. 1) Autem de scopo prophetæ non una est Interpretum sententia: A) Sunt, qui hunc verborum sensum faciant: Verbum Evangelii Judæis, *puerili* doctrinæ Pharisæorum v. 10. descriptæ assuetis, ludibrio fore, & subsannationibus exceptum iri, Deum vero nihilominus per donum linguarum ubivis locorum illud prædicaturum esse. Ita LANGIUS *in Proph. Urim & Thummim ad Jes.* B) Alii contra, ut VITRINGA & RAMBACHIUS, *culpam* Judæorum v. 10. memoratam, nunc *in pœnam* Judæis verti, & v. 11 per *labium ridiculum* ac *linguam peregrinam* innui statuunt ipsam puerilem doctrinam Pharisæorum, in quam Deus ex justo judicio magis magisque traditurus sit gentem Judæorum ob repudiatum Evangelium v. 12. ita ut cumulo præceptorum & canonum, ac intolerabili onere traditionum humanarum eos ad nauseam usque vexaturi sint Doctores ipsorum; cujus rei testis sit *Kabbala*, *Talmud*, *Mischna*, h. e. systema traditionum legalium altero Christianismi seculo compositum, & sequentibus seculis sub nomine *Gemarae* disputationibus Doctorum prolixe ventilatum & illustratum. Alii denique C) locum accipiunt de immittendis genti judææ *populis peregrinis*, per quos Deus ad illam locuturus sit *in labio ridiculo & lingua alia*, quia Deum in lingua consueta cum iis loquentem audire noluerint; ita FR. JUNIUS, GROTIUS, TOSSANUS, *Biblia Tubing.* nec non BENGELIUS *in Gn. ad h. l.* Qua ratione parallela forent loca, Deut. XXVIII. 49. Jer. V. 15. coll. Ezech. III. 5. sqq.

§. VI.

Atque hæc sententia nobis videtur omnium simpliciſſima esse, & 2) *scopo* apostoli præ aliis congrua: Nam A) priores duæ sententiæ dictum hoc longius a scopo Pauli removent. Secundum primam sententiam argumentatio Pauli sic procederet: Judæis, amore puerilis doctrinæ pharisaicæ captis, Evangelium erit sermo barbarus, quem non intelligent, nec proinde libenter audient. Itaque donum linguarum in Ecclesia N. T. signum est infidelibus; prophetia autem fidelibus data est, scilicet ad ædificationem eorum, nec proinde *illo*, præsertim sine interprete, sed hac utendum est in conventibus fidelium. Quæ, qualis, quanta hæc consequentia? Secunda sententia, quæ VITRINGÆ est, tacite agnoscit

agnoscit, nullum esse nexum inter dictum Prophetæ & id, quod Paulus ex eo infert; ne vero paralogismi reum faciat Apostolum, *sensum quendam* oraculi prophetici *mysticum*, Judæis *Midrasch* dictum, in subsidium vocat, qui quam proxime accedat ad scopum Apostoli. Vid. VITRINGA *p. 113. col. b.* nec dissentit MOSHEMIUS *c. l. p. 855.* sed nolim ego ex Paulo דרשן judaicum, seu *Interpretem legis allegoricum* facere.

§. VII.

Præstat ergo B) illa sententia, secundum quam illatio Apostoli hæc est: Deus ad populum suum locutus est *linguis barbarorum*, *in pœnam*, & ne sic quidem ille *credidit*. Itaque infidelibus signum est donum linguarum; cur ergo apud vos resonant in cœtibus fidelium linguæ exoticæ ac sine interprete audienti barbaræ? Nonne id donum hac ratione usurpatur contra scopum divinum? Quatenus nimirum apud Prophetam *Deus loqui* dicitur linguis hostium barbaris, eatenus ab illis ad donum linguarum procedit paritas rationis: Deus est, qui *Judaeis* immisit *gentes barbaras*, &, quum illi non audirent ipsum in *lingua cananaea* per Prophetas cum eis loquentem, *pœnae loco* audire illos coëgit *linguas barbaras*, quamquam ne hoc quidem optatum apud eos effectum habuerit; *donum linguarum* in N. T. itidem nonnisi *signum* est *infidelibus* datum, quod ex instituto divino allicere eos debet ad veram Ecclesiam; quem ergo usum habeat in cœtu fidelium, præsertim absque interprete? Ad fideles Deus loquitur in lingua cujusque vernacula. Bene *ad h. l.* GROTIUS: *Pœna* est, versari inter homines linguæ extraneæ, & vos id *Ecclesiae* imponitis. Ceterum nolim ad *Babylonios* restringere effatum Prophetæ, lingua syro-chaldæa *ferrata* & *serrata* usos. Certe multo magis id valet de lingua Græcorum & *Romanorum*, quæ adhuc alienior est a lingua Judæorum.

CXIV. ALLEGATUM.

1 COR. XIV. 34.

Αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν· οὐ γὰρ ἐπιτέτραπται αὐταῖς λαλεῖν, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι, καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει.

GEN. III. 16.

וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ וְהוּא יִמְשָׁל־בָּךְ׃

VERSIO LXX.

Καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου, καὶ αὐτὸς σου κυριεύσει.

§. I.

Consentiunt Interpretes in eo, quod Paulus hic provocet ad locum Gen. III. 16. quem etiam absque citatione respicit 1 Tim. II. 11. 12. Nos itaque 1) in *collatione utriusque textus* deprehendimus, totum textum hebraicum in compendio exhiberi verbo græco ὑποτάσσεσθαι. Sic in nervum contrahit Paulus, quæ Moses explicatius dixit; adeoque habemus hic allegatum magis κατὰ διάνοιαν, quam κατὰ ῥητόν. Considerabimus *primo* textum hebræum, *deinde* videbimus, quomodo ille in textu græco revera contineatur.

§. II.

1) *Textus hebraeus* constat *duobus hemistichiis*; 1) hoc est: אֶל אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ; ubi quam maxime controversa est vox תְּשׁוּקָה, quomodo illa h. l. accipienda sit. 2) Scilicet apud lexicographos duæ distinctæ radices sunt, שׁוּק, quæ significat, *discurrere*, *discursare*, ut Jes XXXIII. 4. Joel. II. 9. Nah. II 4. & שׁוּק, *appetere*, *concupiscere*, quod in Pihel ultimam radicalem geminat, ut fiat שׁוֹקֵק, unde שׁוֹקֵקָה, *appetens* idem est quod sitiens Jes. XXIX. 8. Sed ita tamen hæ duæ radices cognatæ sunt, ut una ab altera

altera partim formationes ſuas grammaticas, partim etiam ſignificationes mutuetur; הֵשִׁיק, quod eſt Hiphil rad. שׁוּק ſignificat, *excurrit*, *exundavit*, Joel. III. 13 ſubſtantivum שׁוּק, quod ab eadem deſcendit, notat *plateam*, *forum*, quia illic concurritur & diſcurritur, ſignificatione à שָׁקַק manifeſte mutuata, it. שׁוֹק & dualis שׁוֹקַיִם, *crura*, quia illis curritur; factum hinc ut etiam noſtrum תְּשׁוּקָה quidam verterent *diſcurſationem*, *accurſionem*, *receptum*, quidam vero *appetitum*; quin & ipſum verbum תְּשׁוּקָה Pſ LXV. 10. quod communiter vertunt, *appetis* eam, COCCEJUS & BURCKIUS malunt reddere per *obis eam* & plane *percurris*, ut epitaſin faciat ad præcedens, פָּקַדְתָּ, viſitaſti.

§. III.

Qu. ergo: b) quis h. l. ſenſus obtineat? α) Qui תְּשׁוּקָה interpretantur *diſcurſum*, *accurſionem* & *recurſum* ſeu *receptum*, vel ϐ) hunc verborum noſtrorum ſenſum faciunt: omnes tuas *diſcurſitationes*, h. e. negotia & actiones referes ad virum tuum, nihil ſine iſto ages. Sic PAULUS FAGIUS *in Polo*, nec abludit CLERICUS *in Comm. ad Pent.* vertens: *ad virum tuum curſus tuus*, quod deinde ſic explicat: *quia ſervi circa heros, pro horum imperiis, curſitant, obedientiam eorum, qui aliis ſubjecti ſunt, nomine curſus exprimitur, & curſus ad eos eſſe dicitur, quibus obſequium ſeu ſpontaneum ſeu ex lege exhibetur.* Hunc ſenſum etiam obtinere putat Gen IV. 7. &, quod mireris, etiam Cant. VII. 10. Vel γ) reſpici magis volunt *tutelam*, quæ eſt viri officium erga uxorem ſecundum JCtos, ut ſenſus ſit: erit *recurſus*, ſeu *receptus* tuus & *perfugium ad virum tuum*, in ipſius tutela latebis, ejus fidem, conſilium, implorabis. Ita NIC. FULLERUS *in Miſc. L. 3. C. 15.* qui & pulcre h. m. quadrare putat, quod ſequitur: *ipſe tibi dominabitur*, cum utique debeatur viro, tutelæ illius nomine, poteſtas hæc ſeu auctoritas; addit etiam: ſolere verba duplicantia & quieſcentia in media ſæpenumero ejusdem plane ſignificatus eſſe; ut ergo שָׁקַק ſignificet *jugem ambulationem* aut *diſcurſum*, ita & שׁוּק; ſicque etiam תְּשׁוּקָה modo *curam* ſignificare *validioris pro infirmiore*, ut Cant VII. 10. ubi Eccleſia de Chriſto ait: וְעָלַי תְּשׁוּקָתוֹ, quod ad verbum ſignificet: *motus jugis erurum* ejus, h. e. *itatio* ſeu *ventitatio ejus eſt ad me*, h. e continenter me inviſit, & perpetuam mei curam gerit; *modo receptum infirmioris ad validiorem*, ut h. l. quo & pertinent, quæ Theol. Batavus, MOMMA, *in Oecon. Patriarch. P. I. p. 17. §. 38.* ad hæc verba annotat. Denique mulieri injungitur *appetitus*

ad virum, (hunc enim significatum vocis תְּשׁוּקָה retinet, ac tamen in reliquis cum *Fullero* facit) *miserae fœminae* in viro enim solatium, robur & refugium ponunt, se ipsas nec defendere nec tueri, nec propagare genus nomenque suum valentes. β) Qui תְּשׁוּקָה interpretantur *appetitum*, *& ad virum* (scilicet erit) *appetitus tuus*, iterum variant circa sensum totius sententiæ. Sunt א) qui accipiant de *appetitu conjunctionis ad procreandam sobolem*; sed merito id rejicitur, tum quia sic nullus esset nexus cum eo, quod sequitur; & *ipse dominabitur tibi*. Vid. POLUS; tum quia Paulus h. m. ex verbis istis inferre non potuisset, quod mulieribus conveniat ὑποτάσσεσθαι. a) Alii ב) intelligunt *appetitum*, quo fœmina *appetit dominium mariti;* sed his regerit FULLERUS, jugum non appeti solere, si hæc phrasis appetitum dominii alterius designaret; Christus quoque appetere dicendus foret dominium Ecclesiæ, c. l. Cant. VII. 10. alii ex adverso ג) innui putant *appetitum dominii a viro in se transferendi*, quem sensum FLACIUS etiam in loco parallelo Gen. IV. 7. obtinere putat. Vid. GLASSIUS, pag. 1653. Sed coactum hoc est. Alii ד) phrasin hanc: *appetitus tuus erit ad virum*, interpretantur *de obedientia* uxoris erga maritum, ut sensus sit: *Nil tibi appetendum* erit, nisi quod volet maritus: ab ejus nutu pendebis, non eris tui juris: ita ABEN ESRA, GROTIUS, PISCATOR, AINSWORTHUS.

§. IV.

Quodsi jam in hoc sententiarum divortio γ) nostra quoque dicenda sit sententia, huc illa redit: א) Cum certum sit; verba שׁוּק & שָׁקַק significationes suas sibi invicem communicare, & utrumque promiscue accipi in significatu nunc *currendi* nunc *appetendi*, fine dubio radix שׁוּק *generaliorem* primitus significatum habuit, cui *specialiores* modo dicti suberant. Ecquis autem ille? Videor mihi *in Versione* alexandrina vestigium ejus reperisse, quando ista vocem תְּשׁוּקָה in omnibus, qui eam habent, locis parallelis per ἀποστροφήν, Gen. III. 16. IV. 7. aut per ἐπιστροφήν vertit Cant. VII. 10. Utrumque *conversionem* notat, vel *corpore* vel *animo; corpore*, eo, quo curritur; *animo*, ad id, quo *appetitus* fert. *Generatim* itaque תְּשׁוּקָה notare potest *sententiam* seu *motum* vel *corporis* in alium aliumve *locum*, vel *animi* ad hoc illudve objectum; *speciatim* vero *Gen. IV. 7.* significat, peccatum, ante fores cubans, *omni nisu id agere & appetere*, ut hominem in suam potestatem redigat; id sibi vult phrasis, quod

quod ejus *appetitus* sit ad hominem, cui mox opponitur dominium hominis in peccatum. Quamquam enim suffixum in תְּשׁוּקָתוֹ & in sequenti vocula בּוֹ sit *masculinum*, adeoque non respondere videatur voci חַטָּאת, quæ est generis *fœminini*, unde & CLERICUS aliique ad Habelis subjectionem & Caini dominium, vi primogenituræ, hæc ultima commatis verba referunt; rectius tamen ista suffixa ad *subjectum* proxime præc. pertinere putantur, scilicet ad חַטָּאת, cum præsertim, ut ipse CLERICUS in antecc. fatetur, alibi quoque terminationes fœmininæ, qualis est in חַטָּאת, interdum tamen masculini sint generis, cum in singulari tum in plurali; sic enim participium רֹבֵץ, cubans, nomini חַטָּאת immediate junctum, *masculinum* est, nimirum per constructionem *ad sensum* magis quam ad *verba*. Nam per prosopopoëiam peccatum hic considerat ut hostem ante fores excubantum, & intrare desiderantem. Cf. GLASSIUS 931. Hæc de primo loco parallelo.

§. V.

Quod secundum attinet, *Cant. VII.* 10. עָלַי תְּשׁוּקָתוֹ pariter nil aliud vult, quam hoc: Dilectus meus *totus ad me conversus est, tota ejus propensio est ad me*, id quod LUTHERUS noster egregie sic expressit: *und er hält sich auch zu mir*. Atque sic tertio etiam nostro in loco אֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ, hunc habebit sensum: *ad virum tuum*, tanquam *Dominum* tuum, (hunc enim respectum poscit, quod sequitur: *& ipse dominabitur tibi*) *omnis tua applicatio erit, ita ut tota ab eo pendeas*. Hac ratione textui hebræo sua constat perfecta concinnitas, & hæ duæ propositiones: *ad virum erit applicatio tua*, & *ipse dominabitur tibi*, tanquam correlata, egregie sibi respondent, seque mutuo declarant: *prima* notat *subjectionem* uxoris erga maritum, *altera*, de qua jam nonnihil, addere juvabit, *dominium mariti in illam*; וְהוּא, & *ipse*, scilicet אִישֵׁךְ, *vir tuus*, יִמְשָׁל בָּךְ, dominium in te & *habebit* & *exercebit*; sic *Sara* Abrahamum appellavit *dominum suum*, אֲדֹנִי, Gen. XVIII. 12. indeque etiam בַּעַל utrumque & *Dominum* & *maritum* notat. Hoc ipsum vero dominium, uti & correlatum ejus, subjectio uxoris, post lapsum sine dubio aliam nunc habet faciem, quam ante istum habuit, &, illo non secuto, constanter habuisset. Hæc de textu hebræo. Quodsi jam quæratur, num bene ac plene is a Paulo expressus sit unico verbo ὑποτάσσεσθαι? vix quemquam de eo dubitaturum puto, qui expenderit, ὑποταγὴν per se jam involvere *subjectionem* unius, & *domi-*

dominium alterius partis. Atqui *prius* in hebræo indigitatur voce תְּשׁוּקָה, *posterius* verbo ימשל. Quin adeo gratias debemus Paulo, quod, versione sua seu exegesi potius, *veram notionem* obscurioris vocabuli תְּשׁוּקָה docere nos voluerit.

§. VI.

Dispiciamus jam II) num hæc verba revera *probent*, quod Apostolus iis probare intendit, adeoque *applicatio* ejus recte se habeat? 1) Probare vult ex loco nostro *immediate* quidem, mulierum esse ὑποτάσσεσθαι, *subjici*, huicque inferioritati suæ in omnibus congrue se gerere, nec affectare quidquam, quod illi adversum sit; *mediate* vero, quod, vi hujus ὑποταγῆς, non *permissum* sit illis, *loqui in Ecclesia*, sed *silentium* easdem deceat; jam 2) inverso ordine hæc momenta considerabimus, prout in textu se invicem excipiunt. Hicque A) se nobis offert constitutio illa apostolica: Αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν. a) Pronomen ὑμῶν sive ad γυναῖκες, *uxores vestrae*, quæ communis est sententia, sive ad ἐκκλησίαις, *vestris* in Ecclesiis, ut BENGELIUS vult, referas, perinde est; b) vox ἐκκλησία hic non designat Ecclesiam *universalem*, quia Paulus ad *particularem* hæc scribit, scilicet corinthiacam; neque etiam notat *particularem*, quia de Ecclesiæ particularis corinthiacæ ἐκκλησίαις in plurali loquitur; restat igitur, ut per ἐκκλησίας hic intelligamus *conventus*, seu *congregationes* & *concilia*, ab hoc illove cœtu christianorum ad communem ædificationem institutas. Alias eadem vox etiam quemvis alium conventum seu congregationem hominum denotat. V. g. Act. XIX. 32. uti apud *Demosthenem* quoque invenitur.

§. VII.

c) Ipsa constitutio apostolica est in verbo: σιγάτωσαν. In concionibus sacris, præsentibus viris, qui loqui possunt, silentium se decere sciant, nec *docere* aut *orare* præsumant Hæc duo scilicet erant pars præcipua cultus divini in conventibus Ecclesiæ primitivæ. Vid. v. 3. sqq. 13. sqq. it. C. XI. 4. sqq. In loco parallelo 1 Tim. II. 11. 12. hoc *silere* exprimitur voce ἡσυχία, quæ & *silentium* notat, ut verbum ἡσυχάζειν, Luc XIV. 4. Generatim, etiam extra cœtus publicos, silentium mulieres decere, gentiles quoque agnoverunt. Inde SOPHOCLES: γυναικὶ κόσμον ἡ σιγὴ Φέρει· *silentium mulieris ornamentum*; & PRICÆUS ex *Stobaeo* hoc dictum citat:

tat: κόσμος ὀλιγομυθίη γυναικὶ, *ornat mulierem pauci loquentia*, quo & pertinet *Plautinum* illud: *Tacita bona est mulier semper, quam loquens.* Maxime vero in cœtu publico mulierem loqui, turpe ducebant; hinc VALERIUS MAXIMUS *L. III. c. 8. Quid fœminae cum concione? Si patrius mos servatur, nihil.* Et CATO apud *Livium, L. 34. C. 2. Majores nostri nullam, ne privatam quidem, rem agere fœminas sine auctore voluerunt, in manu esse parentum, fratrum, virorum; nos, si diis placet, jam etiam rempublicam capessere eas patimur, & foro quoque & concionibus & comitiis immisceri.* Atque sic *Judaei* quoque mulieres in synagoga ad legendam legem haud admittebant. Hinc Carion ille apud *Maimonidem: mulieri non licet legere in synagoga, propter reverentiam, quam habere debet cœtui illi;* & in *Megillah* C. 3. *Dixere sapientes: mulier non legat in lege coram gloria congregationis.* Quod vero *Ecclesiam christianam* concernit, constitutionem apostolicam huc pertinentem habemus non hic modo, 1 Cor. XIV. sed etiam 1 Tim. II. 11. 12. & in *Constitt. apostolicis L. III. C. 6.* habetur peculiaris titulus: ὅτι οὐ χρὴ γυναῖκας διδάσκειν. Cf. TERTULLIANUS *de Virg. vel. C. 9. de Bapt. C. 1. & 17. de Praescript. C. 41.*

§. VIII.

Qu. autem: Num *absolute* intelligendum sit hoc interdictum Apostoli? an *cum restrictione* aliqua? Ansam huic quæstioni præbuit dictum ἐναντιοφανὲς *C. XI. hujus Ep. v. 5.* ubi Paulus *ut licitum* supponere videtur, mulieres in Ecclesia, æque ac viros v. 4. *orare & prophetare.* Jam α) quidem MOSHEMIUS *p. 893. sqq.* hoc non obstante mulieribus heic simplicirer & illimitate interdici statuit, ne loquantur in cœtu publico, ϐ) quia, si Paulus *certis* tantum *mulieribus*, dono scilicet prophetiæ non instructis, illud interdicere voluisset, is sine dubio limitationem aliquam interdicto suo adjecisset, cujus tamen ne minimum quidem in textu Pauli vestigium appareat; γ) quia sic *in cassum plane* hanc legem dedisset Paulus. Si enim prophetissis integrum fuisset, loqui in cœtu publico, etiam reliquæ mulieres, donum prophetiæ præ se ferentes, non potuissent arceri, sed audiendæ potius fuissent, cum, antequam prophetæ ex sermonibus earum judicassent, verane an falsa esset ipsarum prophetia v. 29. non constiterit, an admittendæ essent ad prophetandum, nec ne? Quod δ) ad locum *1 Cor. XI.* attinet, *Moshemius* in eo Paulum supponere ait, *non* quod *liceat*, sed quod *fiat*; deprehendere illum morem in Ecclesia corinthiaca, quo mulieres *capite* non-velato prophetabant, eo ipso autem

tem jus prophetandi iisdem haud concedere, sed potius in ipsa hac epistola, paulo inferius C. XIV 34 disertis verbis interdicere; ex hoc loco potius decidendam esse quæstionem de *jure*, cum ibi tantum de *facto* sermo sit.

§. IX.

Enim vero tanti hæc non sunt, ut β) dimovere nos debeant a sententia plerorumque interpretum, quæ interdictum Apostoli *cum restrictione aliqua* intelligendum esse statuit. Sunt ϰ) qui verbum προφητεύειν *1 Cor. XI.* 5. alio sensu accipiunt, quam *Cap. XIV. 34.* In *priori* loco designari illo existimant *laudationem* Dei *in hymnis & psalmis*, id quod prophetandi genus exceptionem faciat ad regulam C. XIV. In *posteriori* vero Paulum per prophetiam intelligere arbitrantur illud donum, quo mysteria cœlestia, interdum etiam res futuræ, proferuntur in notitiam hominum, cum explicatione prophetiarum scripturæ, quæ per communes interpretandi regulas non posset elici. Vid. BENGELIUS *Gnom. ad Rom. XI.* 6. Atque hoc modo προφητεύειν in publico cœtu mulieribus a Paulo interdici statuunt. Sed recte his obvertitur, verbum προφητεύειν nec C. XIV. nec C. XI. 4. qui immediate præcedat, hoc sensu sumi, adeoque non probabile esse, Paulum istud v. 5. novo plane significatu adhibuisse. Alii proinde ϰ) aliam distinctionem adhibent ad Paulum cum seipso conciliandum. C. XIV. Dicunt excludi mulieres ab *ordinario* docendi munere in cœtibus publicis, sed solummodo extra casum peculiaris & *extraordinarii* afflatus aut instinctus divini, de quo C. XI. sermo sit.

§. X.

Ac sane ista illa diversa *loquendi ratio*, qua Apostolus utroque in loco utitur, satis arguere videtur, non de una eademque re C. XI. & XIV. sermonem esse. C. XI. expresse *de prophetatione* loquitur, seu dono illo extraordinario, differendi de mysteriis regni Dei vel modo immediate revelatis, vel in verbo prophetico latentibus, hocque χάρισμα extraordinarium omnino exceptionem a regula facere poterat; unde & Paulus cit. cap. usu illius mulieribus non simpliciter interdicit, sed *modum* duntaxat quo istæ in conventibus publicis uti eodem debeant, extendit C XIV. autem, ut & in parall 1 Tim. II 11 12 considerate abstinet a verbo προφητεύειν, &, postquam ibi Corinthios docuisset in præcc.

quo

quo ordine viri, dono prophetiæ instructi, in conventibus publicis docere debeant, v. 34. sqq. ἀκαταστασίαν quandam (vid. v. 33.) quæ Ecclesiam corinthiacam dehonestabat, reprehendit, qua scilicet mulieres paria cum viris jura affectabant, publice, & quidem etiam in conventibus solennioribus, proprio ausu instinctuque, *docendi*, aut certe, prætento discendi studio, quæstiones suas proponendi, quod posterius aperte respicit *v. 35.* ubi *domi* (non in conventu publico) *viros suos* (non alios) discendi studio *interrogare* jubentur, quemadmodum contra in Ecclesia τὸ μανθάνειν ἐν ἡσυχίᾳ, ἐν πάσῃ ὑποταγῇ illas decere dicitur, 1 Tim. II. 11. Putem, h. m. optime Paulum cum Paulo conciliari.

§. XI.

Sequitur jam in textu B) *probatio constitutionis apostolicae* de silentio mulierum in Ecclesia, in verbis: οὐ γὰρ ἐπιτέτραπται αὐταῖς λαλεῖν, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι, καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει. a) Ad verba: οὐ γὰρ ἐπιτέτραπται αὐταῖς λαλεῖν, notandum est: α) ἐπιτρέπειν quidem significare etiam posse, *committere*, *demandare*, ut sensus esset: *Es ist der Weiber* ihr Amt nicht &c. unde & BENGELIUS tam hic, quam 1 Tim. II. 12. vertit: *non commissum est*, non committo, & ER. SCHMIDIUS *ad 1 Tim. IV. 3* hunc significatum probat partim ex *Homero*, *Thucydide*, *Luciano*; partim ex eo, quod ἐπίτροπος Matth. XX. 8. Luc. VIII. 3. Gal. IV. 2. notet eum, *cui aliquid commissum* seu demandatum est; *commissarium*, *procuratorem*; neque hoc pacto necesse foret, in sequentibus ante ὑποτάσσεσθαι aliud verbum subaudire, vel κελεύονται, vel δεῖ, cum ἐπιτέτραπται in sensu *demandandi* etiam ad illud referri possit. *Sed* cum verbum ἐπιτρέπειν partim in ipsa hac Ep. C. XVI. 7. partim alibi in N. T. constanter in sensu *permittendi*, non *commi tendi*, usurpetur, e. g. Matth. VIII. 21. 31. coll. Luc. IX. 59. Matth. XIX. 8. Marc. V. 13. X. 4. Luc. IX. 61. Joh. XIV. 38. Act. XXI. 39. 40. XXVI. 1. XXVII. 3. XXVIII. 16. Hebr. VI. 3. malim ego huic significatui etiam h. l. inhærere, & ante ὑποτάσσεσθαι ex seq. voce: νόμος, subaudire, vel *jubentur*, vel *oportet*, ut sensus sit: *Lex iis non permittit* loqui, sed *imperat* subjectionem. β) Verbum λαλεῖν considerate a Paulo adhibitum fuit, cum animus ipsi esset, non modo τὸ *docere* in Ecclesiis, quod expresse prohibetur in loco parall. 1 Tim. II 12. sed etiam τὸ ἐπερωτᾶν, animo discendi, v. 35. hujus Cap. mulieribus interdicere; *non permissum est illis*, *inquit Apostolus loqui*, seu docendo, seu interrogando, *sed lex divina illas vult subditas esse viris.*

§. XII.

Ita enim sequitur in textu b) ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι, καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει. α) Pro ὑποτάσσεσθαι præter *Alexandrinum* tres alii *Codices* habent ὑποταγῆναι, & *Alexandrinus* præterea addit, τοῖς ἀνδράσιν. At fine dubio hæc debentur *Glossae* cuidam, ad sensum exprimendum in margine adjectæ. Infinitivus sane hic vim habet *imperativi*, nec nisi de subjectione mulierum, *viris* debita, sermo est; β) ad verba: καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει. obs. ℵ) Voculam καὶ, *etiam*, indicio esse, quod, *praeter legem*, *etiam aliunde* constet, mulieres ὑποταγὴν debere viris, nimirum ex ipsa *ratione*; sic τὸ καὶ etiam adhibitum fuit C. IX. 8. ubi epitasin facit ad κατὰ ἄνθρωπον, ב) ὁ νόμος hic *stricte sumtus* denotat *pentateuchum*, quemadmodum in sensu strictissimo legem mosaicam, *c. l.* 1 Cor. IX. 8. ἐν τῷ Μωσέως νόμῳ in præc. autem allegato C. XIV. 21. *latius* etiam *prophetas* complectitur. Solebant enim Judæi totum corpus Scripturæ S. ipsis concreditæ vocare תּוֹרָה, *legem*, denominatione sumta a parte ejus potiori quæ est pentatevchus mosaicus; ג) quum Apostolus ait, *legem quoque* id ipsum *dicere*, quod ipse modo dixerit, *) manifestum est, id, quod proxime præcedit de ὑποταγῇ mulierum, immediatam consequentiam esse, e loco Gen. III. 16. legitime deductam. Ex hac autem **) itidem recte hanc ducit, quod, vi hujus ὑποταγῆς, ad quam sexus sequior ordinatus sit a Deo, eidem *non permissum sit loqui*, sed *silentium illum deceat in Ecclesia*. *Loquebantur* in Ecclesia mulieres corinthiæ, vel *docendo*, vel *interrogando*: Si *docebant*, eo ipso quandam in viros, tam suos, quam alios, *auctoritatem* affectabant, eam scilicet quæ *Doctori* competit in *discipulum*. Vid. Luc. VI. 40. Hebr. XIII. 17. unde in loco parallelo 1 Tim. II. 12. τῷ διδάσκειν jungitur το αὐθεντεῖν ἀνδρὸς. Quid vero injunctæ a Deo ὑποταγῇ magis poterat adversum esse, quam hoc? Si *interrogabant*, scilicet animo discendi, non quidem h. m. auctoritatem usurpabant in viros, sed tamen interpellabant illos, contra reverentiam viris debitam, quam & silentio suo in conventibus publicis testatam facere debebant. Jam huic rationi ex Gen. III. 16. petitæ alias superaddit Paulus 1 Tim. II. 13. 14. Postquam v. 12. dixerat, mulieri se non permittere posse, ut *doceat*, neque ut *auctoritatem usurpet in virum* (quod scilicet facile ex priori consequi poterat) in seqq. utrumque probat, *illud* quidem, quod *docere* non debeat, ex historia *creationis*; hoc vero, quod non debeat *auctoritatem usurpare in virum*, ex historia *lapsus*; v. 13. Ἀδὰμ γὰρ, inquit, πρῶτος ἐπλάσθη,

ἀν, εἶτα Εὐα. Adamus *prior* formatus est, *deinde* demum Eva, ita quidem, ut hæc propter illum condita sit, 1 Cor. XI. 8. Ergo non decet hanc illi dominari; sed v. v. Porro: *Adamus non fuit seductus seu deceptus*, sed mulier, a serpente decepta fuit, Gen. III. 13. hæcque dein Adamo etiam persuasit esum de arbore vetita, Gen. III. 12. coll. 17. *Semel*, ait CHRYSOSTOMUS, *mulier docuit*, sed tam male, ut & se & virum & omnia alia perdiderit, ultra ergo *non doceat*. Facilius decepta facilius decipit, inquit BENGELIUS *ad h. l.*



CXV. ALLEGATVM.

1 COR. XV. 32. b)

Φάγωμεν, καὶ πίωμεν, ἄυριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.

JES. XXII. 13.

אָכוֹל וְשָׁתוֹ כִּי מָחָר נָמוּת׃

VERSIO LXX.

Φάγωμεν καὶ πίωμεν, ἄυριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.

§. I.

Nulla quidem heic præcedit *formula allegandi*; ſed nihilo minus certum eſt, citatum Jeſaiæ locum allegari, quemadmodum etiam Paulus ipſa Verſionis LXX verba retinuit, quæ ſatis quoque bene reſpondent hebraicis: ubi ultima verba: כִּי מָחָר נָמוּת, *quia cras morimur*, aperte indicant, præcedentes infinitivos, אָכוֹל וְשָׁתוֹ, elliptice poſitos eſſe, ut ſenſus ſit: *comedendo* comedamus, & *bibendo* bibamus, h. e. libere & continue, quod Gen. II. 16. exprimitur phraſi: אָכוֹל תֹּאכֵל, *von allen Bäumen im Garten magſt du frey und immerhin eſſen*; ceterum, cum nullis hic opus ſit vindiciis tam allegationis quam applicationis, ſequentia annotaſſe ſufficiet.

§. II.

I) Nullum eſt dubium, hæc verba *adagiale* quid habere, & tam inter Judæos quam inter gentiles *ſymbolum* quaſi fuiſſe hominum *Epicureorum*, nihil poſt hanc vitam ſperantium ſeu timentium; de *Judaeis* id teſtatur *hic locus Jeſaiae*, & *L. Sap. C. II. 1-9.* De *gentilibus* autem multa con-

b) Antea quidem, v. 27. aperte Apoſtolus Pſ. VIII. 7. allegavit. Hujus autem loci tractationem *Viro beato* ad Hebr. II. 6-8. reſervare placuit, ubi verba eadem plenius cum contextu ſuo afferuntur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0190
DFG

congeſſerunt Interpretes, quæ huc faciunt. E *graecis* ſcriptoribus affert GROTIUS *ad h. l.* STRATONIS illud:

Καὶ πίνε κ᾽ τέρπε, Δημόκρατες, ὰ γὰρ εἰς αἰεὶ
Πιόμεθ᾽, ὰδ᾽ αἰεὶ τέρψιος ἐξόμεθα.

Nec non *Anonymi* cujusdam:

Πίνε καὶ ἐυφράινε, τί γὰρ ἄυριον, εἰ τί τὸ μέλλον,
ἀδηὶς γινώσκει.

Speciatim *Grotio* verba abs Paulo adducta videntur eſſe proverbium *laconicum*, λακονικὴ παροιμια. Cf. WOLFIUS *in Cur. ad h. l.* Inter Latinos HORATIUS inprimis, qui & ipſe hoc ſibi encomium canit:

Me pinguem & nitidum bene curata cute viſes,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum,

Multa habet huic Epicureorum ſymbolo παράλληλα. e. g. *Carm. L. I. Od. IX.*

Quid ſit futurum cras, fuge quaerere, &
Quem fors dierum cunque dabit, lucro
Appone: nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas,
Donec virenti canities abeſt
Moroſa.

Item *L. II. Od. III.*

Huc vina, & unguenta, & nimium breves
Flores amœnae ferre jube roſae,
Dum res, & aetas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra;
Omnes eodem cogimur, omnium
Verſatur urna, ſerius, ocyus
Sors exitura, & nos in aeternum
Exilium impoſitura cymbae.

Eodem

Eodem *L. II. Ode XI.* in eo tota est, ut suadeat, omissis curis hilariter vivere. Similis furfuris est, quod legitur *L. III. Od. XXIX.*

ille potens sui
Laetusque deget, cui licet, in diem,
Dixisse, vixi: cras vel atra
Nube polum Pater occupato
Vel sole puro.

Nec non PETRONII illud:

Heu, heu! nos miseros, quam totus humuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus,
Ergo vivamus, dum licet esse bene.

Haud raro, quod obiter hic monere liceat, has aliasve similes hominum profanorum sententias e contextu suo excerptas allegari & commendari videas tanquam divina prope oracula, uti v. g. illam ex *Odarum L. III. Od. 29.* adductam commentator Horatii, JAC. CRUCIUS convenire ait cum illa ap. Matthæum Cap. VI. v. ult. *Nolite sollicite esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua.* Revera autem sunt oracula diaboli.

§. III.

Quod jam 2) in specie ad dictum Epicureorum tempore Jesaiæ attinet, triplicem illud sensum admittit; vel enim A) Epicurei isti in populo judaico *credidisse supponi possunt* veritatem ac certitudinem prædictionis propheticæ de instante calamitate assyriaca, ut sensus sit: Cum certum sit, nos in potestatem hostium proxime venturos, & vel captivos vel occisos usura bonorum hujus vitæ carituros esse, brevi, quod restat, tempore strenue utamur, indulgentes luxui, quamdiu adhuc possumus. Quum vero probabilius supponatur, luxuriosos illos a Prophetа descriptos fuisse incredulos contemtores verbi prophetici, nihil fidei tribuentes prædictionibus Jesaiæ de imminentibus reipublicæ malis, quin potius eas frigide excipientes, aut falsе irridentes, ut v. g. Jes. V. 19. legitur; præstat B) cum aliis *absolute* hoc dictum accipere, hoc sensu: Indulgeamus luxui, dum licet, cras forte morituri, fere ut

Hora-

Horatius alicubi ait: *Carpe diem, quam minimum credula poſtero.* Atque hic ſenſus non excludit tertium, quum huic dicto *ſarcaſmus* præterea ineſſe ſtatuitur, quo impii iſti retundere voluerunt exhortationem prophetæ ad reſipiſcentiam, ſive, uti is v. 12. rem exprimit, ad fletum, planctum & ſaccum, argumento ſumto ex imminente tempeſtate, quod peſſime hoc ipſo convertant in argumentum, quod eo magis indulgendum ſit vitæ voluptuoſæ, haud diu amplius duraturæ.

§. IV.

Supereſt 3) ut, quo ſcopo Apoſtolus hoc profanorum hominum dicterium adducat, oſtendamus. Dixerat v. 31. ſe *quotidie mori*, non ſolum, quatenus perpetuo mortis periculo expoſitus erat, ſed etiam ipſa mortificatione perpetua; quin & v 32. Epheſi cum beſtiis ſe pugnaſſe ait, ac deinde ſubjicit: ſi κατὰ ἄνθρωπον ſaltem, h. e. ſi humanitus, humano auctoramento, ſpe vitæ præſentis duntaxat, omnia hæc perpeſſus eſſet, nil ſibi id profuturum; quodſi enim mortui non reſuſcitandi ſint, (quæ verba LUTHERUS in verſ. ſua, aliique ad præcedentia referunt, BENGELIUS autem rectius ad ſeqq.) melius ſane ſibi conſulere videntur, qui hujus vitæ bonis, quantum pote, fruuntur, nec quidquam eorum vanæ alterius vitæ ſpei ſacrificant. Præſtat h. m. cum omnibus Epicuri de grege porcis ſuum quoque facere tritum illud: Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas. Conf. 1 Cor. XV. 19. Hic enim verſus propoſitionem ſeu thema continet eorum, quæ v. 29 - 34. uberius tractantur: Homines hujus mundi, poſt hanc vitam nil ſperantes, ac præſentis vitæ fructum libere percipientes, ſi mortui non reſurgant, nec falſa alterius vitæ ſpe lactantur, nec hujus vitæ deliciis prius valedicunt, quam pro lubitu iis fruiti ſunt: Chriſtiani vero, ſi nulla ſit reſurrectio, non modo falſa ſpe lactantur, ſed etiam per abnegationem ſui & mundi, certum vitæ præſentis fructum amittunt, adeoque illis longe ſunt miſeriores. Neque tamen Paulus h. m. *vere beatos* hic prædicat eos, qui vitam ſuam in luxu tranſigunt, non edentes ac bibentes, ut vivant, ſed viventes tantum, ut edant ac bibant, ſicque *animam* ſuam tantum *pro ſale* quaſi habentes, ne ante tempus putreſcant, ſed chriſtianos duntaxat, certo ſenſu, modo indicato *miſeriores* iisdem fore pronunciat.

CXVI. ALLEGATVM. c)

1 COR. XV. 45.

Οὕτω καὶ γέγραπται· ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν.

GEN. II. 7.

וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν.

§. I.

Textum græcum cum hebræo *conferentes* deprehendimus I) exactam inter utrumque convenientiam, nisi quod Paulus *primo* epitheton πρῶτος de suo addidit, ac deinde *vel* ἄνθρωπος *vel* Ἀδὰμ redundare videtur. Nam cum in hebræo non legatur, *prior* seu *primus Adam*, adeoque epitheto πρῶτος in eo nil respondeat, omnino Paulus id de suo inseruisse censendus est; inseruit autem, quia mox *Adamo*, quo de *c. l.* sermo est, oppositurus erat *Adamum ultimum*, nec invito textu hebr. inseruit, cum utique Adamus ille, de quo Moses loquitur, *primus homo* fuerit, respectu totius generis humani, imo & *primus Adam* respectu Christi, *Adami secundi* & *ultimi*.

§. II.

Quod ad voces ἄνθρωπος & Ἀδὰμ spectat; sunt, qui *illam*; sunt, qui hanc abundare censeant. a) Vox ἄνθρωπος, (quæ & in *Cod. Lin-*

c ln.

c) Permisit sibi *Vir beatus* in his suis Prælectionibus, etiam versum *Menandri*, poetæ profani, quem Paulus 1 Cor. XV. 33. integrum allegavit, variis observationibus illustrare, quas publicæ postea luci exposuit in *Diss. Philog. Crit. quæ sistit Paulum Apostolum scripturas profanas ter allegantem, nec tamen in omni litteratura græca versatissimum. Tub. 1770.* Tanto magis nos ab istis heic abstinemus, ut a nostro scopo per se alienis.

coln. deeſt, nec non in IRENÆO *L. 5. C. 12.* & TERTULLIANO *de Carne Chriſti C. 17.*) irrepſiſſe in textum videtur FABRO STAPULENSI, (cui proinde mireris a WOLFIO *in Cur. ad h. l. Lud. Capellum* incautius ſecuto alterum iſtud tribui, quod ſcilicet ἀδὰμ expungendum cenſuerit. Vid. ERASMUS in *Crit. angl. ad h. l.* & MILLIUS) ERASMO ROT. BEZÆ, PISCATORI, CASTALIONI; quin & BENGELIUS vocem ἄνθρωπος in textu circello notavit, ac in margine lectionem, quæ illa caret, pro firmiore habet lectione textus, licet non plane certa. Atque ex his ERASMUS ἄνθρωπος additum ſuſpicatur ab Interprete quopiam, qui voluerit explicare, quid ſonaret *Adam* apud Hebræos, nempe *hominem*: MILLIUS, ſi quidem adjecta ſit, adjectam cenſet ex Verſ. LXX. Gen. II. 7. ubi *Adam* redditum eſt per ἄνθρωπος. BENGELIUS autem ἄνθρωπος huc traductum exiſtimat e *v. 47.* ubi πρῶτος ἄνθρωπος dicitur, qui hic πρῶτος Ἀδάμ. Si rationes exquiras, cur aliquibus expungendum videatur, BEZAM *in Polo* has afferre video: α) quia *Adam* hic ſit nomen, non individui, ſed *ſpeciei*, ut ἄνθρωπος v. 47. adeoque ἄνθρωπος jam lateat in voce ἀδάμ. β) quia alioqui Paulus etiam in altero hemiſtichio huc oppoſito dixiſſet: ὁ ἔσχατος ἄνθρωπος χριστός. At his non obſtantibus alii, & ipſe etiam LUD. CAPPELLUS *in Crit. Angl. ad h. l.* retinendum putat τὸ ἄνθρωπος, ut quod exegetice forſan poſitum ſit ad declarandam vocem hebræam, *Adam.*

§. III.

b) Vox ἀδὰμ deeſt in 3. *Codicibus*, qui vero tanti non ſunt, ut expungere illam neceſſe ſit; GROTIUS, qui hebræum אָדָם græco ἄνθρωπος jam expreſſum ſtatuit, Paulum nomen *Adam* ex præcedd. apud Moſen addidiſſe ſuſpicatur. Nobis c) ſic videtur: cum in textu hebræo vox אָדָם aperte ſit nomen ſpeciei, non individui, h. e. nomen *hominis*, non *Adami* proprie ſic dicti, ut inter alia patet ex articulo *He*, qui nominibus propriis alias præfigi haud ſolet; aut ad minimum individuum illud, *Adamus*, in eo conſideretur ut primus homo, a quo deſcendit totum genus humanum, optime illam Paulum poſt LXX. reddidiſſe ἄνθρωπος, adeoque hanc vocem omnium minime abeſſe poſſe; cum vero præterea vox ἀδὰμ in antitheſi repetatur, veriſimile eſſe, quod Paulus eam concinnitatis ergo, ut membra oppoſita eo melius ſibi reſponderent, voci ἄνθρωπος addere voluerit, quia Chriſtum, ut *ultimum Adamum*, non opponere poterat ἀνθρώπῳ, ſeu Adamo, quatenus eſt nomen *ſpeciei*.

eiei, ſed *Adamo*, quatenus eſt nomen proprium, ſcilicet individui illius, quod eſt primus homo.

§. IV.

Hiſce expeditis 2) ad illa quoque verba textus græca, quæ in hebræo habent, quod iis reſpondeat, nonnulla annotabimus: A) ad verbum ἐγένετο quæri poteſt, *quomodo factus ſit* homo in animam viventem? Docent hoc verba textus hebr. quæ allegatum noſtrum, præcedunt, & quibus copula *vav* in וַיְהִי ſequentia ſubnectit. Scilicet factus eſt in animam viventem per formationem e limo terræ, quoad *corpus*, & inſufflationem ſpiraculi vitarum, quoad *animam*. B) לְנֶפֶשׁ חַיָּה preſſe & accurate a Paulo, poſt LXX. redditum eſt: εἰς ψυχὴν ζῶσαν. Hicque a) de phraſi, qua γίνεσθαί εἴς τι, ponitur pro γίνεσθαί τι; obſervandum eſt, eam duplici in caſu adhiberi in S. Codice: α) cum verti poteſt latina phraſi, *verti ſeu mutari in aliquid*, ut v. g. Joh. XVI. 20. *triſtitia veſtra* εἰς χαρὰν γενήσεται, proprie ſignificat: *in gaudium vertetur*, quo in caſu nullus ineſt hebraismus, quia profani quoque ſcriptores, quibus cum literis hebraicis nil fuit commercii, γίνεσθαι εἴς τι dixerunt pro: *verti in aliquid*; hic autem ſignificatus haud quadrat in locum noſtrum: non enim in creatione *converſus eſt* homo in animam viventem, ſed *factus eſt* anima vivens. Alibi autem β) γίνεσθαι εἴς τι, idem dicit, quod *fieri aliquid*, ut Matth. XXI. 42. Luc. XIII. 19. & *h. l.* ubi ἐγένετο εἰς ψυχὴν ζῶσαν, idem eſt ac ἐγένετο ψυχὴ ζῶσα, per hebraismum, quo verbum הָיָה, cum ſignificat *fieri*, per præfixum, ל conſtruitur cum nominibus, uti hic: quod LUTHERUS reddidit: *eine lebendige Seele*, ſi autem & præfixum ל exprimere voluiſſet, vertendum fuiſſet: zu *einer lebendigen Seele*; uti contra in hebræo quoque omitti potuiſſet *praefixum*. Certe 1 Reg. XXII. 22. וְהָיִיתִי רוּחַ שֶׁקֶר, *ero ſpiritus mendacii*, eodem ſenſu dicitur, quo 2 Chron. XVIII. 21. וְהָיִיתִי לְרוּחַ שֶׁקֶר, *ero in ſpiritum mendacii*.

§. V.

Ecquid vero b) ſentiendum de verſione LUTHERI in N. T. *der erſte Menſch Adam iſt gemacht* ins natürliche Leben? *Carpit* illam ut inconcinnam VORSTIUS *Ph. S. P. K. p. 212. Laudat* vero ut egregiam MOSHEMIUS *p. 998* exiſtimans, ψυχὴ ζῶσα idem eſſe, quod ζωὴ ψυχικὴ, uti & in ſqq. πνεῦμα ζωοποιῶν idem quod ζωὴ πνευματικὴ. Nobis ſic videtur:

omni-

omnino melius facturum fuisse B. LUTHERUM, si apostoli verba vertisset: *Der erste Mensch Adam ist worden, oder auch, gemacht worden, zu einer lebendigen Seele; der lezte Adam zu einem lebendigmachenden Geist.* Interea tamen eundem in vers. sua nil aliud expressisse, nisi quod revera in textu latet: nam ζωὴ ψυχικὴ utique *finis* erat, in quem conditus est primus homo, uti & actu secuta est creationem ejus. Quod vero MOSHEMIUS ψυχὴ ζῶσα dictum putat pro ζωὴ ψυχικὴ, id vel ideo admitti nequit, quod Moses aperte non tam dicit, *ad quod* seu *quem in finem* factus sit primus homo, quam potius, *quid* factus sit per formationem ex limo terræ & insufflationem spiraculi vitarum: scilicet *anima vivens*, seu animans suum corpus, per se vita carens, in eoque & per illud ἐνέργειαν suam exserens. Deinde minus adhuc admitti potest, quod πνεῦμα ζωοποιοῦν interpretatur ζωὴ πνευματικὴ. Uti enim in voce ζωοποιοῦν inclusa censeri debet propria secundi Adami vita, ita nec ex adverso sic illa interpretanda est, ut excludatur vis ejus vivifica respectu aliorum. Cf. v. 48. 49.

§. VI.

Restat II) ut de *applicatione* hujus dicti, a Paulo facta, nonnihil subjiciamus. 1) Inde a *v.* 35. in eo est Apostolus, ut respondeat ad quæstionem: *Quomodo suscitantur mortui?* si autem suscitantur, *quali corpore prodeunt?* Resp. A) per *similitudinem* v. 36 - 44. B) citra similitudinem v. 44. sqq. ubi rursus a) notanda est propositio totius tractationis v. 44. in verbis: *Est corpus animale*, (quod informatur ab anima, quatenus agit in istud naturaliter) *& est corpus spirituale*, (quod informatur a spiritu, ita ut vita ejus tota ab hujus operationibus pendeat) b) probatio hujus propositionis exstat *v.* 45. ubi Apostolus *primum* propositionis membrum adstruit dicto Gen. II. 7. *alterum* vero per consequentiam ex hoc deductam, quam Judæi negare haud poterant. Consequentia hæc est: si primus Adam factus est in animam viventem, ut Gen. II. legitur, adeoque cum omnibus suis posteris habet σῶμα ψυχικὸν, utique ex adverso ultimus Adam factus est in spiritum vivificum, qui & ipse nunc habet, & omnibus ex ipso genitis daturus est σῶμα πνευματικὸν. Firmitas hujus consequentiæ a Judæis certe in dubium vocari non poterat, quia pridem inter eos ἐξαγώνιον erat, α) in Messia, secundo Adamo, fore omnes perfectiones, imperfectionibus primi Adami e diametro contrarias; β) uti progenies primi Adami huic suo parenti per omnia similis sit; ita & progeniem secundi Adami per omnia eidem similem fore v. 48. 49.

§. VII.

Patere sic arbitror, 2) Paulum apposite omnino hoc dictum citasse, idque scopo ejus egregie inservire. Licet enim antitheton de secundo Adamo non expresse c. l. exstet, virtualiter tamen in eo continetur, & per legitimam consequentiam inde a Paulo deductum fuit, ut ante monuimus. Nec proinde etiam opus est, cum LIGHTFOOTO *in Hor. Ebr. ad h. l.* e codice V. T. operose conquirere, quæ huc facere quodammodo possunt. Provocat e. g. ad locum Hiob. X. 25. ibique reperisse sibi videtur appellatione ὁ ἔσχατος ἀδὰμ. *De priori*, inquit, *Adamo dictum est: Pulvis es, & in pulverem reverteris; at novi ego*, ait Hiobus, quod *Redemtor meus vivit, & ille exsurget* de pulvere אַחֲרוֹן, *alter, seu posterior.* Cf. BENGELIUS *in Gnom. ad* ὁ ἔσχατος. Provocat porro ad *Gen. III. 20.* ubi Adamus, recepta jam & credita promissione de Christo, uxorem suam nominet *Chavam*, i. e. *vitam*, uti & LXX. vertant: καὶ ἐκάλεσαν ἀδὰμ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, ζωή. Jam, cum per se ineptum fuisset, illam nuncupari *vitam*, quæ mortem introduxit, sensisse putat Adamum, τὸν ἔσχατον ἀδὰμ, in promissione sibi exhibitum, esse πνεῦμα ζωοποιοῦν, & meliorem vitam introduxisse, *animae*, & tandem introducturum *corporis*. His, inquam, fidiculis opus non est, ad alteram dicti nostri partem e S. Codice exsculpendam, cum e priori sponte sequatur; quamvis ceterum hæc cogitata non omnino rejiciamus.

CXVII. AL-

CXVII. ALLEGATUM.

1 COR. XV. 54. 55.

Ὅταν δὲ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀθανασίαν, τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος· κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. Πῦ σου θάνατε τὸ κέντρον; πῦ σου ἅδη τὸ νῖκος;

JES. XXV. 8.

בִּלַּע הַמָּוֶת לָנֶצַח׃

VERSIO LXX.

Κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας.

HOS. XIII. 14.

מִיַּד שְׁאוֹל אֶפְדֵּם מִמָּוֶת אֶגְאָלֵם אֱהִי דְבָרֶיךָ מָוֶת אֱהִי קָטָבְךָ שְׁאוֹל׃

VERSIO LXX.

Ἐκ χειρὸς ἅδου ῥύσομαι αὐτούς, ἐκ θανάτου λυτρώσομαι αὐτούς. Πῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; πῦ τὸ κέντρον σου, ἅδη;

§. I.

Est hoc *Allegatum* ex iis, quæ, ex duobus pluribusve locis V. T. conflata, diversorum oraculorum radios quasi in unum focum collectos exhibent. Instituenda vero est pro more nostro 1) curatior textus hebræi & græci *collatio*; idque 1) quoad locum ex *Jes. XXV. 8.* citatum: ubi A) occurrunt verba: בִּלַּע הַמָּוֶת, κατεπόθη ὁ θάνατος. a) Hebræa proprie significant: *absorpsit mortem*, scilicet *Jehovah*, hoc enim subjectum orationis repetendum est e v. 6. uti & mox post hæc verba nostra iterum expresse memoratur. LXX. sane verborum sensum plane pervertunt, quan-

quando interpretantur: κατέπιεν ὁ θάνατος, *absorpsit mors*; unde Apostolus recte illos hic deseruit; manifesto indicio, scriptores N. T. non jurasse in verba τῶν LXX. Verbum בָּלַע in *Kal* æque ac in *Piel*, quod hic habetur, significat *absorbere*, *deglutire*, *devorare*, metaphora sumta a mari, voragine profunda, igne, seu animante voraci, injecta aut hausta eam in modum subito absumente, ut plane evanescant ac dispareant; unde & significat, *tegere*, *operire*, quin & *perdere*, plane scilicet ac subito, hausto quasi uno & momentaneo; quomodo v. g. mare absorpsit Pharaonem cum exercitu suo, Exod. XV. 12. & balæna Jonam, Jon. II. 1. Habetur etiam hoc verbum immediate ante hunc locum nostrum v. 7. ubi, per elegans *Oxymoron*, Deus *operturus* dicitur *operimentum* populorum & gentium, scilicet illud in momento quasi & plane auferendo. Nostro in loco simile Oxymoron est. Cum enim ipsius alias *mortis* sit, homines *absorbere*, ut subito evanescant, Propheta *mortis* abolitionem destructionemque emphatice expositurus, *mortem ipsam*, quam Mythologi græci sub *imagine stygiae paludis & acherontis* exhibent, dicit *absorptum iri*; quod ipsum emblema etiam obtinet in phrasi apocalyptica: *infernus ac mors conjecti sunt in stagnum ignis*; ut scilicet devorentur ab eo, ac penitus absumantur, Apoc. XX 14. Ceterum quando VITRINGA *praeteritum* בִּלַּע, absorpsit, in *futuro* vertit, *absorbebit*, quia sic rectius ei *convenire* videtur clausulæ: כִּי יְהוָה דִּבֶּר, nos *praeterito* potius inhærendum putamus, quia, Paulo interprete, mortem *penitus jam abolitam*, adeoque plenum verbi Jehovæ complementum, supponit. Quod b) ad phrasin *graecam*: κατεπόθη ὁ θάνατος, spectat; α) tota vis verbi בָּלַע egregie exprimitur verbo καταπίνειν, quo & LXX. usi sunt h. l. nec non THEODOTION & SYMMACHUS; AQUILA substituente verbum καταποντίζειν. Cf. 2 Cor. V. 4. β) Quum Paulus *activum* בָּלַע, *absorpsit*, in *passivum*, *absorpta est*, convertit, non quidem h. m. exprimitur, *Deum* id feciisse, sed Apostolus tamen postea *Deo* id in acceptis refert, *v. 57.*

§. II.

B) Hebræum לָנֶצַח varias passum est interpretationes. Omnium ineptissime *LXX.* reddiderunt ἰσχύσας, *praevalens.* Licet enim נֵצַח & נֶצַח quandoque denotet *robur*, v. g. Thren. III. 18. Jes. LXIII. 3. לָנֶצַח tamen non potest verti per participium ἰσχύσας. Specimen hic habemus ejus, quod LAMB. BOSIUS *in Praef. Edit.* τῶν ὁ generatim observat in versione

sione alexandrina prophetæ Jesaiæ; scilicet hunc prophetam præ aliis nactum esse Interpretem græcum se indignum. CHALDÆUS vertit לְעָלְמִין, *in secula*, & HIERONYMUS *in sempiternum*; SYMMACHUS εἰς τέλος, h. e. *finaliter & perfecte*; THEODOTION & AQUILA, nec non *Paulus*, εἰς νῖκος. *LXX.* alibi vertunt vel εἰς τὸν αἰῶνα, Jes. XIII. 20. vel εἰς τέλος, Ps. IX. 19. vel εἰς νῖκος, & sic quidem iis quoque in locis, ubi notio *victoriae* non quadrat, sed *perpetuitatis* tantum: 2 Sam. II. 26 Jer. III. 5. Thren. V. 20. Amos. I. 11. VIII. 7. Prov. XII. 19. ut adeo certum sit, phrasin εἰς νῖκος idem eis notasse, quod *in perpetuum*, seu *in aeternum*. Scilicet de vocabulo נֶצַח pridem grammatici docuerunt, proprie illud designare *rei* alicujus aut *temporis perpetuitatem*, cujus causa cum sit *vis* ac *vigor* in re, adscivit sibi significatum *vigoris* seu *roboris*; vigor ac robur autem cum in bellis præstare soleat *victoriam*, hanc quoque significationem sibi vendicavit, Chaldæis præcipue usitatam. Vide tamen 1 Chron. XXX. (Hebr. XXIX.) sqq. ubi LXX. verterunt *νίκη*.

§. III.

Quemadmodum igitur נֶצַח, quod proprie *perpetuitatem* notat, successu temporis etiam significatum *victoriae* induit, ita mirum haud est, etiam νῖκος, quod proprie *victoriam* designat, postea per usum loquendi induisse significationem *perpetuitatis* seu æternitatis; & hoc sensu ab Hellenistis, quales erant LXX. & a Paulo quoque adhibitum fuisse; ita quidem, ut nec illi, nec hic notionem *victoriae*, sed *aeternitatis* tantum, cum ista voce conjunxerint. Cf. ALETHÆI *Untersuch. T. II. p. 788.* GLASSII *Phil. p. 1935.* OLEARII *Diss. de Stilo N. T. p. 67.* Atque hinc procul dubio LUTHERUS noster non peccasset, sed potius usui loquendi hellenistico congrue egisset, si, quemadmodum in *Jesaia* לָנֶצַח vertit *ewiglich*, apud Paulum quoque εἰς νῖκος eodem modo interpretatus esset, non vero, *in den Sieg*; quamquam & hæc locutio suam habeat emphasin. Mors enim vere ac plene *devicta* censeri nequit, nisi *in aeternum absorpta* sit. Cum vero suo tempore *sic absorpta* erit, tunc patebit, eam *plane devictam* esse, *seu* absorptam *usque* ad *perfectam* de ea *victoriam*, nec metus sit, ne vires aliquando resumat. [d])

§. IV.

d) Lucem per hactenus disputata §. II. & III. accipiunt ea, quæ supra *Dem. Evang. T. I. p. 102. not. r.* de voce נֶצַח observata a nobis fuerunt.

§. IV.

Pergimus jam 2) ad *alterum locum* Hoſ. XIII. 14. ubi notamus: A) Priora commatis verba: מִיַּד שְׁאוֹל אֶפְדֵּם מִמָּוֶת אגאלם, Paulum omiſiſſe, quia, ut bene SURENHUSIUS p. 553. monet, non tam rem *agendam*, quam *actam* tam, deſcribere voluit. In *primo* hemiſtichio Deus declarat, *quid facturus ſit*: ſcilicet liberaturum ſe eſſe ſuos e manu inferni, & e morte redemturum: In altero autem *epinicion* iisdem præcinit, *devicto jam* inferno ac morte ab ipſis canendum: hocque proprie ad ſcopum Apoſtoli faciebat. Scilicet ſolenne eſt ſcriptoribus N. T. in citationibus ſuis tot ſolummodo verba ex principio, medio, aut fine textus V. T. delibare, quot ad ſcopum eorum ſunt neceſſaria. Etſi autem Paulus verba hæc ſua non fecerit, dicemus tamen nonnihil de grammatico illorum ſenſu: a) שְׁאוֹל & מָוֶת ſunt, qui pro meris *ſynonymis* habeant, e.g. GOD. OLEARIUS *in Diſſ. ſua Iuaug.* per quam erudita *de Redemt. ex inf. & Liber. a morte ad locum Hoſ. XIII. 14. edita Lipſ. 1701. & recuſa 1707.* omni opum vi probare id ſatagit §. XX. & XXI. p. 34 - 42. tandemque fidenter aſſerit, שְׁאוֹל nil aliud denotare, quam *mortuorum conditionem*, mox phraſi ſynonymica *mortis* ulterius explicandam. *Alii* contra, in ſignificatu voculæ מָוֶת conſentientes, quoad vocem שְׁאוֹל diſſentiunt, eaque vel *ſepulcrum*, locum corruptionis, vel *receptaculum animarum* in reſurrectione cum corporibus iterum conjungendarum, vel *infernum*, locum damnatorum, innui exiſtimant.

§. V.

Nos jam bellum hoc militare ſuperſedemus, ſufficere rati, ſi quæ nobis ſedeat ſententia, paucis dicamus. Paulum ᾅδην nonniſi de *loco corruptionis*, h e. in quo corruptionem ſubeunt humana corpora intelexiſſe, patere nobis videtur ex comparatione hujus epinicii cum init. comm. ubi diſtinguit τὸ φθαρτὸν τοῦτο, & τὸ θνητὸν τοῦτο, ac illi dein opponit ἀφθαρσίαν, huic ἀθανασίαν: *Quando*, inquit, φθαρτὸν τοῦτο *induet* ἀφθαρσίαν, & θνητὸν τοῦτο *induet* ἀθανασίαν, *tunc fiet* (ſeu factum, & impletum erit) *quod ſcriptum eſt: abſorpta eſt mors in perpetuum: ubi tuus, o! mors, aculeus, ubi tua, o! ᾅδης, victoria?* Quis dubitet, θάνατον hic reſpicere τὸ θνητὸν, & ᾅδην reſpicere τὸ φθαρτόν? Si vero dictum *ubi tua, o! ᾅδης, victoria?* per id implebitur, quando corpus hoc, corruptionem in ſepulcro paſſum, induet incorruptibilitatem; per ᾅδην ſane in iſto

isto nil aliud potest intelligi, quam locus corruptionis. Accedit, si dictum Jesaiæ, ubi *mortis* tantum devictæ mentio fit, æque ac Hoseanum præcedentibus respondere debeat, sub *morte* etiam debere comprehensium censeri ἅδην: atqui subaudiri quidem potest locus corruptionis, sed non receptaculum animarum separatarum, & minus adhuc infernus. Ceterum de voce ἅδης Vid. OLEARII *cit. diss. p. 34. sqq.* & DANNHAUERI *Christosoph. p. 254. sq.*

§. VI.

Ad verba hebræa: גָּאַל & פָּדָה notandum est, illa, *philologice* saltem considerata, plenam nobis ideam redemtionis per Christum factæ suppeditare; innuunt enim, Christum α) fuisse *propinquum* nostrum, β) *consanguinitatis* jure nos *redemisse*, γ) *injusto possessori* prædam *eripuisse*, δ) *huic* pretium *nullum persolvisse*, & ε) λύτρον *domino obtulisse*; פָּדָה enim denotat redemtionem *soluto pretio* factam, & גָּאַל liberationem alterius jure propinquitatis susceptam; unde & LXX. rectius *illud* per ῥύεσθαι, & *hoc* per λυτροῦν vertissent, non autem v. v.

§. VII.

Sequitur jam in textu B) *epinicion* ipsum, a Paulo allegatum, in verbis: אֲהִי דְבָרֶיךָ מָוֶת אֲהִי קָטָבְךָ שְׁאוֹל: πῶ σῶ, θάνατε, τὸ κέντρον; πῶ σῶ, ἅδη, τὸ νῖκος. Promissionem de redemtione per Christum continuo excipit epinikion fidelium, de potentia mortis & ἅδου penitus jam fracta & profligata triumphantium. a) Maximam difficultatem hic creat vocula: אֲהִי, α) enim verti potest *ero*, ut sit futurum אֶהְיֶה, e quo per apocopen factum אֲהִי, quomodo futurum hoc occurrit Ps. LXIX. 12. Sicque sensus, a *Luthero* quoque in Hosea expressus, hic foret: *ero, pestes tuae, o! mors; ero excidium tuum, o! scheol;* qua ratione Messias *se* ipse diceret *pestem* fore morti, & *excidium* inferno; (ita enim שְׁאוֹל vertere tantisper liceat, quia alia vox commoda non suppetit.) Et negari profecto *nequit*, verba h. m. sensum satis bonum & emphaticum præbere, si præsertim assumantur, quæ TARNOVIUS ex *Pareo* hic annotat: scilicet *fieri morti mortem* esse non tantum, mortificare mortem, sed etiam *moriendo* mortificare; *fieri excisionem* inferno seu sepulchro, esse non tantum, excidere sepulchrum, sed etiam *in sepulchrum* seu infernum *descendendo* hoc facere, h. e. *passive & active* simul significat. Paulus τὸ *esse mortem alicui*,

exponit per *abolere* & *deſtruere* 1 Cor. XV. 26. deſtruitur autem *mors per vitam*: ergo in ſua ζωοποιήσει Chriſtus mortem deſtruxit. Enim vero id incommodi habet hæc expoſitio τῷ אַיֵּה per futurum, *ero*, quod Paulus h. m. nimis longe a textu hebræo receſſiſſe dicendus foret, quippe non modo ſchema *erotematicum* textui noviter inducens, ſed etiam peſtem & excidium, quæ hebræa ipſi Meſſiæ tribuunt, mortui ac inferno attribuens.

§. VIII.

Quodſi itaque β) probari queat, voculam אַיֵּה etiam verti poſſe per adverbium interrogandi, πῦ, *ubi*, hunc ſignificatum ambabus heic amplectendum eſſe, vix erit, qui dubitet. Poteſt autem probari ex Hoſ. XII. 10. ubi verba: אַיֵּה מַלְכְּךָ אֶפּוֹא vix aliter verti poſſunt, quam ſic: *ubi* rex tuus? *ubinam*, ſcilicet eſt? Probe novi, etiam hic τὸ אַיֵּה a quibusdam, v. g. DAV. KIMCHIO, OECOLAMPADIO, CALVINO, S. SCHMIDIO, verti: *ero*, vel *ſum*, ut ſenſus ſit: *Ego ſum & ero*, h. e. absque mutatione ſemper idem, *ſed rex tuus ubi eſt?* At nimis duram h. m. ellipſin hic fingi, quis non videt? Videantur Auctores citati *in Polo*. Præſtat igitur, אַיֵּה etiam h. l. vertere *ubi?* ſequens אֶפּוֹא autem verti poteſt *vel nunc*, ubi rex tuus *nunc?* quo ſenſu occurrit Hiob. XIX. 6. & præſertim iis in locis, ubi jungitur particulæ אֵיָה, *ubi*: Judic. IX. 38. Hiob. XVII. 15. Jeſ. XIX. 12. *vel* iterum, *ubi*, ſeu *ubinam*? quem ſenſum אֶפּוֹא indubie habet Hiob. XXXVIII. 4. Si autem quæras de etymo vocis אַיֵּה, dici illa poteſt formata eſſe ex אֵיָה, *ubi*, per metatheſin literarum *he* & *jod*, vel etiam ex אַי, quod itidem ſignificat *ubi*, per epentheſin literulæ *He*. Ita BURKIUS *in Gnom. ad Hoſ. XIII. 10.* Certe ipſi Judæorum grammatici, ABUWALID & TANCHUM, POCOKIO laudati, hunc τῷ אַיֵּה ſignificatum agnoſcunt. Conſentiunt LXX. qui ſimiliter per πῦ vertunt, & *Chaldaeus* ad v. 10. nec non *Arabs* & *Syrus*, quamquam hos pro more ſuo etiam heic τῶν LXX. legiſſe veſtigia non ſine ſpecie exceperis; omni vero exceptione majus eſt teſtimonium AQUILÆ, moroſiſſimi ſcripturarum Interpretis, qui, quam in odium chriſtianorum concinnavit verſionem, longiſſime ab iis, quæ manibus illorum terebantur, interpretationibus recedere cupiebat, & tamen noſtro in loco *interrogationem* retinuit. Nulla proinde hac in parte Paulum inter & Hoſeam pugna eſt, nec erat, cur variam lectionem, quoad hunc locum, in codicibus, queis

queis LXX. & Paulus usi sunt, comminiscerentur LUD. CAPPELLUS & GROTIUS, existimantes, illos non legisse אֲהִי, ut nos, sed אַיֵּה.

§. IX.

Pergimus b) ad vocem דִּבְרִיךָ, quam LXX. reddiderunt: ἡ δίκη σου, ubi aliqui suspicantur, primitus ab iis scriptum fuisse νίκη, alii vero δίκη illos posuisse opinantur, quod putaverint, דִּבְרִיךָ non esse a voce דֶּבֶר, *pestis*, sed a דָּבָר, quod non modo *rem* seu *verbum*, sed *causam* quoque, *eine Rechts-Sache*, denotet: v. g. Exod. XXIV. 14. AQUILA דִּבְרִיךָ vertit *sermones tui*, nullo fere sensu, & Rabbinos recentiores pariter significatum *verbi* seu *sermonis*, ut rei suæ faventiorem, adoptasse, infra audiemus; Paulus autem reddidit: σὺ τὸ κέντρον; in qua interpretatione cum textu hebræo concilianda mire Interpretes desudant: sunt α) qui cum BEZA, CAPPELLO, DRUSIO, GROTIO, statuunt, *transposita* fuisse a Paulo verba versionis LXX. & κέντρον e posteriori colo in prius trajectum, idque, ut *Grotius* addit, memoriæ lapsu, ut evenire soleat memoriter locum citantibus. Quin ut eo melius Apostolo cum LXX. conveniat, τὸ νῖκος in altero hemistichio non a Paulo esse, sed a librariis, δίκη in νῖκος convertentibus, DRUSIUS existimat. Enim vero, præter id, quod sine ulla codicum auctoritate assumitur, Paulum scripsisse δίκη, νῖκος autem a librariis esse, & Apostolo memoriæ lapsus temere tribuitur, non video, quid in summa rei per has hypotheses lucremur, cum Paulus h. m. cum LXX. quidem, sed non æque cum textu hebræo concilietur. Mox patebit, κέντρον melius adhuc cum דִּבְרִיךָ consparare, quam νῖκος aut δίκη. Audax non minus est, satis licet ingeniosa β) illa DRUSII conjectura, qua in Pauli, quo usus sit codice, pro דִּבְרִיךָ exstitisse hariolatur דַּרְבָּנֶיךָ, quod significet *aculeos*, seu *stimulos* tuos, 1 Sam. XIII. 21. ubi LXX. verterunt βάκεντρον, Eccl XII. 11. Corruptio sane universalis codicum V. T h. m. statuenda foret, cum in nullo appareat ullum variæ lectionis vestigium. γ) ED. POCOKIUS κέντρον σου cum דִּבְרִיךָ sic conciliat, applaudente GOD. OLEARIO in *Cit. Diss. p. 14. Sive*, inquiunt hi auctores, *a* דָּבָר *derives istud* דִּבְרִיךָ, *ita ut in genere quodcunque instrumentum, seu rem, qua aliquid peragitur, notet, ut fecit R. Tanchum, qui vertit: instrumenta tua, res tuae; sive a* דֶּבֶר, *ita ut res & instrumenta* noxia *significet, in eo sane Apostolus a proprietate verborum recessisse dici nequit, quod gene-*

neralem vocis significatum, ex rei, de qua sermo est, natura, restringendum esse existimaverit, indeque instrumentum, *quo mors vulnera infligit, & strages edit, κέντρον adpellaverit.* Ac sane communi usu antiquitus vocem illam generaliorem, pro rei substratæ conditione, specialiores induisse significatus, ex Arabum usu se colligere ait POCOKIUS, apud quos דַּבָּרָה *aculeum* notet, unde & apud hebræos דְּבוֹרָה forte *apim, eine Biene*, significat, quod *aculeata* sit. Cf. HILLERI *Onom. S. p. 794. ad vocem Debora.*

§. X.

Nobis δ) sic videtur: Cum א) דָּבַר in *Piel* etiam significet *perdidit*, licet hic significatus sit rarissimus, & uno tantum in loco reperiatur, scilicet 2 Chron. XX. 10. ubi de regina *Athaljah* dicitur: וַתְּדַבֵּר, & *disperdidit* omne semen regium, pro quo in eadem historia 2 Reg. II. 1. legitur: וַתְּאַבֵּד, quod proprie sonat, *perdidit*; cum ב) hanc ipsam ob causam, quod scilicet דָּבַר etiam significat, *perdere*, substantivum דֶּבֶר, ab eadem radice descendens in dubie notet *pestem*, Exod. IX. 3. & Ps. XCI. 6. ubi, æque ac hic, illi jungitur קֶטֶב; cum ג) non modo *Arabibus* דַּבָּרָה *aculeum* notet, sed etiam Hebræis דְּבוֹרָה *aim*, ob aculeum: recte hinc colligi, notionem *κέντρου*, seu *aculei*, ab usu vocum דָּבַר & דֶּבֶר, tam in lingua hebræa, quam in cognatis, non adeo alienam fuisse, ac nobis quidem hodie videtur, atque hinc fieri omnino potuisse, ut דֶּבֶר speciatim notaret *pestem*, per *aculeum venenatum* ac *pestiferum* communicatam. Id vero si admittatur, Paulus profecto emphatice pro peste, quam talis aculeus efficit, ipsum aculeum, qui eam efficit, in versione sua posuit, ut significaret, *ipsam* mortis *vim*, quæ tantum inter homines stragem edidit, non modo *effectum* ejus, destructum iri. Recte etiam hoc pacto vocem *κέντρον* a τοῖς LXX. in altero demum hemistichio adhibitam, ad exprimendam vocem קֶטֶב, in primo statim adhibuit ad interpretandam vocem דֶּבֶר.

§. XI.

Superest C) vox קָטְבָה, *excidium* seu *exitium tuum*, id enim significat קֶטֶב Ps. XCI. 6. & קִיטֶב h. l. Gradatio inest in duabus his vocibus, קֶטֶב & קִיטֶב, hæcque illam *epitasin* facit, velut & *c. l.* Ps. XCI. ubi דֶּבֶר seu pestis

peſtis ambulare dicitur in caligine, קֶטֶב autem devaſtare in meridie; ſcilicet deſignat *malum* magis *acutum & malignum*, *repente* perimens, *omnia* devaſtans, & *exitium totale* inferens; Deut. XXXII. 24. Jeſ. XXVIII. 2. LXX. reddiderunt κέντρον; nec male, ſi RIVETUM audiamus, quia Hebræi קֶטֶב de omni re, quæ pertundendo aut perfodiendo *repente* penetrat impetu vehementiſſimo, ut cuſpis acuta ſolet, uſurpant. Paulus autem notionem κέντρου magis quadrare cenſuit in דְּבֶרְךָ, quam in קָטָבְךָ, hancque vocem, ad *gradationem*, quæ ineſt verbis prophetæ, eo melius exprimendam, interpretatus eſt, σὺ τὸ νῖκος, ubi eſt, inferne, *victoria* tua? Mortis *victoria* completur demum in *corruptione*, quæ in ſepulcro fit, *peſtis* mortis, (ſeu *peſtes* potius, quia multiplex eſt modus, quo homines abripit) hoc *excidium* poſt ſe trahit, in eoque plane *triumphare* videtur de iis, quos ſemel ſibi vendicavit; Chriſtus autem, itidem primo mortuus, dein ſepultus, nulla licet ſecuta corruptione, mortem cum omni ſua ſequela abolevit, morti opponens ζωὴν, & ſequelæ ejus, corruptioni, ἀφθαρσίαν, 2 Tim I. 10. Quando igitur τὸ φθαρτὸν induet ἀφθαρσίαν, & τὸ θνητὸν ἀθανασίαν, tum nil amplius deſiderari poterit ad impletionem plenam ac omnibus ſuis numeris abſolutam ejus, quod ſcriptum eſt: *Abſorpta eſt mors in perpetuum! Ubi, o mors, aculeus tuus? ubi, inferne, victoria tua?*

§. XII.

Abſolutis jam vindiciis allegationis, reſtat II) ut iisdem jam ſubjungamus vindicias *applicationis*. 1) *Judaeos* ſi audiamus, tam *Jeſaias*, quam *Hoſeas* nil minus in his verbis dicere intenderunt, quam id, quod Paulus iis probare inſtituit. A) Quod *Jeſaiam* attinet, *plerique* illorum verſum 6. de convivio, omnibus populis parando exponunt, de epulo funeſto ac lethali, hoſtibus eccleſiæ exitium allaturo, viam ipſis præeunte *Int. Chaldaeo*, cui proinde nondum in mentem venerat abſurda iſta Talmudicorum fabula de epulo carnali a Meſſia, ubi omnes Judæos ex omnibus nationibus congregaverit, atque in terram lacte & melle fluentem deduxerit, parando, ad quod omnium, quæ Deus umquam creavit, animantium maxima, & quidem e jumentis taurum *Behemoth*, e piſcibus *Leviathan*, utrumque immenſæ magnitudinis, tum avem quoque *Bar Juchne*, haud multo minorem, mactaturus, ac generoſiſſimum vinum adhibiturus ſit, quod in Paradiſo enatum, ibidem adhuc in Adami cella vinaria aſſervetur; de quibus nugis vid. BUXTORF *Syn. Jud. C. L.*

&

& BARTOLOCCIUS *in Lex. T. I. p. 575. sqq.* Hoc autem præsuppositio, quod v. 6. judicia Dei in gentes depingat, v. 7. & 8. non possunt non accipere de liberatione populi judaici ab earum tyrannide.

§. XIII.

B) Quoad locum ex *Hosea*, in eruendo illius sensu pariter infelices admodum fuere interpretes Judæorum pene omnes; cum enim *totum caput* in redarguendis Ephraimitarum peccatis, pœnarumque promeritarum comminationibus versari animadverterent, hunc quoque versum 14tum rite explicari non posse existimarunt, nisi illum quoque denunciationem judicii divini continere credatur. Et hactenus quidem consentiunt, sed in eo tamen discrepant, quis proprie textus nostri sensus ac scopus sit, generali totius capitis scopo subordinatus. a) R. DAV. KIMCHI & R. SAL. BENMELECH oraculum nostrum sic interpretantur: *Fuissem ipsis liberatio ex inferno, & redemtio ex morte, si sapientes fuissent. Jam vero, quoniam non sapiens es, sed stultus, & abnegas bonitatem meam, non contentus eo, quod te non liberaturus sim a morte, immittam tibi etiam mortem, per pestem, gladium, famem & bestias noxias.* b) R. SAL. ISAAC locum hunc partim *exprobrationem* beneficiorum hactenus in Israelem collatorum, partim *comminationem* immittendorum deinceps malorum, continere arbitratur, hoc sensu: *Ego ille ipse sum, qui liberavi eos ex manu inferni, & redemi eos ex morte, sed nunc ero verba tua mortis*, h. e. meipsum componam, ut loquar adversus te verba mortis, *ero exscindens te* excisione inferni. c) R. ABARBANEL itidem comminationem in hoc oraculo agnoscit, cumque in præcedd. Deus populo male sano stultitiam ipsius ob oculos posuisset, eum nunc vehementioris affectus testandi causa oratione interrogativa animi sui consilia expromere ait, hunc in modum: *Num itaque liberarem eos ex manu inferni, num morti eriperem? Imo vero potius ero verba tua mortis h. e. quod decrevi de te, eveniet, & sic ero tibi pernicies inferni.* Ita Judæi caligant circa utrumque locum nostrum.

§. XIV.

Quod 2) ad *Christianos* spectat, & quidem A) quoad locum *Jesaiae* a) etiam inter istos fuere, qui *epulum* v. 6. judicium Dei in hostes populi sui adumbrare crederent. Ita enim COCCEJUS v. g. præeunte *Int. Chaldaeo*, in *cit. Comm. epulum de pinguibus & medullatis* exponit de *laetitia* hostium

hostium Ecclesiæ ex oppressione populi Dei percepta, *convivium faecum* vero de eorum *tristitia* ex liberatione populi Dei apud eos oritura, ut sensus sit: *Mutabit convivium pinguium in convivium faecum.* GROTIUS totum illud, quod de convivio in monte Sion parando dicitur, explicat de internecione Assyriorum, Hierosolymam obsidentium: *vindicta Dei*, inquiens, *saepe a prophetis convivio comparatur, quia & consumit hostes, ut cibi consumuntur, & gaudium parit Deo.* Ac sane huc facere videntur loca *Obad.* v. 16. Zach. XII. 2. quæ & KIMCHI ac ABEN ESRA allegant; nec non Apoc. XIX. 17. coll. Ezech. XXXIX. 17. sqq. Nostra autem verba: *absorbebit mortem in aeternum*, sic interpretatur: *Tollet pericula mortis in sempiternum*, i. e. donec vivet Ezechias; & in *Annott. ad N. T.* applicationem a Paulo factam aliter vindicare nescit, nisi ut dicat: *Trahere illum verba prophetae in sensum eminentiorem.* b) Qui vero propius accedunt, oraculum hoc dicunt ex eorum esse numero, quæ *sensum compositum* habeant ex typico & antitypico, adeoque & impletionem geminam, unam in typo, alteram in antitypo. Atque hi *typum* quærunt *vel* in liberatione ex captivitate babylonica, ut post alios KORTUMIUS *ad h. l.* vel in lautiore populi judaici statu temporibus maccabaicis, speciatim sub Simone Ethnarcha, & Jo. Hircano, ut VITRINGA, qui vero simul, hæc initia sub œconomia nova illustrius longe complementum accepisse, & in fine temporum per resurrectionem mortuorum omnium augustissimum acceptura esse, egregie ostendit.

§. XV.

B) Quoad locum *Hoseae*, inter christianos pariter a) sunt, qui KIMCHII, Judæi, interpretationem suam fecere; licet enim verborum expositione nonnihil ab eo recedant, sensum tamen & scopum eundem amplectuntur, v. g. OECOLAMPADIUS, CALVINUS, MUNSTERUS, ISID. CLARIUS, GROTIUS, MERCERUS, DRUSIUS. Alii autem b) etiam huic loco, uti Jesaiano, *sensum compositum* tribuunt, ita ut *typice* respiciatur populi judaici redemtio e sepulchro captivitatis babylonicæ (quæ metaphora etiam occurrat Ezech. XXXVII. 11 - 14.) *antitypice* vero facta per Christum ecclesiæ æterna redemtio ex morte & inferno. Ita post THEODORETUM TARNOVIUS & JO. SCHMIDIUS, nec non VITRINGA ad Jes. XXV. 8. *p. 47. col. a.* ubi locum Hoseæ *primo sensu* respicere ait liberationem e potestate regis assyrii vel babylonii.

§. XVI.

Quodsi jam 3) *nostra* sit danda *epicrisis* ad diversas hasce sententias, & quidem A) ad *judaicam* illam, quæ a) quoad locum *Jesaiae* epulum illud v. 6. de internecione hostium ecclesiæ, & abolitionem mortis v. 8. de liberatione e manu illorum intelligit, observamus *α*) id unum præcipue speciem quandam conciliare huic expositioni, quod מִשְׁתֵּה שְׁמָרִים, *convivium faecum*, vix videtur exponi posse de convivio *laeto*, sed *tristi* potius & *funesto*, ob loca supra citata, *Obadj.* v. 16. *Zach. XII.* 2. & *Apoc. XIX.* 17. *coll. Ezech. XXXIX.* 17. *sqq.* Sed Resp. Loca hæc plane esse aliena, & sine ratione pro parallelis haberi, id quod collatio illorum cum nostro loco quemvis, vel obiter illa intuentem, docere potest. Apud *Obadiam* non dicitur, *a Deo* apparandum esse *epulum*, sed propinandum poculum vini, poculum iræ Dei, Judæis quidem *in monte Sion*, ibi quippe puniendis; ac deinceps gentibus, sed non potandum ab ipsis *in monte Sion*, verum a quibusque in suis terris, aut in montibus Israelis, ubi funesta clade interituræ sint. Cf. Jer. XXV. 15. sqq. Nostro autem in loco alia quævis dicuntur. Eadem pene ratio est loci *Zach. XII.* 2. ubi Hierosolyma *pelvis vertiginis* fore dicitur omnibus populis circumjacentibus, h. e. eam fore causam exitii illorum, sed non dicitur, illos *in monte Sion* bibituros, multo minus *epulum* celebraturos esse. Atque sic *Apoc. XIX.* 17. mentio quidem fit δείπνε τȣ̃ μεγάλε Θεȣ̃, *cænae Dei magnae*, quæ ibidem est *cæna vindictae divinae*, ut & Ezech. XXXIX. 17. Sed *ubi* hoc epulum Dei ex mactatis ecclesiæ hostibus parandum dicitur, & *in quorum usum & gratiam?* Non sane *in monte Sion*, ut epulum apud Jesaiam, sed *in montibus Israel*, Ezech. XXXIX. 17. nec *in usum & gratiam* populorum, sed *avium rapacium*, aquilarum, vulturum, aliarumque, quæ solenniter invitantur ad edendum carnem bibendumque sanguinem Principum terræ, heroum, militum, equorum, mulorum, magno illo die judicii divini in hostes ecclesiæ ingenti strage delendorum, id quod sane nil commune habet cum emblemate apud Jesaiam. *β*) *Convivium pinguium* per totam scripturam sumitur in meliorem partem pro *convivio laeto* Jes. LV. II. 2. Ps. XXXVI. 9 LXIII. 6. sqq *γ*) *Convivium faecum*, quod adversariis non videtur in bonam partem accipi posse, recte accipitur de convivio ex *vino defaecato*, seu a *faecibus purgato*, quia mox hæ fæces dicuntur שְׁמָרִים מְזֻקָּקִים, *faeces faecatae* seu *percolatae*; ut adeo intelligatur *vinum merum* seu *meracum*. *δ*) Reliqua, quæ sequuntur, *de velo removendo*

vendo a facie omnium populorum, de lacrumis abstergendis, & morte absorbenda in perpetuum, cum nonnisi in meliorem partem accipi queant, idem quoque de v. 6. statuendum est.

§. XVII.

b) Quoad locum *Hoseae*, nil nisi tortura textus hebræi est interpretatio illius judaica. α) *Kimchianam* quod attinet, illa א) futuris אגאלם & אפרם significationem *plusquamperfecti subjunctivi* tribuit, repudiato proprio ac ordinario significatu, & quidem absque ulla necessitate. ב) Verbis: &c. אהי דבריך מות aperte vis infertur, illa vertendo: *Propter verba, quae misi tibi* (scilicet per prophetas) *te tamen voci meae non obsequente, ero mors tua*, seu mortem tibi inferam, *ero pestis tua*, seu pernicies, *usque ad sepulchrum.* Intruditur sic in textum vocula *propter*; suffixum in דבריך non significat, *verba tua*, sed, *quae misi tibi*; Ellipsis statuitur integræ sententiæ: *& non audis vocem meam*; מות, sine suffixo positum, vertitur, *mors tua*, & ante שאול subauditur præpositio, *usque ad.* Quis ferat hanc licentiam? Viderunt hoc alii ex ipsis etiam Judæis, unde textum paulo commodius sic verti posse putarunt: *Ero pestis tua usque ad mortem, ero pernicies tua usque ad sepulchrum.* Sed vel sic dura est ellipsis, cum bis subaudiendum sit, *usque ad.* β) Quod ad R. SAL. ISAACI interpretationem attinet, num sententia: *meipsum componam, ut loquar adversus te verba mortis*, in hebræo barbare magis efferri potuit, quam sic: *Ero verba tua mortis?* Taceo, tam accentuationem quam syntaxin hebraicam hanc interpretationem refellere, ut OLEARIUS *c. l.* ostendit p. 7. 8. Denique γ) ABARBANELIS expositio æque textum misere distorquet, dum hunc ejus sensum facit: *Ero verba tua mortis*, i. e. quod decrevi de te, eveniet, *ero tibi pernicies inferni.* Hæc ad primam classem interpretationum, scilicet judaicas.

§. XVIII.

Jam pergimus ad secundam, quæ est *Christianorum*; ubi a) quoad locum *Jesaiae* occurrunt α) ii, qui emblema epuli v. 6. vel ex parte vel totum in sensu tristiori accipiunt, β) *ex parte*, inquam, uti post *Chaldaeum* COCCEJUS, qui vertit: convivium *pinguium* convertet in convivium *faecum.* Enim vero si de duplici convivio, læto primum, dein tristi, h. l. sermo esset,

esset, *) Propheta sine dubio copulam & interposuisset inter מִשְׁתֵּה שְׁמָנִים & מִשְׁתֵּה שְׁמָרִים, vel etiam verbum, וְעָשָׂה ex init. comm. repetiisset; **) minus concinne idem h. m. convivio *pinguium* opposuisset convivium *faecum*, cum oppositа potius sint *potatio vini puri* & *potatio faecum*. Quum a) GROTIUS *totum* emblema convivii in malam partem accipit de internecione hostium ecclesiæ, v. 8. autem de liberatione corporali populi judaici, *) eadem, quæ sub init. epicriseos nostræ Judæis, viam ipsi heic præeuntibus, oppositа fuere, ubi negavimus parallela esse, quæ huc facere videri possent, loca, contra GROTIUM quoque militant; **) *abolitionem morti in aeternum* exponere de *sublatione periculi mortis, donec victurus sit Hiskias*, tam jejunum ac frivolum est, ut quod maxime; a) enim ne verbulum quidem hic extat de Hiskia, 2) non de *mortis periculis*, sed de *ipsa morte* sermo est; 3) de *universali omnium populorum malo* loquitur propheta; adeoque & 4) de universali beneficio, eidem oppositо.

§. XIX.

Quod β) ad reliquos *christianos Intt.* attinet, qui in oraculo nostro ad minimum sensum *compositum* aiunt statuendum esse, ut proxime quidem innuatur insignis aliqua liberatio populi judaici tempore V. T. *remote* vero id, quod tempore N. T. factum est per Christum, & consummate fiet in fine temporum, per eos quidem eatenus in salvo manet applicatio paulina, quod omnino recte ad antitypum applicari poterant, quæ de typo dicta sunt. Sed putem tamen, vaticinium nostrum rectius ab aliis statui proxime ac immediate, seu literaliter, tempora N. T. respicere. Profecto lautior ille status populi judaici post captivitatem babyl. aut temporibus maccabaicis, longe infra magnificentiam verborum in illustri hoc vaticinio subsistit. Vel *id unum*, quod *omnibus populis* convivium in monte Sion parandum dicitur, non quadrat in ista tempora; quis enim liberationem e captivitate babylonica aut statum populi sub Maccabæis, quam antea lætiorem, *omnibus populis* convivium, i. e. materiam gaudii ac lætitiæ fuisse dicat? Gratiam Dei *universalem* sub N. T. manifestandam spirat tota hujus convivii descriptio. Cf. Matth. XXII. 1. sqq. 9. sqq. Luc. XIV. 16. sqq. 22. sqq. Apoc. III. 20. XIX. 7 - 9. Quid? quod etiam v. 7. removendum dicatur *velamen*, operiens *omnes populos*, unde & v. 8. absorptio mortis in perpetuum, non potest non beneficium notare ad illos omnes pertinens. Scilicet abolitionem mortis per

Chri-

Christum factam, Hebr. II. 14. 2 Tim. I. 10. & consummandam in resurrectione mortuorum, 1 Cor. XV. 26. ad quam proinde omni jure hoc dictum applicat Paulus v. 54. uti & ea, quæ apud Prophetam præcedunt de convivio, & sequuntur de abstergendis lacrumis applicantur ad pingendam beatitudinem alterius vitæ. *Apoc. VII. 16. non esurient, nec sitient amplius*, v. 17. *agnus pascet eos & deducet ad fontes aquarum: absterget Deus omnem lacrumam ab oculis eorum;* & rursus Apoc. XXI. 4. *absterget Deus ab oculis eorum omnem lacrumam, & mors non erit amplius.* Quæ verba locum nostrum Jesaianum respicere, cœcus sit, qui non videat.

§. XX.

Quod denique b) ad locum *Hoseae* spectat, α) iis ex Intt. christianis, qui Judæorum interpretationem in summa rei suam fecerunt, ea quoque argumenta, quibus contra hos pugnavimus, adversa sunt. Addatur CALOVIUS *in B. J. ad h. l.* β) Qui inter illos *primario* liberationem e captivitate assyriaca seu babylonica, & *secundario* demum redemtionem per Christum factam ac in fine temporum perficiendam, h. l. prædici statuunt, haud inepte quidem per metaphoram redemtionis a morte & inferno innui posse existimant *liberationem e captivitate*, quæ *mortis* ac *inferni instar quoddam* habeat: nam & in visione illa Ezech. XXXVII. exules atque captivi *mortuorum*, & captivitas *sepulchri* figura repræsentantur. v. 11. sqq. Verum præter id, quod sine necessitate a verborum proprietate non sit recedendum γ) textus noster ad liberationem e capt. babylonica ideo referri nequit, quia promissionem continet *Israelitis*, in contra distinctione ad *Judaeos* sic dictis, datam, ad *istos* vero (scilicet X. tribus Israelis) liberatio e capt. babylonica non pertinuit: quæ ipsa ratio etiam contra RUFINUM & GROTIUM valet, qui liberationem e manu Sennacheribi, per celebrem illam eiadem una nocte patratam, indigitari putant. *Dicas* forte: omnino hoc vaticinium inveniisse complementum suum non minus in X. tribubus, quam in *Judaeis* stricte sic dictis, cum plurimi ex *illis* sese adjunxerint *hisce* ex Chaldæa in patriam revertentibus Sed Resp. 1) *pauciores* fuisse istos Israelitas, quam ut iis illustre adeo vaticinium applicari queat 2) *modum* liberationis minus fuisse illustrem, cum ex dominorum suorum in Chaldæa conniventia tantum potestate Judæis data ipsis uti licuerit; 3) *finem & exitum* hujus liberationis non fuisse eum, ut dici possit liberationi a morte & ereptio-

ni ab inferno respondisse. Non in rempublicam rursus coaluere, ut populum denuo constituerent, quod Judæis tantum contigit.

§. XXI.

3) Quod supra de loco Jesaiano affirmavimus, scilicet magnificentiam verborum non admittere interpretationem de liberatione quadam corporali, quantumvis insigni, id de *Hoseano* quoque certum est. 1) Enim subito quidem Propheta ex *comminatione* gravissimorum dolorum v. 13. transit ad *promissionem* potentissimæ perfectissimæque redemtionis in fine dierum; sed constat, solenne hoc esse Prophetis. Postquam scilicet Dominus Israelitis omnem corporalis regni restaurandi spem ademisset, nunc spiritualis regni Christi instaurationem pollicetur; 2) universus tenor textus nostri *redimendos* illos non repræsentat ut *praeservandos* tantum a manu inferni & a morte, sed tanquam *constitutos jam* in potestate inferni & mortis, & ex illa potenter *eripiendos*. Tales autem sunt *mortui vere* quidem, non *metaphorice* saltem, ut captivi. 3) Additamentum: *pœnitentia occultabitur ab oculis meis*, nos docet, promissionem hanc esse *absolutam*, non *hypotheticam*. *Illius* vero generis est promissio de abolitione mortis per resurrectionem, non autem promissio de liberatione corporali. 4) Oraculum nostrum literaliter de Christo agere, & redemtione per ipsum facta, non modo PP. Ecclesiæ magno consensu docuerunt, EUSEBIUS v. g. HIERONYMUS, AUGUSTINUS, GREGORIUS M. sed e *Judaeis* quoque haud pauci de *Messia* hic cogitarunt. Vid. GALATINUS *de A. C. V. L. VIII. C. 21.* & RAYM. MARTINI *in Pug. fid. P. 3. dist. 2. C. 8. §. 4.* CALOVIUS *ad h. l. p. 761. col. a.* & OLEARIUS *c. diss. p. 17. sqq.* Maneat ergo dictum nostrum, ut GREGORIUS *Naz. or. 42.* eleganter loquitur, *epitaphium morti* & *inferno* plane *congruum*.

CXVIII. AL-

CXVIII. ALLEGATUM.

2 COR. III. 7. 13.

Εἰ δὲ ἡ διακονία τῦ θανάτυ ἐν γράμμασιν ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, ἐγενήθη ἐν δόξῃ, ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι τὰς υἱὰς Ἰσραὴλ εἰς τὸ πρόσωπον Μωϊσέως, κατὰ τὴν δόξην τῦ προσώπυ αὐτῦ τὴν καταργυμένην — Καὶ ὐ καθάπερ Μωυσῆς ἐτίθει κάλυμμα ἐπὶ τὸ πρόσωπον ἑαυτῦ, πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι τὰς υἱὰς Ἰσραὴλ εἰς τὸ τέλος τῦ καταργυμένυ.

EXOD. XXXIV. 30. 33.

וְהִנֵּה קָרַן עוֹר פָּנָיו וַיִּרְאוּ מִגֶּשֶׁת אֵלָיו׃ וַיִּכָּל מֹשֶׁה מִדַּבֵּר אִתָּם וַיִּתֵּן עַל־פָּנָיו מַסְוֶה׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἦν δεδοξασμένη ἡ ὄψις τῦ χρωτὸς τῦ προσώπυ αὐτῦ· καὶ ἐφοβήθησαν ἐγγίσαι αὐτῷ. — Καὶ ἐπειδὴ κατέπαυσε Μωυσῆς λαλῶν πρὸς αὐτὺς, ἐπέθηκεν ἐπὶ τὸ πρόσωπον αὐτῦ κάλυμμα.

§. I

His in verbis Pauli, etiamsi nulla adsit allegandi formula, sine controversia respicitur ad historiam illam, quæ citato Exodi loco recensetur. Itaque I. textum *graecum* cum *hebraeo conferentes* deprehendimus, Paulum *rem magis*, seu factum ipsum, allegare, quam *verba*, quibus illud in Exodo describitur. Quod autem 1) *splendorem* faciei Mosis attinet, in *hebraeo* is exprimitur verbis: וְהִנֵּה קָרַן עוֹר פָּנָיו; in *graeco* autem Paulus v. 7. eundem vocat δόξαν τῦ προσώπυ αὐτῦ.

§. II.

A) Ad *hebraea* notandum est: a) cum non modo substantivum קֶרֶן ambiguæ significationis sit, & plerumque quidem *cornu* significet, aliquando vero etiam *radium* seu *splendorem*, ut Hab. III. 4. ubi dualis קַרְנַיִם non

non *cornua duo*, quem sensum contextus non admittit, sed *splendorem duplicatum* notat; verum etiam verbum קָרַן utrumque significatum sustineat, quando v. g. Partic. Hiphil. מַקְרִין est *cornua producens*, Ps. LXIX. 32. nostro autem in loco קָרַן, *splenduit seu radiavit* significat, quin imo, cum usitatius *ornu* denotet, facile ambiguitas hæc decipere potuit *Vulgatum*, ut verbum קָרַן ter in loco Exodi, scilicet v. 29. 30. 35. verteret, *cornutum esse*; quem errorem deinceps plurimi errarunt: non HIERONYMUS modo ad Amosi C. VI. vultum *cornutum* Mosi tribuit, sed postea quoque tam pictores, quam sculptores in numis, cornua Mosi affinxerunt. Quin imo *Genuae* inter alias sanctas reliquias *cornua Mosis* adhuc hodie monstrari, RAMBACHIUS observat in eleganti obs. de *ignorantia exegetica, multarum reliquiarum SS. matre & obstetrice. Bibliothecae Brem.* cl. 7. fasc. 6. num. 4. p. 1015. sqq. inserta. Vid. FABRICII *Cod. Pseudepigr.* V. T. p. 866. sq. DEYLINGII *Obs. SS. P. III. obs. VIII. p. 82. sqq.* qui & ex STEUCHO observat, Judæos ridere & execrari Christianos, quoties Mosen in templis nostris cum facie cornuta depictum videant, quasi nos eum esse putemus diabolum quemdam. Jam GROTIUS quidem ad Exod. XXXIV. defendere *Vulgatum* conatus est ex eo, quod nil vetet credere, radios illos de facie Mosis surrexisse *in cornuum speciem;* sed vide, quæ illi obvertit CALOVIUS in *Bibl. Illustr.* ad Exod XXXIV. Rectius omnino verbum קָרַן de *radiis & splendore* vultus Mosis interpretati sunt L. XX. *Samaritanus*, *Syrus*, *Chaldaeus & Arabs*, qui postremus certe eo minus in vertenda hac voce errare potuit, quia *radii solares* in lingua arabica voce *Kuran* huic radici קָרַן cognata, designantur, ut CLERICUS observat *in Comm.* ad Pent. Nimirum a קֶרֶן, *cornu*, est קָרַן *splendere*, quia, ut KIMCHIUS annotat, cum homo solem, aut aliam lucem, intuetur, videtur illi quodammodo *cornuum instar* splendorem ac radios emittere.

§. III.

Voluit autem Deus, ut Moses e familiari cum eo conversatione in monte lucidum & coruscantem vultum reportaret, quo convincerentur Israëlitæ de colloquio Mosis cum Deo, qui simplicissima Lux est, & in luce dicitur habitare, 1 Joh. I, 5. 1 Tim. 6, 16. Hæc scilicet antiquissima etiam profanarum gentium opinio fuit, forte ex hac Mosis historia hausta, (ut CLERICUS aliique suspicantur) Deos in luce habitare, hominesque familiariter cum iis versantes, communicato, & in ipsos reflexo quasi, Deorum lumine, coruscare: *uti* tale quid de *Zoroastre* suo narrant

narrant Persæ, DIONE CHRYSOSTOMO teste, de *Jamblicho* EUNAPIUS, de *Proclo* MARINUS, & Muhamedani de Propheta suo *Muhamede*, ut ELSNERUS refert in *Obss. SS.* p. 139. vid. CLERICUS l. c. & DEYLINGIUS p. 87. Atque hinc derivanda forsan est *nimborum* origo & radiantes divorum vultus, ac divinæ idolorum nubes, ut SERVIUS *nimbos* appellat; quem & morem postea christiani sunt imitati, radiante arcu sanctorum capita cingentes, ne gentium divis inferiores viderentur.

§. IV.

Jam b) intactam quoque dimittere haud possumus HERMANNI VAN DER HARDT, Prof. Helmst. mirabilem sententiam, quando in *Ephem. suis* p 193. splendorem faciei Mosis in *ruborem* convertit, *partim* ex ardore devotionis in precando, *partim* ex iracundia ortum: *Hic igitur*, inquit, *devotionis ardor, ut totum corpus corripuit, & spiritus incendit, ita & praecipue vultum inflammavit, ut inter preces frons, oculi, & ora arderent ac radiarent, sicque cutis faciei ignis instar suo rubore & calore reluceret.* Refutarunt hoc commentum CASP. CALVOERIUS in *Glor. Mosis Diss. III. tota*, & DEYLINGIUS c. l. p 87. sq. Verbum קָרַן certe non *ruborem* vultus *qualemcunque* notat, plane naturalem, &, homine ad se redeunte, paulatim evanescentem; sed *splendorem*, eumque miraculosum & durabilem.

§. V.

Hunc splendorem B) Paulus in *graeco* δόξαν vocat, imitatus in eo *Alexandrinum*, qui קָרַן reddidit, & ἦν δεδοξασμένη. Excipit quidem HARDTIUS, δόξαν solum notare *venerationem & gloriam*, non præcise *fulgorem*; sed fallitur: Petrus enim 2 Ep. I. 17. splendorem Christi in monte δόξαν vocat, & Luc. IX. 31. Moses & Elias ἐν δόξῃ tum apparuisse dicuntur. Cf. Apoc. XXII. 11. 1 Cor. XV. 41. Apoc. X. 1. Atque sic & nostro in loco δόξα non potest non *fulgorem* notare: nam tale quid intelligitur, propter quod, ne aliorum oculos percelleret, Moses tegumento opus habuit; id quod non de gloria *morali* officii, sed splendore faciei vult accipi; imo Paulus expresse appellat δόξαν τε προσώπε, *vultus*, non *officii* Mosis; δόξαν διακονίας demonstrabat δόξα προσώπε.

§. VI.

Pergimus 2) ad *alterum momentum* in textu nostro, scilicet *effectum* seu *consequens* hujus fulgoris, tam in *animo*, quam in *oculis* Israelitarum. Effe-

ctus in *animo* describitur in hebræo verbis : וַיִּרְאוּ מִגֶּשֶׁת אֵלָיו , & *timuerunt*, seu veriti sunt, *accedere ad illum ;* ἐφοβήθησαν ἐγγίσαι αὐτῷ, ut LXX. exprimunt. *Fugam* a facie Mosis huic timori junctam fuisse, sequentia docent, v. 31. ubi Moses *revocasse* illos, ipsi vero ad eum reversi esse dicuntur. CLERICUS & MICHAELIS in *Bibl. Hal.* suspicantur, quod *angelum* forsan se videre arbitrati sint; tales enim magno cum fulgore apparere sueviſse; homines autem, quasi vita eorum ex illius adspectu periclitaretur, eundem refugisse, ex multis Scripturæ S. exemplis constat. Vid. e. g. Luc. II. 9. XXIV. 4. 5. Matth. XXVIII. 3. 4. Bene etiam laud. MICHAELIS ex R. *Bechai* heic seqq. annotat: Quanta vis peccati! Qui ante commissam idololatriam C. XXIV. 17. ipsam Jehovæ gloriam viderant, nec tamen aufugerant, jam ne mediatoris quidem (ejusque hominis, Mosis nempe) faciem intueri possunt.

§. VII.

Effectum *in oculis* Israelitarum, cujus consequens erat effectus in eorum animis modo memoratus, exprimunt græca, primo quidem v. 7. ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ πρόσωπον Μωσέως, διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ, τὴν καταργουμένην: deinde v. 13. πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου. Observamus hic a) Paulum pro effectu *in animis* ponere effectum *in oculis*, per metonymiam antecedentis pro consequente. Quia nimirum ferre non poterant aspectum Mosis, timor illos in fugam dabat; nulla E hic pugna. b) Justa quidem series omnium circumstantiarum hujus historiæ, prout in textu V. T. illa describitur, satis clare a Paulo exprimitur v. 7. ubi particula ὥστε indicat, gloriam in facie Mosis coruscantem fuisse *illud*, *propter quod* Israelitæ nequiverint ἀτενίσαι εἰς τὸ πρόσωπον Μωσέως, h. e. *intentis oculis intueri faciem Mosi*; hoc vero, una cum horrore & fuga, in causa fuisse, cur ipse faciem velaret, quoties ipsi cum populo colloquendum erat: sed v. 13. phrasis: πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι &c. aliam facti seriem inferre videtur. Nec desunt α) qui omnino τὸ μὴ ἀτενίσαι hic a Paulo *impositioni velaminis postponi* statuunt, ut consequens suo antecedenti, seu ut effectum suæ causæ; negantes tamen, τὸ πρὸς de *causa finali* accipiendum esse, quasi Moses hoc ipso fine velaverit faciem, *ut ne* intueri possent filii Israelis in finem ejus, quod aboletur; quemadmodum WITSIUS in *Misc. SS. L. II. Diss. 1. §. 74.* id statuere videtur, per *velamen faciei Mosis impositum* mystice intelligens *obscuram* illam & *perplexam* docendi rationem, qua usus sit Moses, & per quam factum sit, ut stupidi & occoecati Israelitæ, in ex-

ternis

ternis hærentes, non penetrarent ad penitiora myſteria. Id quod clarius adhuc profeſſus eſt LOCKIVS in Comm refutatus a CLERICO in *Bibiioth. Sel. C. XIII. p. 1000.* (Cf. WOLF *in Cur. ad h. l.* & TH. ALETHÆUS *Erläut. T. II. p. 360. n. i.*)

§. VIII.

Enim vero præter id, quod durius ita ſentiatur de Moſe, male ſic convenit Paulo cum ſerie hiſtoriæ in Exodo, ubi τὸ μὴ ἀτενίσαι præcedit impoſitionem velaminis, quemadmodum contra ſplendor faciei præcedit τὸ μὴ ἀτενίσαι. Atque hoc ipſum incommodum β) etiam premit illorum interpretationem, qui illud πρὸς τὸ μὴ negant verti debere per *ut ne*, ſed orationem ſtatuunt ellipticam eſſe, h. m. ſupplendam: velavit faciem, *ad ſignificandum*, eos non poſſe perſpicere finem ejus, quod aboletur; ſic BEZA *ad h. l.* ALETHÆUS *l. c.* WOLFIUS *in Cur.* qui & provocant ad Luc. XVIII. 1. ubi CASTALIO πρὸς τὸ δεῖν recte verterit: dixit etiam iis parabolam, *ut offenderet*, ſemper orandum eſſe. Malim ego γ) cum CAMERONE (cujus annotata videantur in *Crit. Anglic.* ad h. l.) πρὸς hic vertere *quoniam*, ſeu potius, ut retineatur infinitivus, *propter*, ut ſenſus ſit: velabat faciem, *quoniam* non intuebantur, (h. e. non *poterant intueri*, uti v. 7. dicitur) aut *propter* τὸ non intueri finem ejus quod aboletur; i. e. *weil ſie doch das Geheimnis oder die geheime Bedeutung dieſes Glanzes, und des göttlichen Geſetzes, ſo dadurch verherrlichet wurde, nicht einſahen.* Certe πρὸς etiam valere *propter*, recte probatur ex Matth. XIX. 8. πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν, *propter duritiem cordis veſtri*, ſive, ut BEZA vertit: *pro* duritie &c. eodem ſenſu. Cf. VORSTII *Ph. S. P. I. p. 185.* & RAPHELII *Annott. Polyb. p. 89. ſq.* In ſumma rei idem ſentit BENGELIUS *ad h. l.*

§. IX.

3) Momentum textus noſtri eſt *velamen a Moſe faciei ſuae impoſitum*, quoties, quæ Deus ipſi in mandatis dederat, ad populum deferenda erant, ſed *tollendum* rurſus, ubi ſe conferebat ad colloquendum cum Deo. Hebræum מסוה tam LXX. quam Paulus, verterunt κάλυμμα; quod, in quo conſtiterit, ſcriptura tacet; hoc certe ſcopo adhibitum fuit, ut interciperet fulgorem e facie Moſis emicantem; non quidem ut *ne viderent* illum, ſed *quia ferre* illum *non poterant;* in ſequentibus multa ad hoc *velamen* alluſio v. 14. 15. 16.

§. X.

Supereſt jam II) ut de *applicatione* hujus hiſtoriæ, quam Paulus inſtituit, nonnihil addamus. 1) Dixerat v. 7 - 11. etiam miniſterio legis ſuam fuiſſe gloriam, cujus ſymbolum fuerit gloria faciei Moſis, tanta quidem, ut fulgorem ejus ferre non potuerint Iſraelitæ, ſed *longe majorem* nunc habere gloriam miniſterium Evangelii. Jam pergit v. 13 - fin. *Nos Apoſtoli*, inquit, faciem non velamus, ut Moſes, v. 12. 13 ſed, retecta facie, ſplendorem gloriæ Dei in Chriſto, in corda noſtra immiſſum, per præconium Evangelii ad alios referimus; v. 18. quod igitur multis ex Iſraele nihilominus tectum eſt Evangelium, id non eſt a velamine *noſtrae* faciei, h. e. ex eo, quod myſterium Evangelii typis adhuc & umbris involvamus, ſed a velamine, quod ipſorum cordibus impoſitum eſt, v. 14. 15. Patet hinc 2) Apoſtolum *myſtice & allegorice* interpretari hiſtoriam de Moſis facie ſplendente; rationes convenientiæ ſunt: α) Moſis facies ſplenduit, qua obverſa fuerat Deo; h. e. miniſterium Moſis, quatenus ad Dei mentem & conſilium refertur, omnino ſplendidum eſt ac illuſtre, & perſpicue ſatis Chriſtum monſtrat, qui vera lux eſt. At β) populus carnalis iſtum ſplendorem ferre non potuit, itaque velata eſt illi lex, donec venerit ſpiritus, qui velamen ablaturus ſit; γ) Apoſtoli in N. T. non, ut Moſes, *ſunt* aut *faciunt*; ſed retecta facie Chriſtum prædicant, licet aliud velamen, quod *cordibus plurimorum Iſraelitarum* adhuc impoſitum eſt, eos impediat, quo minus in Evangelio radiantem cernant gloriam Dei in Chriſto. δ) Quemadmodum Moſes, cum ad Deum reverteretur, velamen depoſuit, ſic & Iſrael, quum ſe convertet ad Dominum, deponet cordis ſui velamen, & videbit gloriam Chriſti, atque intelliget, quomodo illius præfiguratio fuerit gloria œconomiæ moſaicæ. Habemus hic ergo inſigne exemplum *allegoriae ab ipſo Spiritu S. inſpiratae*; CLERICUS *in NN. ad Hamm.* illam uſitatæ, Pauli tempore, interpretandi rationi tribuit, &, modo nil niſi verum in dogmatibus aſſumeretur, non neceſſe ait fuiſſe, ut omnes, quæ proferebantur, interpretationes dictorum factorumve Prophetarum eſſent, etiam apud pertinaces, apodicticæ. Sed aliter profecto ſentiendum eſt de *allegoriis Spiritus S.*

CXIX. AL-

CXIX. ALLEGATUM.

2 COR. IV. 13.

Ἔχοντες δὲ τὸ αὐτὸ πνεῦμα τῆς πίστεως, κατὰ τὸ γεγραμμένον· Ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα· Καὶ ἡμεῖς πιστεύομεν, διὸ καὶ λαλοῦμεν.

PSALM. CXVI. 10.

הֶאֱמַנְתִּי כִּי אֲדַבֵּר׃

VERSIO LXX. z)

Ἐπίστευσα· διὸ ἐλάλησα.

§. I

In *collatione* textus *graeci*, e Verſione LXX deſumti, cum *hebraeo* deprehendimus I) verbum הֶאֱמַנְתִּי accurate redditum eſſe per ἐπίστευσα, *credidi*. Qu. autem, num *elliptice* poſitum cenſeri, & *objectum* fidei *ſubaudiri* debeat, ſive ex contextu, ſive ex aliis locis? an vero *abſolute* ſumendum ſit: *credidi*, h. e. eluctatus ſum ad *fidem*, ſeu plenam animi *fiduciam*, ſcilicet ex ſtatu illo, qui deſcribitur Pſalmi v. 3. 8. 11. *Prius* quam plurimis placet; BEZÆ v. g. הֶאֱמַנְתִּי h. l. eſt: credidi *divinis promiſſis*; PISCATOR ellipſin ſupplet ex v. 4 credidi, *Jehovam erepturum animam meam*; MUYSIUS h. m. credidi ſemper Samueli, qui Dei verbis regnum mihi pollicitus erat; GEIERUS denique objectum hujus fidei ex antecc. facit clementiam Dei v. 1. 2. 5. omnipotentem providentiam v. 6 - 8. futuram piorum beatitudinem v. 9. *Poſteriori* ſenſu BURCKIUS accipit in *Gn. ad h. l.* vertens: *credidi*, ad *fidem* feliciter perveni, concepi *fiduciam*, eluctatus

z) Sunt vero hæc verba in græcæ Verſionis Editionibus, quæ partitionem maſorethicam non retinuerunt, ex verſu primo Pſalmi CXV. deſumta. Jam obſervavimus T. I. p. 112. not. x. quæ ſit in numeris Pſalmorum inde a IX & X usque ad CXLVII diſcrepantia. Græcus hic ordo denuo turbatus eſſet, cum Pſalmi nobis CXIV & CXV ibi compareant ut unus CXIII. niſi iterum Pſalmus nobis CXVI. in græco diviſus fuiſſet in duos, CXIV & CXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0221
DFG

ſtatus ex turbis & periculis, quibus *tenebatur* anima mea; confert etiam locum Rom. XIII. 11. ubi ἐπιστεύσαμεν notat: *ad fidem pervenimus.*

§. II.

2) Particula hebræa כִּי eſt πολύσημος, unde ab Interpretibus diverſimode redditur; ſunt A) qui vertant *quum*; atque hi תּוֹ אַרְבֵּר vel ad *v. 4.* referunt, ut PISCATOR, ſecundum quem hæc Davidis mens eſt: *credidi*, ſcilicet Jehovam erepturum eſſe animam meam, *quum* iſtud *loquebar*, ſcilicet verba iſta comm. 4. *obſecro, Jehovah, libera animam meam!* vel generatim *ad praecedentia*, ut FR. JUNIUS, qui hunc verborum ſenſum facit: Tum demum vigebat & triumphabat fides mea, *quum* Deum hac ratione & meipſum his argumentis compellaturus eſſem, quæ modo dicta ſunt, h e. (cum in eo eſſet, ut compellarem.) Verum, licet כִּי quandoque ſignificet, *quum*, ut v. g. Gen. XXXII. 18. ubi כִּי יִפְגְּשֶׁךָ, ſignificat, *quum occurret* tibi, hoc tamen loco alienus eſt hic ſignificatus, quia a) minus ſic congruit futurum: אַרְבֵּר, quod propterea PISCATOR in præterito vertit, JUNIUS autem, ut futurum quodammodo retineat, contorte interpretatur: *compellaturus eſſem;* taceo b) alium h. m. ſenſum his verbis tribui, quam Paulus iisdem tribuit. Sunt B) quibus כִּי ut alibi, quod Concordantiæ docent, & TARNOVIUS *Exerc. p. 170. ſqq.* ita & h. l. ſignificat, *etiamſi, quamvis*, ut ſenſus ſit: *Etſi* locutus ſum interdum imprudentius, illa nimirum verba v. 11. ubi in præcipitatione mea dixi: *omnis homo mendax*, etiam Samuel, qui regnum mihi mendaciter promiſit, *tamen credidi*, ſcilicet extra ſtatum tentationis. Nec in ſumma rei abludit CHR. RICHTER *in der genauen Ueberſetzung der Pſalmen*, cum præf. Baumgartenii Halæ 1736. qui vertit: *ich habe* dannoch *geglaubet*, da *oder* obwohl *ich alſo redete: ich bin ſehr geplaget;* verum & hæc expoſitio nimis longe recedit ab ea, quam apud Paulum legimus.

§. III.

Alii proinde C) inhærent ordinariæ ſignificationi voculæ כִּי, eamque vertunt: *quia*, hoc ſenſu: *credidi*, *quia* loquar: ſic AR. MONTANUS, vel: *credidi*, *quia loquor*, ſeu *loquebar*, ut Davides hic probet fidem ſuam ex parrheſia ſeu libertate loquendi, tanquam ex effectu: ſic COCCEJUS: vel: *credidi*, vere, etiam in ipſis periculis, *quia locutus ſum*, h. e. ex fide Dei omnipotentiam invocabam; ſic TARNOVIUS *Exercc.* p. 823. ſqq.

qui

qui deinceps textum Pauli cum Psalmo ita conciliat: In propositionibus, inquit, convertibilibus licet unum ex altero deducere, nunc ex effectu causam, nunc ex causa effectum probare, ibi per ὅτι, hic per διότι. Sicque etiam h. l. cum Davidis oratio sit reciproca, & pii, quum corde credunt, confiteantur ore Rom. X. 9. 10. Paulus recte illam invertit, effectum faciens, quod apud Davidem causa est; si enim hoc est verum, quod habet David: *Quia* locutus sum, credidi (causam arguens ex effectu suo necessario) Paulus optime ita infert, ut ex causa probet effectum, h. e. ex fide confessionem, indeque etiam כִּי vertere debuit διό. Eodem tendit nota BENGELII, *in Gnom. ad h. l.* Alii autem D) versionem τῷ כִּי per διό, apud Paulum & LXX. tuentur ex eo, quod כִּי Hebræis non modo notet ὅτι, vel *quia*, sed etiam διό, vel *ideo*, h. e. quod non modo *causaliter* significet, sed etiam *illative*. Ac sane non per *quia*, sed per *ideo*, *idcirco*, vertendum est Gen. XXII. 17. *idcirco* benedicam tibi &c. 1 Sam. II. 25. non auscultarunt voci Patris sui; *ideo* placuit Domino, occidere illos Cf. 1 Reg. XII. 15. Amos VI. 12. in BURKII *Gnom.* Coh. V. 6. & GEIERUS ad h. l. Potcere etiam hunc significatum omnino videtur sequens *futurum*, præterito subjunctum: *credidi*, *quia loquar*, vix habet sensum; bonus vero ac facilis emergit, si vertas: credidi, *ideo* loquar. Accedit, etiam græcum ὅτι, respondens hebræo כִּי, poni pro διότι Luc. VII. 47.

§. IV.

Supereſt 3) verbum אָמַר, quod, *in futuro* positum, a LXX. tamen & Paulo redditur in præterito, ἐλάλησα. Conciliari potest hæc versio cum fonte per canonem illum philologicum: verbum *futuri* temporis quandoque habet significationem *praeteriti*, tum præsertim, ubi *praeteritum* aliquod præcessit, cujus naturam deinceps sequens futurum, vel etiam plura, quæ sequuntur, futura induunt. Loca dabit GLASSIUS *Ph. S. p. 894. sq.* Jam vero hic præcedit præteritum הֶאֱמַנְתִּי. Propius adhuc ad rem facit WOKENII observatio in *Harm. V. ac N. T. p. 37. sq.* *Futura*, inquit *hebraea* denotant *nisum* & *consuetudinem* aliquid peragendi (*consuetudinem* scilicet, qua aliquid hactenus factitatum fuit, & *nisum*, illud in posterum quoque agendi.) Itaque & h. l τὸ אֶדַּבֵּר *consuetudinem* loquendi (pro præterito) & pium *nisum* (pro futuro) exprimit. Præterea ex usu biblico patet, quod Spiritus S. præteritum & futurum conjungere soleat ad exprimendum id, quod quidem cœpit, finitum tamen

men nondum est. Ita & h. l. exprimere voluit, Davidem diu jam incepisse credere, & ab eo ad hoc usque tempus & in posterum fidei suæ professiones edere esse solitum; ut sic Paulus non aliene adhibuerit *aoristum*. Forte etiam c) dici potest, futurum præterito junctum facere *locutionem semiduplicem*, ita ut *praeteritum* ex sequenti futuro simul involvat prospectum in futurum, & *futurum* ex præcedenti præterito simul involvat respectum ad præteritum, quo pacto in loco nostro sensus plenus hic foret: *credidi & credam*, ideo *locutus sum & loquar*. In *Psalmo* certe præteritum *credidi* non excludere futurum *credam*, patet e futuro, *loquar*, quod omnino *fidem continuatam* infert; ac viciſſim futurum, *loquar*, licet ob futura v. 12 - 14. 17. 18. non, ut multi faciunt, de præterito intelligendum sit, sed proprie de pio proposito Davidis in futurum; *praeteritum* tamen non excludere, patet ex iis, quæ in Psalmo præcedunt, ubi Davides etiam in mediis angoribus fidem suam *locutam* esse testatur, v. 4. Quum ergo Paulus *aoristos* adhibet, ἐπίστευσα - ἐλάλησα, præteritum quidem solummodo exprimit, sed futurum tamen i. e. continuationem fidei & confessionis non excludit.

§. V.

Qu. autem jam porro: *Quid illud sit, quod* Davides se ait *locutum & locuturum* esse? Si contextum consulamus, *locutus* est, quod v. 4. exstat, scilicet in mediis angoribus suis *invocavit* nomen Domini, *locuturus* autem erat, quod v. 2. legimus, ubi se per omnem vitam Dominum invocaturum esse, & præcipue, quod v. 13. iterumque v. 17. exstat, ubi se nomen Domini *praedicaturum* esse testatur. Atque hoc *posterius* Paulus inprimis respicit, scilicet *praeconium* Evangelii hactenus inter medias afflictiones indefesso studio peractum & in posterum quoque peragendum. Vid. v. 1 - 6. 17.

§. VI.

Hisce præmissis addere nonnulla juvabit de *applicatione* hujus dicti a Paulo facta. 1) Applicationem sic instituit Paulus: *Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum illud quod scriptum est*, scilicet Psalm. CXVI. *etiam nos credimus, ideoque & loquimur.* Notandus hic A) nexus cum antecc. per particulam δὲ, quam BEZA sine ratione h. l. *non adversativam* esse statuit, sed *copulativam*; vera enim antithesis est inter v. 12. & 13. Mors in nobis efficax est, in vobis vita; sed tamen, quia credimus, etiam loqui-

loquimur. B) ἔχοντες vertendum, *quia* habemus, continet enim ætiologiam eorum, quæ sequuntur. c) τὸ αὐτὸ dubites, an referendum sit ad *Davidem*, cujus testimonium mox adducitur, seu, ut alii volunt, generatim ad patres V. T. quia mox scriptura V. T. citatur, an vero ad *Corinthios*, ut sensus sit: eundem *vobiscum* spiritum fidei habentes. *Posterius* GROTIO placet & BENGELIO, cui v. 14. id persuasisse videtur, ubi Apostolus, quemadmodum v. 12. antithesin fecerat inter se ac reliquos apostolos ex una & Corinthios ex altera parte, ita nunc de sua & reliquorum apostolorum cum Corinthiis communione in gloria loquitur. Sed mihi quidem *prius* se hactenus magis probavit, quia nullus apparet nexus inter has duas propositiones: Eundem vobiscum habemus spiritum fidei, hinc credimus, &, quia credimus, loquimur. Melius autem sermo apostoli cohæret h. m. Cum eundem habeamus spiritum fidei, quem David habuit, fides nos, æque ac ipsum, eloquentes facit, ita ut nulla nobis pericula silentium queant imponere.

§. VII.

D) In phrasi: πνεῦμα τῆς πίστεως a) πνεῦμα non *Spiritum S.* sed *animi affectionem* denotare videtur CLERICO *in N. N. ad Hamm.* quo pacto *spiritus fidei* nil aliud hic esset, quam *animi affectio*, consentanea iis, quæ quis credit, seu fidei, quam habere profitetur. Cf. HAMMONDUS ipse ad Luc. IX. 55. & CLERICUS *Art. Crit. P. II. S. 1. C. 5. §. 16.* ubi prolixius agit de ambiguitate vocis *spiritus*. Sed non video, quid impediat, quo minus *Spiritum S.* hic appellari credamus spiritum fidei, ut alibi v. g. *spiritus precum* dicitur. Zach. XII. 10. b) Genitivum, πίστεως, vocabulo πνεῦμα, α) per *hypallagen* additum censet PISCATOR, ita ut sensus sit: *habentes eandem fidem* ab *eodem spiritu* profectam. Quamvis autem hæc inversio vocum non sit infrequens in scriptura, præsertim in statu regiminis, ut GLASSIUS docet p 688. sq. hic tamen præter necessitatem talis statuitur; neque β) πίστεως genitivus est *causæ*, seu *conditionis sine qua non*, quasi *spiritus fidei* diceretur Spiritus S. quia non datur nisi credentibus, uti GROTIUS vult; sed γ) *spiritus fidei* dicitur, quia præcipuum ejus negotium est, ut fidem in nobis efficiat, & conservet.

§. VIII.

E) Verba, quæ allegatum continent: κατὰ τὸ γεγραμμένον - ἐλάλησα· ita sunt posita, ut tam ad *praecedentia*, quam ad *sequentia* referri pos-

sint. Si ad *praecc.* referas, sensus hic erit: habentes eundem spiritum fidei, quem is habuit, de quo scriptum est in Psalmo: credidi, ideo locutus sum, etiam nos credimus, & credentes loquimur. Si ad *sequentia*; tum sensus erit: habentes eundem spiritum fidei, secundum illud quod scriptum est, h. e. ad exemplum Davidis & nos credimus, ideoque etiam loquimur. Nobis *prior* constructio cum τὸ αὐτὸ magis se probat, quam altera cum καὶ ἡμεῖς· uti scilicet 1 Thess. II. 14. ταῦτα construitur cum καθὼς, ita h. l. τὸ αὐτὸ cum κατὰ. F) Quum denique Paulus ait: καὶ ἡμεῖς - λαλοῦμεν, hoc ipso dictum Davidis de seipso sibi & reliquis apostolis applicat, & plane suum facit; *credimus*, *inquit*, & *loquimur*: uti Davides credidit & locutus est; prædicando scilicet Evangelium in summa afflictione.

§. IX.

Hæc est *applicatio* Paulina! Ecquis autem dubitet, illam & *legitimam* & omnino *appositam* factam esse? cum fundata sit in axiomate illo generali, quod Spiritus Dei in operationibus suis sibi semper sit similis; quemadmodum *inquit*, in fidelibus V. T. cum *fide* cordis etiam *confessionem* oris operatus est, ita nec in nobis patitur alteram sine altera esse. GROTIUS certe nimis coarctat sensum τῆς אֶרְבַּר, quando verba Davidis ita παραφράζει· *quia firmam in Deo spem habui, ideo dixi, id quod jam praecedit, fore, ut redirem Hierosolyma sospes ac florens.* Rectius τὸ *loquar* exponitur e *v. 13 & 17.* ubi se nomen Domini *praedicaturum* esse asseverat, ceu supra jam monuimus. Nimirum uti τὸ הֶאֱמַנְתִּי respicit v. 9. ubi *fides* Davidis elucet e verbis: *ambulabo coram Jehovah in terris viventium*, ita τὸ אֶרְבַּר v. 13. ubi ostendit, quomodo fides sua locutura sit, scilicet proclamando nomen Domini, coram omni populo. Quam egregie vero hæc conspirant cum instituto Pauli in toto contextu, qui allegatum nostrum continet? *Fidem* suam testatur v. 14. Sicque explicat τὸ πιστεύομεν v. 13. hanc vero fidem in præconio Evangelii indefessam fore iterato affirmat v. 16. coll. v. 1. 5. Sicque explicat τὸ λαλοῦμεν v. 13.

CXX. AL-

CXX. ALLEGATVM.

2 COR. VI. 2.

Λέγει γὰρ· Καιρῷ δεκτῷ ἐπήκουσά σου, καὶ ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας ἐβοήθησά σοι. Ἰδοὺ νῦν καιρὸς εὐπρόσδεκτος, ἰδοὺ νῦν ἡμέρα σωτηρίας.

JES. XLIX. 8.

כֹּה אָמַר יְהוָה בְּעֵת רָצוֹן עֲנִיתִיךָ וּבְיוֹם יְשׁוּעָה עֲזַרְתִּיךָ׃

VERSIO LXX.

Οὕτως λέγει κύριος· καιρῷ δεκτῷ ἐπήκουσά σου, καὶ ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας ἐβοήθησά σοι.

§. I.

Conciliatio textus *graeci*, (qui idem eſt apud Paulum & LXX.) cum *hebraeo* haud multum nobis faceſſet negotii, cum ille hunc exacte referat. 1) Exordium Prophetæ: כֹּה אָמַר יְהוָה Paulo ſuppeditavit *formulam allegandi*: λέγει γὰρ· ubi *praedicatum* exprimitur, *ſubjectum* vero ſubintelligitur, ex v. 1. ubi Θεὸς facta eſt mentio, cui nomini in hebræo reſpondet nomen *Jehovah*. 2) בְּעֵת רָצוֹן Paulus cum LXX. reddidit: καιρῷ δεκτῷ. Recte quidem; nam עֵת non modo generatim & vage *tempus* denotat, ſeu χρόνον, ſed etiam ſpeciatim ac determinate *tempus opportunum*, quale græcis ſignificat καιρὸς. Hoc ſenſu & tricies occurrit Coh. III, 1 - 11. & cognatum verbum עָתַת notat *tempeſtive loqui*, Jeſ. L, 4. ac nomen עִתִּי, *tempeſtivus*, *opportunus*, Lev. XVI, 21. רָצוֹן proprie quidem notat, *beneplacitum*, græce εὐδοκία: quia vero, *quod placet*, etiam *acceptum* eſt, recte vertitur δεκτὸν. Conf. Luc. IV, 19. coll. Jes. LXI, 2.

§. II.

3) עֲנִיתִיךָ proprie ſignificat *reſpondi tibi*, quia vero, qui preces alicujus *exaudit*, re vel verbis petenti *reſpondet*, recte עֲנִיתִיךָ vertitur: ἐπήκουσά σου

exaudivi te. 4) וביום ישועה pressé redditum est: ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας· יום videtur hic *strictius* sumendum esse, quam præcedens עת, ut notet, certum quendam temporis *articulum*, qui καιρὸς ἐξοχὴν *dies salutis* dici meretur. ישועה est correlatum רצון, sive hoc vertas *gratiam* & *benevolentiam*, sive *beneplacitum.* Quod ex parte *Dei* est tempus gratiæ seu benevolentiæ ac tempus beneplaciti, id ex parte hominum est dies *salutis*; 5) Hebræo עזרתיך itidem exacte respondet græcum ἐβοήθησά σοι *adjuvi te*, opitulatus sum tibi, h. e. *reapse* ostendi, me *exaudivisse* te: ut ישועה epilasin facit ad רצון in priori hemistichio, ita עזרתיך ad עניתיך: Beneplacitum Dei post se traxit salutem, & exauditio reale auxilium. Hæc sufficere possunt ad vindicias textus.

§. III.

Plus negotii facessit II) *applicatio* Paulina. Monet Apostolus v. 1. Corinthios, ne ita se gerant, ut appareat, frustra se accepisse gratiam Dei, illam &c. de qua C. V, 18. sqq sermo erat, ubi Deus mundum sibi reconciliasse, & ministerium reconciliationis in eo stabilisse dicitur, in quo duplici beneficio *Gratia N. T.* consistit. Huic monito robur jam addit v. 2. allegando oraculum Jes. XLIX. idque mox ad rem præsentem applicando, verbis: *ecce, nunc tempus acceptum, ecce, nunc dies salutis.* Quæstio ergo num citatum dictum revera *tempora N. T.* respiciat, seu, quod idem est, *num applicatio Pauli menti Spiritus S. per Jesaiam loquentis vere consentanea sit?*

§. IV.

GROTIUS & KORTUMIUS cum Judæis ad *Jesaiam* referunt hanc pericopam; unde nata est jejuna hæc paraphrasis Grotiana: *Haec dicit Dominus* Jesaiæ: *In tempore placito exaudivi te*, i. e. in tempore voluntatis, ubi tu voluisti, exaudivi te, pro Ezechia deprecantem, *in die salutis auxiliatus sum tibi, & servavi te*, h. e. effeci, ne quid Assyrii aut Sobna cum sua factione tibi nocere possent. In *Annot.* vero ad N. T. Paulum cum Jesaia sic conciliat: Quod ab Jesaia dictum de salute temporali, mystice ad salutem *aeternam* refert Apostolus. Sed plane mihi persuasum habeo, numquam GROTIUM dilute adeo interpretaturum fuisse hoc oraculum, nisi δηλεία ὑποθέσεως id ipsi imperasset. Perit h. m. (ut alia taceam) omnis concinnitas in sermone Prophetæ. Miscentur enim in eo heterogenea,

genea, salus Hiskiæ, & salus Jesaiæ. Quin tavtologia sic affingitur Prophetæ: Quid enim est secundum Grotium *dies salutis*. quam illud ipsum tempus, *quo Deus ipsi auxiliatus est?* adeoque sensus hic foret: die, quo tibi auxiliatus sum, auxiliatus sum tibi; & quam contorte immediate sequentia: *dedi te in fœdus populi, ut erigas terram, & possideri facias haereditates dissipatas*, sic explicantur: per te renovavi meum cum populo fœdus, ut instaures terram desolatam, i. e. eam facias iterum habitari, Judæis ad tua monita resipiscentibus?

§. V.

Si autem cum *aliis* Interpretibus cogitare hic velis de *populo Judaico* ex captivitate babylonica liberato seu liberando, tum necesse habes, aut totam pericopam inde a v. 1. de ipso accipere, aut eam saltem, quæ incipit v. 7. at priorem hypothesin jam confutavimus ad Allegatum Act. XIII, 47. altera vero, VITRINGA judice, p 573. ea propter admitti nequit, quia α) generatim magnifica illa promissa v. 7. seqq. non possunt impleta demonstrari in liberatione populi Judaici e captivitate babylonica. β) Quia, concesso, quod Christus sit subjectum præced. pericopæ v. 1-6. isque speciatim v. 6. fistatur, ut gratiam suam offerens gentibus, mirus foret Prophetæ regressus ad tempora captivitatis babylonica. Quid? quod γ) omnium minime in populum Judaicum quadrat: dedi te (sc. populum Jud.) in fœdus Populi.

§. VI.

Restat igitur ut statuamus, *tempus beneplaciti & diem salutis* h. l. notare *tempus gratiae*, quod mundo illuxit cum Christo Salvatore mundi, annus *complacentiae Domini* dictum a Propheta nostro C. LXI, 2. coll. Luc. IV, 19. Hoc enim est *tempus* illud, quo Deus gratiam seu benevolentiam suam uberiore modo ac mensura profundere voluit in genus humanum, & quo sibi complacet in hominibus. Joh. VI, 17. Luc. II, 14. Quo ipso tamen haud negamus, speciatim hic innui *illum temporis articulum*, quo Messias ex beneplacito Patris sui operatus est salutem generis humani, cum plena Ejusdem εὐδοκία. Cf. Ps XL, 9. Jesai. XLII, 1. hoc enim *die* cum maxime exaudivit Pater supplicationes filii pro se & hominibus, Hebr V, 7. qualium precum exempla exstant Ps. XXII. & LXIX. quæ ipsæ etiam odæ testantur de earum exauditione Ps. XXII, 25. LXIX. XXX, 31. Cf. Ps. XL, 1. 5. Joh. XII, 28. Licet enim Chri-

ſtus per totam ſuam vitam hoc privilegio gaviſus fuerit, ut nunquam non exaudiretur a Patre, quia nil petiit niſi ex voluntate Patris ſibi perfecte cognita, Joh. II, 4. 2. omnium tamen maxime id obtinuit in lucta ejus extrema. Erat autem exauditionis conſequens reale *auxilium* a Patre ipſi præſtitum; neque enim, qua אֱנוֹשׁ, Pſ. VIII, 5. coll. Hebr. II, 6. 7. in acerrimis tentationibus perſiſtere poterat, niſi omnipotentia divina auxiliatrice ſuffultus. Cf. Jes. XLII, 1. 6. Ab ipſius conſtantia in obſequio pendebat ſalus mundi, Deus autem hunc ſervum ſuum ſuſtentavit, ut vinceret in agone, ac faceret perficeretque voluntatem Patris ad extremam usque lineam, tandemque exclamaret: *Conſummatum eſt!*

§. VII.

Itaque omnia prædicata oraculi noſtri apprime Chriſto conveniunt; ſed *excipiat* quis: utut hoc concedatur, nondum tamen apparere, quo jure Paulus *fidelibus* applicet, quod de Chriſto dictum eſt? Reſpondet α) BENGELIUS, Pater, Meſſiam hic alloquens, omnes in eo fideles ſimul amplexus eſt, cum allocutus ſit Eum, ut Caput corporis ſui myſtici; & VITRINGA huc refert Canonem illum hermenevticum, qui unus eſt e VII. illis *Tichonii Afri*, ſeculi IV. ſcriptoris, ab Auguſtino allatus: de Chriſto & corpore ejus Eccleſia, tanquam *de una perſona*, ſæpius in Scriptura mentio fit, ita ut quædam attributa tantum in Caput, quædam in Corpus tantum competant, quædam vero in utrumque. Cf. VITRINGA p. 579. col. a. init. β) Dici etiam poteſt, Apoſtolum, ut ipſa ejus applicatio doceat in verbis: *ecce nunc tempus beneplaciti, nunc dies ſalutis!* allegato hoc plus haud probare velle, quam quod tempus N. T. ſit tempus gratiæ & ſalutis, id vero ex citato dicto omnino probari poſſe, etiamſi exauditio & auxiliatio ad ipſum ſolum referatur. Tempus, inquit, *gratiae* nunc eſt, (ita enim Deus ipſe apud Jeſaiam appellat) cavete igitur, ne gratiam Dei fruſtra accepiſſe videamini?

CXXI. AL-

CXXI. ALLEGATUM.

2 COR. VI. 16 - 18.

Ὑμεῖς γὰρ ναὸς θεοῦ ἐστε ζῶντος, καθὼς εἶπεν ὁ θεός· Ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω, καὶ ἔσομαι αὐτῶν θεός· καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι λαός· Διὸ ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν καὶ ἀφορίσθητε, λέγει κύριος, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε, κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς. Καὶ ἔσομαι ὑμῖν εἰς πατέρα, καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι εἰς υἱοὺς καὶ θυγατέρας, λέγει κύριος ὁ παντοκράτωρ.

LEV. XXVI. 11. 12.

וְנָתַתִּי מִשְׁכָּנִי בְּתוֹכְכֶם וְלֹא-תִגְעַל נַפְשִׁי אֶתְכֶם׃ וְהִתְהַלַּכְתִּי בְתוֹכְכֶם וְהָיִיתִי לָכֶם לֵאלֹהִים וְאַתֶּם תִּהְיוּ-לִי לְעָם׃

VERSIO LXX.

Καὶ θήσω τὴν διαθήκην (al. σκηνήν) μου ἐν ὑμῖν, καὶ οὐ βδελύξεται ἡ ψυχή μου ὑμᾶς· καὶ ἐμπεριπατήσω ἐν ὑμῖν, καὶ ἔσομαι ὑμῶν θεὸς, καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μου λαός.

JES. LII. 11. 12.

סוּרוּ סוּרוּ צְאוּ מִשָּׁם טָמֵא אַל-תִּגָּעוּ צְאוּ מִתּוֹכָהּ הִבָּרוּ נֹשְׂאֵי כְּלֵי יְהוָה׃ — וּמְאַסִּפְכֶם אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל׃

VERSIO LXX.

Ἀπόστητε, ἀπόστητε, ἐξέλθετε ἐκεῖθεν, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε, ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῆς, ἀφορίσθητε οἱ φέροντες τὰ σκεύη κυρίου. — Καὶ ὁ ἐπισυνάγων ὑμᾶς κύριος ὁ θεὸς Ἰσραήλ.

1 CHRON. XXIX. 6.

כִּי בָחַרְתִּי בוֹ לִי לְבֵן וְאָנִי אֶהְיֶה-לּוֹ לְאָב׃

VERSIO

VERSIO LXX.

Ὅτι ἡρέτικα ἐν αὐτῷ εἶναί με υἱὸν, καγὼ ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα.

§. I.

Allegatum hoc satis prolixum e pluribus V. T. locis contextum esse, nemo non agnoscit; sed quibus præcise locis singulæ ejus partes respondeant, inter Interpretes nondum convenit. Itaque ante omnia 1) inquirendum est, num *sedem allegati* rite fixerimus. 1) Illius verba v. 16. ὅτι ἐνοικήσω — ἔσονταί μοι λαός· BEZA aliique, quorum ERASMUS meminit, ex Ezech. XXXVII, 27. deducunt, ubi Dominus ait: *Et erit habitaculum meum super eis, & ero eis in Deum, & illi mihi erunt in populum.* Verum licet hic locus *quoad rem* omnino parallelus sit, pro sede tamen hujus allegati haberi *nequit;* quoniam in eo nil respondet verbis Pauli: καὶ ἐμπεριπατήσω· quæ e contrario leguntur apud LXX. Lev. XXVI, 12. unde alii hunc quidem Levitici locum haud excludunt, sed tamen alia quoque loca eidem adjungunt. Ita a) WHISTONUS priora quidem verba: ἐνοικήσω· ἐμπεριπατήσω· e Levitico desumta putat, sed reliqua: καὶ ἔσομαι - λαός· ex Jer. XXXI, 1. repetit, ubi sic legimus: *Isto tempore, dicit Dominus, ero in Deum omnibus familiis Israel, & ipsi erunt mihi in populum.* Sed α) præter necessitatem hic locus in partes vocatur, cum verba quæstionis in Levitico quoque exstent; β) magis adhuc quadrat locus Levitici, ubi nulla fit mentio *familiarum* Israelis. b) MARLORATUS tria loca in subsidium vocat, ἐνοικησω repetens ex Ezech. XLIII, 7. & 9. *habitabo ibi in medio filiorum Isr. in aeternum*, ἐμπεριπατήσω ex Lev. XXVI, 12. & ἔσομαι αὐτῶν Θεὸς κ. τ. λ. ex Ezech. XXXVII, 27. Verum utut hæc loca omnia revera sint parallela, uterque tamen Ezechielis locus præter rem huc advocatur, cum locus Levitici non modo eadem habeat, quæ illi, sed etiam id, quod isti non habent, sc. τὸ *inambulabo.* Parallelismus realis non est ratio sufficiens, ut locum aliquem pro sede hujus illiusve allegati habeamus; sed præter illum requiritur, ut eadem quoque verba, & quidem quam plenissime, exhibeat. Unde iis merito accedimus, qui verba allegati supra memorata ex *Lev. XXVI, 11. 12.* petita censent. 2) Verba autem v. 17. in nostro textu paulino vix est, qui aliunde, quam ex Jesai. LII, 11. 12. depromta esse existimet. Utriusque autem textus hebræi convenientiam cum græco mox docebimus.

§. II.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0232
DFG

§. II.

3) Ultima verba: καὶ ἔσομαι ὑμῖν — fin. GROTIUS desumta putat ex *hymno* aliquo celebri apud Hebræos; sed nullo hæc conjectura fundamento nititur, nec ad fontes ejusmodi ignotos confugiendum est, quamdiu spes supereſt, in ipso sacro fonte dictum aliquod reperiendi. Alii quærunt illa Jer. *XXXI. 1.* sed hic locus magis respondet verbis comm. 16. *Ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*: unde & WHISTONUM illa in Jeremia quærere supra audivimus. Hinc GROTIUS ex eodem Cap. XXXI. Jer. magis huc quadrare censet v. 9. *ero Israeli in Patrem, & Ephraim primogenitus meus est.* SURENHUSIUS in *B. K. p. 559. seq.* utrumque versum simul respici existimat. Ac sane relationem istam, quæ est inter *Deum & populum* suum, simul involvere relationem, quæ est inter *Patrem & Filios*, vel ideo negari *nequit*, quia c. l. v. 1. & 9. utraque relatio promiscue ponitur; unde & sunt, quibus Apostolus generatim omnes istas promissiones respicere videtur, ubi Deus se Deum Israelis, huncque populum suum fore declarat. Sed cum reliqua allegati verba e certis quibusdam V. T. locis deprompta sint, hæc quoque certum aliquem locum respicere, non est quod dubites. Atque hunc TH. AQUINAS reperisse sibi visus est. 2 Sam. VII. 14. Quia vero Hebr. I. 5. locus hic de Christo exponitur, BENGELIO potius respici videtur locus *1 Chron. XXIX. 6.* ita quidem, ut Paulum promissionem Salomoni datam ad omnes fideles applicare censeat; nos utrumque locum conjungimus.

§. III.

His de sede allegati præmissis, pergimus II) ad *conciliationem* textus *graeci* cum *textibus hebraicis*, & quidem 1) commatis 16ti cum textu *Lev XXVI. 11. 12.* A) Verba hebræa: וְנָתַתִּי מִשְׁכָּנִי בְּתוֹכְכֶם, LXX presse reddiderunt: Θήσω τὴν σκηνήν μου ἐν ὑμῖν· Brevius autem Paulus: ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς· consequens ponens pro antecedente, h. e habitationem ipsam pro constitutione tabernaculi, & personam secundam convertens in tertiam, salvo in summa rei oraculi sensu. B) Verba: וְלֹא־תִגְעַל נַפְשִׁי אֶתְכֶם, omisit Paulus, *compendii* gratia, id quod etiam eo minus ipsi vitio vertendum est, quod a) præcedens propositio *affirmans* hanc *negantem* jam involvit, & b) hæc ipsa *negatio fastidii* pro futuro procul dubio respicit ad antegressa specimina fastidii divini; quæ *christianis* corinthiis in memoriam jam revocare, ad scopum Apostoli haud faciebat. C) וְהִתְהַלַּכְתִּי בְתוֹכְכֶם

optime LXX. reddiderunt : καὶ ἐμπεριπατήσω ἐν ὑμῖν, quos & Paulus sequitur: nisi quod apud hunc ex antecc. subaudiendum est ἐν αὐτοῖς. Verbum הָלַךְ in *Hitpael* non simpliciter *ire* significat seu *ambulare*, sed idem valet, quod in latino frequentativum *itare*, *versari*, *continenter* seu *indesinenter ambulare*, *obambulare*; adeoque notat ingens Dei studium, *praesentiam* suam, quam designat τὸ *inhabitare*, continuis *operationibus* gratiæ suæ demonstrandi. Conf. הֲלִיכוֹת, incessus Dei in sanctuario Ps. LXVIII. 25. D) Verba: וְהָיִיתִי – לְעָם, LXX. presse interpretati sunt: καὶ ἔσομαι ὑμῶν Θεὸς, καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαός; Hebraismum, ero *vobis in Deum*, eritis *mihi in populum*, reddentes Græcismo: ero *vester Deus*, eritis *meus populus*. Paulus hic iterum pronomini secundæ personæ substituit pronomen personæ tertiæ.

§. IV.

Sequitur in textu Paulino 2) allegatum ex Jes. *LII. 11. 12.* ubi A) particula illativa διὸ, quæ Pauli est, dictum hoc Jesaianum priori Mosaico subnectitur ut consequens suo antecedenti: nam ex eo, quod Deus fideles dignatur inhabitare ut templum suum, infert Paulus, abstinendum esse iisdem ab omni communione cum idolis. B) Quæ in textu hebræo sequuntur, ita in nervum contrahit Paulus, ut verba *prima & ultima omittat*, *intermedia vero transponat* & nonnihil etiam in iis *mutet*. Omittit α) verba initialia: סוּרוּ סוּרוּ צְאוּ מִשָּׁם, *recedite, recedite, exite illinc*, quia idem dicunt verba in medio, צְאוּ מִתּוֹכָהּ הִבָּרוּ, ubi per chiasmum universum צְאוּ מִתּוֹכָהּ respondet τῷ צְאוּ מִשָּׁם & הִבָּרוּ τῷ סוּרוּ סוּרוּ. Quoad *prius* res est manifesta, cum utrumque צְאוּ aperte se mutuo respiciat; הִבָּרוּ vero reapse idem esse cum סוּרוּ, inde patet, quod הִבָּרוּ geminam fert interpretationem, & non modo reddi potest καθαρίσθητε, *purificamini*, ut HIERONYMUS vertit, nec non LUTHERUS; sed etiam ἀφορίσθητε, *separamini*, ut Paulus cum LXX. consentiente *Arabe*, & *Syro*, qui vertit, *sequestrate vos*, ac *Chaldaeo*, qui reddit, *electi estote*. Utrumque sane latet in potestate vocis בָּרַר, & belle convenit contextui hujus loci, ac rei ipsi, de qua agitur; cognata sunt, *purificare* se & *separare*; nulla enim purificatio fit nisi per separationem ejus, quod inquinat. Cum itaque τὸ הִבָּרוּ separationem, quam verbum סוּרוּ indigitat, in se jam involvat, & magis adhuc græcum ἀφορίσθητε, a LXX. adhibitum, hanc notionem referat; recte omnino Paulus uno verbo ἀφορίσθητε & significationem epi zevxeos illius, סוּרוּ, סוּרוּ, & notionem verbi הִבָּרוּ complexus est. Sapien-

pienter etiam duo posteriora tantum membra, צְאוּ מִתּוֹכָהּ הִבָּרוּ, retinuit, omissis prioribus, סוּרוּ סוּרוּ צְאוּ מִשָּׁם quoniam illa plus dicunt; nam צְאוּ מִתּוֹכָהּ notat sublationem communionis *internae*, (v. VITRINGA p. 650. b.) & הִבָּרוּ separationem cum *purificatione* conjunctam.

§. V.

β) Altera *omissio* facta est circa *ultima* verba v. 11. נֹשְׂאֵי כְלֵי יְהוָה *portentes vasa Domini*. Cum enim Apostolus monitum Prophetæ *generatim* ad omnes Christianos applicare vellet, non poterat non omittere determinationem illam specialiorem ad sacerdotes & levitas, quorum erat *portare vasa sanctuarii*, arcam, v. g. Jos. III. 6. & reliqua vasa sacra tegumentis suis involuta. Num. I. 50. IV. 15. sqq. X. 21. Quid? quod contextus hanc omissionem omnino postulaverit, cum in eo Christiani considerentur non tam ut portantes vasa templi, quam ut ipsissima Dei templa; licet cetera illud ipsum attributum, generalius sumtum, omnibus Christianis conveniat, tanquam sacerdotibus ac levitis spiritualibus, Deo & cultui Ejus consecratis, & in hunc usum purificatis. Cf. 1 Petr. II. 5. 9. Hæc de *omissis* a Paulo.

§. VI.

Quod jam b) ad *transpositionem* spectat, quæ in verbis ipsius cum textu hebr. collatis observatur, quando nimirum verba: ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν, καὶ ἀφορίσθητε, verbis, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε præmittit, cum tamen in hebræo verba צְאוּ מִתּוֹכָהּ הִבָּרוּ sequantur demum illa: טָמֵא אַל־תִּגָּעוּ: etiam hæc non sine ratione sufficiente facta est. Docere scilicet h. m. voluit, quod sub verbis ἐξέλθετε - ἀφορίσθητε etiam ea, quæ monitum: *immundum ne attingite*, præcedunt, comprehensa censeri debeant. Superest c) pronominis singularis *mutatio* in plurale, quando מִתּוֹכָהּ e medio *ejus* Apostolus convertit: ἐκ μέσου αὐτῶν, e medio *illorum*. Cui rei iterum nil subest vitii: quod enim Propheta de *Babylone* dicit, (Cf. Apoc. XVIII. 4.) id Apostolus recte generatim enunciat de *gentilibus*, quos v. 14. ἀπίστους dixerat.

§. VII.

Si jam C) quæratur, quibus apud Prophetam verbis respondeant illa Pauli: κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς? VITRINGA quidem c. l. existimat, a

Paulo per compendium sic exprimi totam illam clausulam comm. 12. כִּי – הוֹלֵךְ לִפְנֵיכֶם יְהוָה וּמְאַסִּפְכֶם אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל *quia Jehovah vos antecedens, & Deus Israelis cogens vos*, sc. *est*, quod omne nil aliud dicat, quam: *Ego susci-piam vos in defensionem meam.* Sed malim ego cum GROTIO dicere, Paulum verbo εἰσδέξομαι speciatim respexisse ad hebræum מְאַסִּפְכֶם; אָסַף est πολύσημον, nec *colligere* tantum significat, sed etiam *recipere*, e. g. *jumentum vagabundum recipere in domum*, Deut. XXII. 2. *uxorem aliquam assumere in domum*, 2 Sam. XI. 27. *homicidam fugitivum recipere in asylum* Jos. XX. 4. & *viatorem in diversorium*, Judic. XIX. 15. unde & LXX. plerumque quidem reddunt: συνάγειν, ἐπισυνάγειν, uti & h. l. לְאַסִּפְכֶם ipsis est ὁ ἐπισυνάγων ὑμᾶς; sed etiam προσλαμβάνειν, ut v. g. Ps. XXVII. 10. προσλαμβάνειν vero & εἰσδέχεσθαι sunt synonyma. Quin & verbum קָבַץ, quod pariter significat *colligere*, LXX. aliquoties hoc ipso verbo εἰσδέχομαι interpretati sunt. Ezech. XX. 41. Zeph. III. 19. 20. vid. nota BENGELII in Gn. ad h. l. Haud negamus, schema orationis apud Jesaiam hunc maxime significatum poscere, quo מְאַסֵּף est vox militaris, denotans eum, qui *agmen claudit*, ut Num. X. 25. Jos. VI. 9. 13. respondet enim מְאַסֵּף הוֹלֵךְ לִפְנֵיכֶם תָּמִיד, ita ut Deus hic sistatur tanquam Dux populi sui, ejusque prima quasi & extrema acies. Cf. simile schema orationis Jes. LVIII. 8. Quatenus erga Propheta exitum e Babylone confert cum eductione ex Ægypto, minus sane quadrare videtur versio per εἰσδέξομαι, saltem aliena esse a schemate orationis propheticæ. Quia tamen hoc ipsum schema ab instituto Apostoli alienum erat, ut qui mox v. 18. locuturus erat de adoptione in filios & filias; recte sermonem Prophetæ inflexit ad institutum suum, &, cum מְאַסֵּף, ut supra ostensum est, interpretationem per εἰσδέξομαι omnino ferret, ex ipso etiam usu helleniſtico τῶν LXX. scite illud sic vertit, ut notet *receptionem in domum & familiam*, *seu assumtionem in filios & filias*, de qua mox in allegato v. 18. sermo est.

§. VIII.

Id quod jam 3) attentionem nostram meretur in conciliatione textus græci cum hebræo. Supra diximus, videri nobis illud depromtum esse ex *1 Chron. XXIX. 6.* seu secundum textum hebr. Cap. XXVIII. 6. ubi Davides Deum sibi dixisse ait, quod elegerit *sibi* Salomonem in *filium*, & ipse futurus sit *illi in Patrem*: כִּי בְחַרְתִּי בוֹ לִי לְבֵן וַאֲנִי אֶהְיֶה לוֹ לְאָב quæ ipsa promissio etiam occurrit *2 Sam. VII. 14.* sed cum prospectu per Salomo-

lomonem in Christum, ejus antitypum, cui ista applicatur Hebr. I 5. Jam palpabilis quidem est discrepantia inter textum paulinum & hebræum, cum in isto præmittatur *relatio* Dei erga fideles tanquam *Patris* erga filios, & præter filios etiam *filiarum* mentio fiat. Sed cum eadem difficultas etiam locum Jer. XXXI. 1. 9 premat, hactenus nil est, quod locum hunc alteri isti e Libro Chron. præferre jubeat Hic sane præ omnibus aliis relationem inter patrem & filios disertissima exprimit. Quod autem Apostolus *filiarum* quoque mentionem facit, hæc subest ratio, quod promissionem Salomoni datam sistere voluit ut ad omnes fideles pertinentem, cum in Christo nec mas sit nec fœmina, sed omnes eodem adoptionis jure in ipso gaudeant, Gal. III. 26. 28. Quid? quod in ipso V. T. jam distincta passim mentio fiat *filiorum* & *filiarum*, Jesai. XLIII. 6 LX. 4. Atque sic nil jam in textu supereſt, nisi formula citandi a Paulo adjecta: λέγει κύριος παντοκράτωρ. Quum dictum V. T. allegat, etiam stilo V. T. de Deo loquitur; in hoc enim vocabula יְהוָה צְבָאוֹת & hac voce a LXX. exprimi solent. Hæc est altera pars Tractationis nostræ!

§. IX.

Sequitur *tertia* de *applicatione* apostolica trium horum dictorum. Dixerat Paulus init. v. 16. christianos *esse templum Dei viventis*, adeoque oportere illos se puros servare a communione cum idolis. Jam dicto V. T. *primo v. 16.* probat, *christianos esse templum Dei*, ex Lev. XXVI. *deinde* alio dicto v. 17. firmat assertum: *christianis*, quia sint templum Dei, *nullam debere communionem esse cum idolis*, ex Jesai. LII. cui dicto v. 18. aliud adhuc subjungit, magnam continens promissionem, quæ apud christianos eo valere debeat, ut sanctimoniæ studeant. Dispiciamus igitur 1) num Apostolus recte applicaverit dictum *e Levitico?* A) in *Siphra* Rabbini h. l. exponunt de *seculo futuro*, seu *vita aeterna*. Futurum est, inquiunt, ut amabulet Deus benedictus cum justis in horto Eden in futuro seculo. Si autem locus de vita æterna loquitur, Paulus eum de tempore gratiæ contra scopum accipit. Sed per saltum hic cogitatur de altera vita: uti in præcc. de felicitate hujus vitæ sermo est, ita & nostra verba de felicitate quadam spirituali hujus vitæ intelligenda sunt; & qui considerat, quod Deus dicat: *non abominabitur vos anima mea*, & simul, quod in beatos non cadat peccatum, facile agnoscet, quod hæc frustra dicerentur, si de vita æterna sermo esset. Perfectum hujus promissionis complementum in altera demum vita locum habebit, Apoc. XXI. 3. sed inchoatum huic

jam vitæ competit. *Glorioſam* Dei inhabitationem in eccleſia triumphante præcedit *gratioſa* in militante, de qua *Paulus* loquitur.

§. X.

An autem etiam B) *Moſes?* Ratio dubitandi hæc eſt, quod Moſes loqui tantum videretur *de habitaculo Dei inter Iſraelitas in tentorio conventus* ac poſtmodum in *templo Hieroſolymitano.* Jam a) CLERICUS quidem in Comm ad Levit. p. 323. plane negat, Moſen alludere ad tabernaculum conventus, ſed phraſi illum uti exiſtimat *ex Scenitarum* moribus, qui diutiſſime tendebant in locis, quæ amœniſſima videbantur, adeoque maxime omnium placebant. Sed a) ſimile a Scenitis deſumtum non exhaurit intentionem Dei in magnifico hoc promiſſo. Illis arbitrarium erat, quando & quorſum tuguria ſua movere ac transferre vellent, quæ erant tam mobilia quam voluntas ipſorum: Id vero Deus non vult docere h. l. quod pro lubitu eos deſerere velit, cum ipſi placuerit; ſed potius gratioſa hac promiſſione id intendit, ut fideles credant, Deum numquam a ſe receſſurum eſſe; β) cum Paulus ex h. l. Levitici probet, fideles eſſe *templum Dei*, vix dubitare licet, eum verba Moſis intellexiſſe de habitaculo Dei in medio Iſraelitarum, ſcilicet tentorio conventus & templo. Nec tamen hinc b) ſequitur, Paulum minus appoſite dictum Moſis applicaſſe, ad gratioſam Dei cum Eccleſia chriſtiana omniumque chriſtianorum cordibus inhabitationem: α) enim quod veteri Iſraeli promiſſum fuit bonum ſpirituale, vel maxime etiam ad chriſtianos, Iſraelem ſecundum ſpiritum, pertinet; & β) a templo V. T. ad templum ſpirituale N. T. concludere, quid aliud eſt, quam concludere a typo ad antitypum?

§. XI.

Quod jam C) ad *rem ipſam* attinet, a) veris Iſraelitis heic promittitur verbo *inhabitare* præſentia Dei gratioſa & perpetua in medio ipſorum, h. e. non modo inter ipſos, in tota Eccleſia, ſed etiam in ipſis, & ſingulorum cordibus; verbo *inambulare* vero æque gratioſa & perpetua *operatio* divina, ubique & omni modo ſe exſerens, cum effectu ſanctificationis noſtræ ſubinde perfectioris. Cui promiſſioni b) mox alia ſubjicitur, neceſſario nexu cum priori cohærens: *Ero vobis in Deum. & vos eritis mihi in populum* quo ipſo declaratur, talem in præcc. intelligendam eſſe inhabitationem, quæ Deum plane faciat *noſtrum Deum*, nosque

que ipsius *populum*, h. e. Ipsum nobis & nos ipsi arctissimo fœdere jungat; hæc enim est summa fœderis gratiæ, ut Deus sit noster Deus, nosque Illius populus. Exod. VI. 7. Hebr. VIII. 10. coll. Jer. XXXI. 31. unde & annexum hoc documento nobis est, inhabitationem Dei ante memoratam non hanc modo gratiam involvere, ut cultus Dei externus in populo Ejus vigeat, sed omnia omnino beneficia fœderis gratiæ secum ferre.

§. XII.

Pergimus 2) ad *vindicias applicationis* allegati ex *Jesaia*? Investigandus hic A) *scopus Jesaiae*. Alloquitur Propheta populum Dei in communione alicujus populi impuri adhuc constitutum; & ab hoc populo ejusque communione separare se illum jubet, & rite purificatum illinc exire, duce ac protectore Deo. In hoc omnes consentiunt. Sed dissensus est circa *populum*, in cujus communione populus Dei fuisse concipitur, & e cujus communione ipsi exeundum erat. a) Multi Interpretes *exitum Populi Dei e Babylone* hic describi putant; CALVINUS præcipue, qui ad h. l. eleganter sic commentatur: *Judaei ante liberationis tempus importuna abeundi cupiditate flagrabant; ubi vero exilii tempora impleta sunt, elanguerant diuturna mora, omnemque redeundi & spem & voluntatem abjecerant. Permiscuerant se Babyloniis, quorum consuetudine illecti & corrupti patriam suam negligebant. Excitari igitur ipsos & torporem excuti necesse erat. Haec enim est carnalium hominum stupiditas, ut, instar pecudum, stabulum, igne licet correptum, deserere nolint.* Hac ratione parallela forent loca Jes. XLVIII. 20. Jer. L. 8. Sed recte VITRINGA objicit, α) nullam hic fieri mentionem *Babylonis*, neque in toto hoc sermone, ut ipse ABEN ESRA, Interpres alias satis γραμματικὸς, recte moneat; imo nullam amplius occurrere *Babel* in hoc libro usque ad ejus finem. Et si vates hic locutus esset de *Babylone*, videri omnino eum id disertius expositurum fuisse, ut v. g. c. l. C. XLVIII. 20. β) urget cum maxime, non cohærere hanc interpretationem cum *antecedente* & *consequente* contextu; In *praecedd.* enim inde a v. 6-10. jam luculenter descriptum esse regnum Dei, ejusque præcones, Apostolos & Evangelistas; in seqq. autem v. 13. ac deinceps exitum hunc aperte referri ad *gloriosum Messiae statum*; γ) Ipsos Interpretes judæos, excepto MOSE *Haccohen*, ulterius prospexisse, sc. ad liberationem gentis *e praesenti exilio*, & per loca, unde sit exeundum, intelligere qualiacunque loca, in quibus, sparsi per gentes, sedes suas fixerint. Huc usque laudatus Auctor plane nos habet consentientes. Quum autem

b)

b) idem post alios, HIERONYMUM v.g. CYRILLUM, PROCOPIUM, HESYCHIUM, JUNIUM, FORERIUM, per *locum unde* intelligit *Hierosolymam corruptam*, & *pollutam*, v. 5. hujus cap. descriptam, e qua, cum pertinaciter in incredulitate sua persisteret, præcones Evangelii populum Dei *exire* jusserint; Act. II. 40. XXVI. 17. &c. coll. Hos. II. 2. Matth. XXIV. 16. in eo falli mihi videtur, quia Paulus aperte (ipso VITRINGA id fatente p. 652. a.) loco hoc Jesaiano utitur ad dehortandos Corinthios a familiari commercio cum *paganis*, speciatim a connubiis infidelium, & a conviviis illorum idololatricis, v. 14. cui scopo sane minus inserviisset locus de fugienda communione cum Judaismo. Dicit quidem *Vitringa*, Paulum Jesaiæ verba, sensu spirituali accepta, in usum commodumque suum vertere, & ex iis colligere *doctrinam generalem*, quam illa tanquam basin supponant, sc. populo, a Christo redemto, sive inter Judæos sive inter paganos versaretur, exeundum esse ex communione eorum, qui Christum abnegant, & abstinendum omni immunditie spirituali: sed quid opus est huc confugere, cum nulla nos urgeat necessitas, locum Jesaiæ de fugiendo Judaismo accipiendi. Forte igitur c) cum aliis, e. g. cum MICHAELIS in B H. utrumque conjungendum est, dicendumque, continere hoc dictum exhortationem præconum N. T. de fugiendo tam *Judaismo* quam *Gentilismo*.

§. XIII.

Fateor, hanc sententiam vero proxime accedere; sed malim tamen de *solo Gentilismo* hic cogitare; quia α) exhortatio hæc ejusmodi concepta est verbis ac phrasibus, quibus manifeste (ut rursum ipse VITRINGA agnoscit p. 649. b. in fine) alluditur ad exitum Israelitarum ex *Ægypto* aut *Babylone*, adeoque ex consortio gentilium, & β) Paulus h. l. fugam impuri Judaismi una cum fuga gentilismi urgere dici nequit; quem vero Interpretem fide digniorem audire possumus, quam Paulum? Nostra ergo sententia d) Jesaias h. l. repræsentat Apostolos & reliquos præcones Evangelii (de quorum *inter gentes* præconio immediate antea v. 10. locutus erat) prout populum Dei, h. e credentes e Judæis & gentilibus, excitaturi erant ad deserendam omnique studio fugiendam communionem cum Gentilismo, ita ut mundum hunc immundum non alio habeant loco, quam veteres Israelitæ quondam *Ægyptum* & *Babylonem*. Quo pacto sane Apostolus dictum hoc tam appositе & plane ad mentem spiritus prophetiæ allegavit, quam quod maxime.

§. XIV.

§. XIV.

Dabimus nunc B) *sensum* allegati ex mente Prophetæ & Apostoli: סורו, סורו, ἀπόστητε, ἀπόστητε, i. e. sancta beataque *apostasia*, deserite communionem cum gentilismo; *exite illinc* quasi ex Ægypto & Babylone spirituali; *separate vos* & *exite primo* per separationem & exitum *spiritualem*, ut communionem cum erroribus & peccatis gentilium toto animo detestemini ac refugiatis; *deinde* per separationem *ecclesiasticam*, ut privos inter vos cœtus faciatis, & ecclesiam Christi in medio gentilismo constituatis, & *denique* per separationem *civilem* quoque & *corporalem*, ut, si opus sit, omnia propter Christum relinquentes, alibi locorum liberum christianæ religionis exercitium quæratis. טָמֵא אַל־תִּגָּעוּ, seu, ut Paulus reddidit, ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε, *immundum ne attingite*, sive immundum, in *masculino*, h. e. impurum *hominem*, ut BENGELIUS vult, conferens huc v. 1. hujus Cap. sive immundum in *neutro*, h. e. *rem* impuram; certum est, alludi ad leges mosaicas de fugiendo tactu aut usu personarum ac rerum immundarum. *Res* vero, quæ hac phrasi significatur, extat v. 1. Cap. VII. *purificemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus. Exite e medio* impuri gentilismi, הִבָּרוּ, *purificate vos*, ἀφορίσθητε, *separate vos*, ut נֹשְׂאֵי כְלֵי יְהוָה, *gestantes vasa Jehovae*, h. e. ut Sacerdotes & Levitæ spirituales; κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς, *& ego suscipiam vos*, scilicet in domum & familiam meam, tanquam מְאַסִּפְכֶם, *collector vester*, usque quaque in tuto vos collocans.

§. XV.

Restant 3) vindiciæ applicationis allegati ex 2 *Sam. VII. 14.* coll. 2 *Chron. XXIX. 6.* Si cum BENGELIO locum *Chronicorum* solum respici putemus, nihilominus recte Apostolus promissiouem *Salomoni* datam *omnibus fidelibus* communem fecit, quia *jus adoptionis* tam late patet, quam *fides*. Si autem illi adjungamus locum 2 *Sam. VII. 14.* huicque *Hebr. I. 5.* cum nota BENGELII, ipsa illa Salomonis & Christi in una eademque promissione conjunctio nos monere poterit de vero *adoptionis* nostræ *fundamento*, quod est nostra conjunctio cum Christo per fidem, Joh. I 12. Gal. III. 26. Ceterum observanda adhuc est *gradatio* inter promissionem v. 16 ero illorum *Deus*, & ipsi erunt mihi in *populum*, ac promissionem v. 18. ero vobis in *patrem*, vosque mihi eritis in *filios & filias*. Qualis etiam *gradatio* occurrit Jer. XXXI. 1. & 9. Apoc. XXI. 3. & 7.

CXXII. ALLEGATUM.

2 COR. VIII. 15.

Καθὼς γέγραπται· ὁ τὸ πολὺ, οὐκ ἐπλεόνασε· καὶ ὁ τὸ ὀλίγον, οὐκ ἠλαττόνησε.

EXOD. XVI. 18.

וְלֹא הֶעְדִּיף הַמַּרְבֶּה וְהַמַּמְעִיט לֹא הֶחְסִיר׃

VERSIO LXX.

Οὐκ ἐπλεόνασεν ᾧ τὸ πολὺ, καὶ ᾧ τὸ ὀλίγον, οὐκ ἠλαττόνησεν.

§. I.

Conferendus hic I) textus *graecus* cum *hebraeo*. 1) לֹא הֶעְדִּיף LXX. & Paulus reddiderunt: οὐκ ἐπλεόνασε· Recte quidem, nam הֶעְדִּיף, significat *abundavit*; idem vero etiam verbi πλεονάζω significatus est, ut *intranſitive* notet *abundare*, aut magis proprie, quia a πλεόν, *plus*, deſcendit, *plus habere*, licet etiam *tranſitive* significet, *abundare facere*, 1 Theſſ. III. 12. 2) הַמַּרְבֶּה, quod proprie ſonat *multiplicans*, LXX. & Paulus verterunt: ὁ τὸ πολὺ· [a]) quæ locutio ſine dubio *elliptica* eſt, & ſupplenda verbo συλλέγων, *colligens*; quod apud LXX. hoc ipſo v. 18. in fine legitur. 3) וְהַמַּמְעִיט, *parum faciens*, Paulus cum LXX. interpretatus eſt: ὁ τὸ ὀλίγον, ubi rurſus ſub audiendum: συλλέγων aut συλλέξας. Similis ellipſis vid. Num. XXXV. 8. ἀπὸ τῶν τὰ πολλὰ, πολλὰ; 4) לֹא הֶחְסִיר, *ei non deerat*, optime exprimitur per ἠλαττόνησε, *non minus habebat*.

§. II.

Atque ſic opera conciliationis utriusque textus facile defuncti ſumus. Quod jam II) ad *applicationem apoſtolicam* ſpectat, 1) judicium de illa

a) Diverſa quidem eſt lectio Verſionis LXX & Pauli, uti illam ex Edit. Breitingeriana dedimus; verum & hæc alteram paulinam, ut variantem, notavit. Utriusque conſtructio elliptica æque facile ſuppletur.

illa ferri nequit, nisi investigato prius *scopo*, quo Paulus dictum hoc allegavit. Hortatur *v.* 14 ditiores in Ecclesia, ut ex sua *abundantia* succurrant pauperum *inopiae*, atque sic ἰσότης, *aequalitas* quædam obtineatur. Quemadmodum Deus quoque talem ἰσότητα observari voluerit in dispensatione Mannæ; ut, qui multum collegerat, non haberet plus, & qui parum, non haberet minus. Res ita se habebat: colligebant omnes, quantum poterant, alii plus alii minus. Quæ autem collecta erant ab omnibus, qui sub eodem tabernaculo degebant, illa omnia in unum acervum videntur fuisse congesta, ex quo paterfamilias, sumta mensura destinata, scilicet Homer, unicuique portionem suam ita erogabat, ut ratio non haberetur laboris insumti vel diligentiæ, sed ordinationis divinæ, ita ut cuique *aequalis portio* distribueretur. Jam hoc exemplum Corinthiis ad animum revocat Paulus, ut ex eo colligant quemadmodum Deus olim voluerit inter Israelitas eos, qui plurimum collegerant Mannæ, supplere illorum defectum, qui minus collegerant, ut fieret æqualitas; sic æquum esse, inter christianos, ut ii, qui Dei munificentia copiam bonorum possident, succurrant inopiæ eorum, quibus minus prospectum est.

§. III.

Quærere autem 2) nunc porro liceat, an solummodo illustrationis gratia exemplum hoc Paulus adduxerit, an revera *vis* aliqua *probandi* eidem insit? Resp. *Exemplum* adductum per se nil probat, sed solummodo *illustrat*: quatenus vero illud generatim in eo fundamentum suum habet, quod Deus ἰσότητα inter suos amat, recte hinc Apostolus, & quidem *a minori ad majus*, concludit, Deum multo magis adhuc velle, ut inter christianos similis vigeat ἰσότης, & unius *copia* alterius inopiæ succurrat. Licet ergo, inquit SCHOMERUS ad h. l. nulla in loco Mosis regula morum exstet, præbet tamen exemplum dispositionis divinæ, quod fraternus christianorum amor imitari debet. Argumentatur Apostolus ab historia ad rem aliam, ob rationem generalem, cui utraque innititur. Pulchre Deus hoc suo instituto in veteri Israele adumbravit *communionem sanctorum*, quæ extantior merito & perfectior est in Ecclesia christiana.

CXXIII. ALLEGATVM.

2 COR. IX. 9.

Καθὼς γέγραπται· Ἐσκόρπισεν, ἔδωκε τοῖς πένησιν, ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα.

PSALM. CXII. 9.

פִּזַּר נָתַן לָאֶבְיוֹנִים צִדְקָתוֹ עֹמֶדֶת לָעַד׃

VERSIO LXX.

Ἐσκόρπισεν, ἔδωκε τοῖς πένησιν· ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα.

§. I.

Textum utrumque *conferentes*, tam exactam inter utrumque convenientiam deprehendimus, ut conciliationis negotio supersedere possimus. Plane etiam Paulus suam hic fecit versionem LXX. quoniam hæc hebræa accuratissime reddidit, adeo quidem, ut *asyndeton* quoque inter duo verba initialia haud neglexerit. Interim tamen ad singula verba observasse nonnulla juvabit.

§. II.

1) Cum textus noster *ex meris praedicatis* constet, *subjectum* vero ex antecc. subaudiri debeat, quæritur quodnam illud sit? Quod A) textum *hebraeum* attinet, *subjectum* repetendum est e *v. 6.* ubi צַדִּיק vocatur, ad quem pertinent sequentia prædicata. Idem vero *v. 5.* etiam appellatur חוֹנֵן, *misericors*, v. 4. & 2. יָשָׁר, rectus, & v. 1. יְרֵא אֶת — יְהוָה בְּמִצְוֹתָיו חָפֵץ מְאֹד, *timens Jehovam, & mandata ejus in deliciis habens valde. v. 6.* צַדִּיק totum characterem subjecti *simul* ac *plene* exhibet: nam vox hæc tam *justum* in genere, quam speciatim *beneficum* denotat: *divisim* vero & per partes subjectum describitur in præcc. *v. 5.* voce *misericors*, v. 4. & 2. voce *rectus*, & v. 1. hac periphrasi: *timens Jehovam* &c. Jam videri quidem posset subjectum proprie ac unice quærendum esse in צַדִּיק v. 6. quatenus *benefi-*

cum

cum notat, vel potius in חנון, *misericors*, v. 6. quia hi characteres subjecti prædicata v. 9. proxime præcedunt, hæcque cum illis etiam in se proxime cohærent: verum, quia quis potest beneficus ac misericors esse, solo naturæ mitioris beneficio, non ex genuinis pietatis principiis & scopo etiam minus puro, recte ex toto contextu præcedente sumitur notio subjecti.

§. III.

2) Verbum hebræum פִּזַּר & græcum ἐσκόρπισε pertinet ad metaphoram v. 6. jam cœptam, & v. 10. continuatam, ubi *beneficus* sistitur ut *seminans* opes suas. Gal. VI. 7. 8. *Spargere* autem hic significat, *eleemosynas largiter erogare*, non parce, quod pusilli animi est, metuentisque inopiam, nec satis Dei bonitati fidentis, aut contemtum rerum terrenarum haud capientis. Prov. XI. 24. ubi מְפַזֵּר, *spargens*, liberaliter scilicet & חֹשֵׂךְ מִישֹׁר *plus aequo subtrahens, aut cohibens, quae spargi debebant*, h. e. tenax, sibi invicem opponuntur. Seminat etiam, qui φειδομένως, parce feminat, v. 6. sed non σκορπίζει, *spargit*, quod verbum, ut BENGELIUS ad h. l. observat, *generosum* quid sonat, *spargere* scilicet plena manu & sine anxia cogitatione, quorsum singula grana cadant. 3) חָנַן לָאֶבְיוֹנִים, ἔδωκε τοῖς πένησιν, per *asyndeton* priori verbo *metaphorico* subjicitur, quia idem, & propriis quidem verbis, nunc exprimitur, quod illo indigitatum fuit. GEIERUS ad h. l. præterea observat, prius verbum *adverbialiter* reddi posse, ut *sparsit*, *dedit*, idem sit ac *sparsim*, pro *fuse dedit*. Cf. GLASSII *Ph. S. p. 858.* 4) צִדְקָתוֹ, ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ, vel a) *generalius* accipi potest, de sincero studio se & vitam suam plane ad voluntatem divinam componendi, quo pacto & *pietatem* erga *Deum* v. 1. & *amorem proximi* v. 5. 9. complecteretur, verbo, *rectitudinem cordis ac vitae*, a qua v. 2. & 4. יְשָׁרִים, *recti*, appellantur fideles; atque hoc sensu laxiore צְדָקָה sumi videtur v. 3. & צַדִּיק v. 6. vel b) *speciatim* de *beneficentia* erga pauperes, qui significatus apprime congruit tam *praecedentibus*, init. v. 9. *sparsit, dedit pauperibus*, quam *consequentibus* v. 10. ubi *opera charitatis* vocantur γεννήματα δικαιοσύνης, *fructus justitiae*. Placuit ille Interpretum parti longe maximæ, e quibus THEOPHYLACTUM, GROTIUM, MUISIUM, MEDUM, GEIERUM, VITRINGAM, WOLFIUM, BENGELIUM, nominasse sufficiat.

§. IV.

Nobis c) sic videtur: Etiam hic valere canonem illum: Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse a suis subjectis. Jam cum v. 1. habeatur *generalior* descriptio *subjecti*, omnino etiam in *praedicato* v. 3. vox *justitiae* recte *generalius* sumitur; quemadmodum e contrario *specialiori* descriptioni *subjecti* v. 5. & 9. ubi ex toto pietatis ambitu sola beneficentia erga inopes memoratur, melius in prædicato congruit *specialior* acceptio vocabuli, *justitia*, quatenus scil. notat beneficentiam erga egenos, partem justitiæ v. 3. generalius acceptæ, & præcipuum hominis justi insigne. Ac sane α) non Rabbinis tantum צְדָקָה pro *eleemosyna* in usu est, quod sexcentis probari exemplis posset, ut cum arca, quæ stipem continet, ipsis dicitur קוּפַּה שֶׁל צְדָקָה, *arca justitiae*, h. e. eleemosynæ, & hoc quoque dictum illis frequentatur: מָלַח מָמוֹן צְדָקָה, *sol divitiarum justitia* i. e. eleemosyna; sed in ipsa etiam Scriptura S. hic significatus indubie obtinet *Dan. IV. 24.* ubi verba in fonte proprie hoc sonant: Peccata tua abrumpe *justitia*, & *iniquitates* tuas benefaciendo pauperibus: LXX. vero prius hemistichion recte sic transtulerunt: τὰς ἁμαρτίας σου ἐν ἐλεημοσύναις λύτρωσαι. Quin & alibi sæpius hebræum צְדָקָה partim per ἐλεημοσύνην, partim per ἔλεος reddiderunt, Deut. VI. 25. XXIV. 13. Ps. XXIV. 5. XXXIII. 5. CIII. 6. Jesai. I. 27. XXVIII. 17. LVI. 1. LIX. 16. Dan. IX. 16. Ezech. XVIII. 19. 21. Quo jure ita verterint, jam haud disputamus; constare tamen hinc putem, quam alte inhæserit Interpretibus alexandrinis illa vocabuli צְדָקָה notio, qua sumitur pro *misericordia*. Addi potest his locis alius ex *1 Sam. XII. 7.* ubi צִדְקֹת יְהוָה LXX. quidem non, ut alibi solent, ἐλεημοσύνας, sed δικαιοσύνας reddiderunt; Symmachus vero per ἐλεημοσύνας, & *Vulgatus*, *misericordias*, nec non, hoc duce, LUTHERUS per *Wohlthat*, uti צְדָקָה Prov. XXI. 21. reddidit: *Barmherzigkeit.*

§. V.

Est denique etiam in *N. T.* quod in subsidium heic vocant eruditi, Matth. VI. 1. non ἐλεημοσύνην, quæ lectio hodie recepta est, sed δικαιοσύνην primitus scriptum fuisse, post BEZAM, MILLIUS ad h. l. & *in Proll. §. 393.* nec non VITRINGA *de S. V. p. 784.* GOD. OLEARIUS *in Obss. SS. ad Matth. p. 163.* PFAFFIUS *in Diss. de V. LL. N. T. p. 217.* ac in *N. N.*

ad

ad Matth. & BENGELIUS in *Gnom.* & *App. Crit.* existimant. b) Sed in eo dissentiunt, an δικαιοσύνη, si genuinum sit, nil aliud notet quam ἐλεημοσύνην, ut VITRINGA cum aliis vult? an vero *justitia* generalius hic sumenda sit, ut C. V. 20. Christus autem, præmissa sententia generali, in sequentibus descendat ad particularia justitiæ opera, *eleemosynam*, *orationem* & *jejunium*, quæ MILLII, OLEARII & BENGELII est sententia, qua admissa locus hic nil facit ad rhombum. Producit quoque VITRINGA c. l. p. 791. sq. alium N. T. locum, 1 Joh. I. 9. ubi epitheto δίκαιος summam Deo *aequitatem* erga peccatores tribui censet. Sufficit, aliunde satis constare, quod antiquissima sit vocis צְדָקָה acceptio pro ἐλεημοσύνη, pro beneficentia erga pauperes, & pro ipso beneficio iis collato.

§. VI.

Quæras autem β) quæ sit *ratio* hujus significationis, & quo jure *eleemosynae* impertitum fuerit nomen צְדָקָה? *Stips* enim erogari solet pauperibus ex *misericordia*, cujus oppositum est *justitia*? Haud una ratione difficultate hac se expediunt eruditi. ɣ) PRIDEAUX, anglus, NN. ad Maimonidis *Tr. de Eleemosynis C. X. §. 1.* existimat „vocem צְדָקָה proprie & primario *justitiam* tantum significare, nec aliquo alio sensu unquam in sacris legi; cum vero eo tempore, quo talmudici constitutiones suas de eleemosynis tradiderint, lingua hebræa vocem non suppeditaret, quæ eas proprie significaret, *ob defectum*, quem tum, utpote post excisas Hierosolymas, dissipatamque gentem, passa fuerat, illos vocem צְדָקָה ad eas significandas assumsisse, & hinc primum obtinuisse, ut hæc vox æque *eleemosynas* ac *justitiam* significaret. „ Quibus tamen bene subjungit, factum id esse, *ob convenientiam, quae inter eleemosynarum largitionem & justitiam intercedat, cum justum sit, pauperibus succurrere, maximumque id viri justi insigne sit.* Postrema sua facit VITRINGA, sed negat, quod צְדָקָה nunquam in *scripturis* pro eleemosyna accipiatur, quodque hoc nomen eleemosynis demum tributum fuerit eo tempore, quo constitutiones talmudicæ in ordinem digesta sunt post excisas Hierosolymus. Negari profecto, per superius tradita, nequit, in ipsa Scriptura S. vestigia hujus significatus reperiri, &, si vel maxime aliarum vocum ad significandas eleemosynas penuriæ is tribuendus sit, id tamen, quod vocem צְדָקָה potius quam aliam adhibuerunt, omnino inde arcessendum est, quod ex scri-

b) Quam lectionem in textum quoque recepit S. R. D. D. GRIESBACHIUS in sua N. T. Edit.

scriptura noverint, beneficentiam erga pauperes certo modo ac sensu revera opus *justitiae* esse.

§. VII.

ב) LIGHTFOOTUS *in Horis Ebr. Talm. ad Matth. VI. 1.* aliique rationem denominationis inde repetunt, quod Judæi in eleemosynis vel maxime repositam esse crediderint *causam justificationis suae coram Deo.* Conf. DEYLINGIUS *Obss. SS. P. III. p. 174. §. 27.* & WOLFIUS *in Cur. ad h. l.* Verum, licet negari nequeat, sequiori ætate hanc opinionem apud Judæos invaluisse, ipsa tamen Scriptura S. saniore sensu antea jam, ut supra ostendimus, hanc vocem adhibuit ad designandas eleemosynas. Alii proinde ג) non tam ex pecunia vocum aut erronea opinione vulgi hanc denominationem repetunt, quam ex eo, quod omnino *justum est*, & justitiæ symbolum, pauperibus dare. VITRINGA præsertim multus est in eo, ut ostendat, quo sensu vere *justitia* dici possit beneficentia erga inopes, seu eleemosyna. Assumit definitionem *justitiae*, quod sit virtus illa, quæ jus suum cuique tribuit; distinguit vero inter jus *stricte & late* sumtum, quorum *illud* cuique tribuat justitia *stricte* sumta, de qua sermo sit v. g. Rom. XIII. 7. *hoc* autem justitia *laxius* sumta, quæ sit illa virtus, qua quis, præter jus strictum, etiam *aequitatem* observet, h. e. proximo suo in omnibus humanæ charitatis officiis, lege præscriptis, secundum æquissimam & largissimam legis istius interpretationem satisfaciat. Atque hoc posteriore sensu *eleemosynam* arbitratur Hebræis *justitiam* dici; quin & apud *Latinos* justitiam quandoque pro *aequitate*, & quæ æquitatis comes sit, *clementia* sumi, ex CICERONE, TERENTIO, CORN. NEPOTE, & SALLUSTIO probari posse contendit. e. g. TERENTIUS in *Heaut. Act. IV. Sc. 1. v. 33.*

Nunc hoc te obsecro,
Ut meæ stultitiæ in tua *justitia* sit aliquid præsidii.

§. VIII.

Supersunt ה) verba: עֹמֶדֶת לָעַד, *μένει εἰς τὸν αἰῶνα*, quæ rursum variis admittunt interpretationes; a) enim continere videri possunt ulteriorem descriptionem beneficentiæ, modo laudatæ, & quidem *a perpetuitate sua*, ut sensus sit: Justitiæ ejus perstat in seculum, i. e. pius non ad horas aliquot aut dies eidem dat operam, sed quamdiu vivit: ita GEIERUS; seu, uti MUISIUS rem exprimit: *quamdiu vivit, numquam ex hauri-*

hauritur fundus misericordiae seu beneficentiae illius. Atque sic & BURCKIUS *in Gnom. p. 1109.* uti eandem formulam v. 3. *causam* facit *felicitatis*, quæ justo secundum præcc. competat; ita nunc ipsi pertinere illa videtur ad *causam officiorum*, quibus justus perpetim studeat. *Subjungitur*, inquit, *in his verbis causa, cur justus tam liberalis tam constanter esse velit possitque, scil. quia justitia ejus perstat in aeternum, non se vel contrariis malorum, impiorum, vel ingratis aliorum, vel importunis egenorum moribus seduci, vinci aut frangi patitur.* Possunt etiam b) hæc verba referri ad *promissiones* hoc Psalmo contentas, ita quidem ut vel α) *ipsa justitia* seu beneficentia piorum manere dicatur in perpetuum, quatenus manet in memoria Dei & hominum; v. 6. *in aeternum non dimovebitur, in memoria aeterna erit justus.* Conf. Prov. X. 7. Ps. IX. 7. CIX. 15. Act. X. 4. Hebr. 6. 10. vel β) *justitia* metonymice hic ponatur pro *fructu*, seu *praemio* illius, quod beneficos manet & in hac & in altera vita. Ps. XLI. 2-4. Jes. LVIII. 7-11. Matth XXV. 34-40. Luc. XVI. 9. 1 Tim. VI. 18. 19. 2 Tim. I. 16-18. Quodsi jam c) *nostra* sit danda *explicatio*, haud diffitemur, iis nos accedere, qui hæc verba: צִדְקָתוֹ עֹמֶדֶת לָעַד, ad *promissiones* hujus Psalmi referunt. Persuadet nobis hanc sententiam *œconomia* Psalmi curatius inspecta. Continet Psalmus μαθαρισμὸν hominis pii. Jam uti in hoc *generalior* subjecti descriptio v. 1. *meras promissiones* pone se habet v. 2-4. ita *specialiorem* ejusdem descriptionem v. 5. *nonnisi promissiones* sequuntur v. 6-fin. adeo ut BENGELIUS etiam initium v. 9. ad promissiones referat, פִּזַּר metonymice vertens: *semper habet, quod spargat.*

§. IX.

His de sensu verborum præmissis, pergimus II) ad vindicias *applicationis.* 1) *Scopus* apostoli, cui inservit allegatum v. 9. colligi potest e v. 8. scil. post exhortationem ad faciendam largam sementem per beneficentiam erga pauperes, v. 6. 7. mox v. 8. ut recte observant ERASMUS, ESTIUS, CALOVIUS, occurrit tacitæ cogitationi inopiam sibi metuentium, si liberalius de suo largirentur, docetque, quidquid dederint, ad ipsos cum fœnore rediturum. *Potens vero*, inquit, *est Deus, omnem gratiam* h. e. non in spiritualibus tantum, sed etiam in temporalibus, adeoque *omnem, abundare facere in vos*, (nam περισσεῦσαι hic non neutraliter significat, ut mox hoc ipso versu, sed transitive & dupliciter active, quasi *graecum Hiphil*, quo sensu etiam habetur 1 Thess. III. 12. ubi & passivum περισσεύομαι pariter transitive significat, *efficior abundare*,

dare, Matth. XIII. 12. XXV. 29.) *ut in omni* (scil. bono, temporali non minus quam spirituali) *omnem semper sufficientiam habentes* (h. e. eam bonorum temporalium copiam, ultra quam αὐτάρκεια christiana nil appetit) *abundetis in omne opus bonum*, i. e. non modo aliena liberalitate haud egeatis, sed etiam erga alios possitis liberales esse ac benefici. Incredulitati igitur, propriam indigentiam ex liberalitate erga alios metuenti, opponit *potentiam* Dei, quæ facere queat, ut & ipsi semper habeamus, quod satis est, (sec. æstimationem αὐταρκείας christianæ,) & aliis quoque *benefacere* possimus, id quod *abundare* vocat *in omne opus bonum.*

§. X.

Jam quær. 2) *an & quomodo* probando huic asserto inserviat allegatum dictum? Resp. Locus e Psalmo proprie posterius tantum asserti membrum probat, quod scil. justus *abundet in omne opus bonum*, hoc ipsum enim in Psalmo exprimitur per *spargere*, *liberali* scil. *manu* & dare pauperibus. Ex verbo σκορπίζειν autem Apostolus deinceps v. 10. infert, Deum, qui semen suppeditat seminanti, (largiter scil. quod verbum σκορπίζειν innuit) etiam panem in cibum daturum, h. e. nunquam permissurum esse, ut is, qui aliis de suo benefacit, ipse inopia laboret, quin potius semen ejus, h. e. opes, multiplicaturum, atque h. m. fructus justitiæ seu beneficentiæ ejus auctum esse. In ipso verbo σκορπίζειν latet tacita promissio ejus, quod Apostolus v. 8. christianos sperare jubet, atque hanc ejus emphasin evolvit v. 10. Nimirum ex unico sæpe verbulo maximas consequentias deducunt scriptores θεόπνευστοι, nec modo in rebus ad praxin christianismi pertinentibus, sed etiam, ubi dogmata fidei tradunt. Vid. 1 Cor. XV. 27. coll. Hebr. II. 8. & Gal. III. 16.

CXXIV. ALLEGATUM.

GAL. III. 8.

Προϊδοῦσα δὲ ἡ γραφὴ, ὅτι ἐκ πίστεως δικαιοῖ τὰ ἔθνη ὁ θεὸς, προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραάμ· Ὅτι ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πάντα τὰ ἔθνη.

GEN. XII. 3.

וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἐυλογηθήσονται ἐν σοὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς.

GEN. XVIII. 18.

וְנִבְרְכוּ – בוֹ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἐνευλογηθήσονται ἐν αὐτῷ πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς.

GEN. XXII. 18.

וְהִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἐνευλογηθήσονται ἐν τῷ σπέρματί σε πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς.

§. I.

Præterire quidem liceret hoc allegatum, quia pridem expensum fuit ad *Act. III. 25.* At cum *graeca* ibi paullo aliter sonent, & alio quoque scopo Apostolus Petrus dictum hoc ibi adduxerit, quam Paulus h. l. illud examini nostro denuo subjicere haud erit supervacaneum. Continetur

in eo insignis illa promissio, Patriarchæ Abrahamo facta sub exitum e Chaldæa, Gen. XII. 3. & plus semel repetita, ipsi quidem *Abrahamo* post acceptum circumcisionis sacramentum, Gen. XVIII. 18. & superata gravissima tentatione per mandatum de immolando Isaaco, Gen. XXII. 18. postea vero *Isaaco* Gen. XXVI. 4. & *Jacobo* Gen. XXVIII. 14. E quibus locis omnibus Paulum h. l. ea solum respicere, quæ hanc promissionem *Abrahamo* factam sistunt, ex formula allegandi patet: προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραάμ.

§. II.

Cum his textibus hebræis 1) nunc *conferendus* est textus græcus. 1) Verbum וּנְבָרְכוּ, (quod habet promissio Gen. XII. 3. & C. XVIII. 18. licet *illum* magis quam *hunc* locum Paulus respiciat, quia in *illo* est בְּךָ, in te, quod & Paulus habet, (ἐν σοι) in *hoc* autem בּוֹ, in illo.) accurate redditum est per ἐυλογηθήσονται, vel ἐνευλογηθήσονται; utrumque enim LXX promiscue posuit, & apud Paulum quoque alia Editio prius, alia posterius habet. *Act. III.* 25. quoque legitur: ἐνευλογηθήσονται; ubi spuriam nonnulli emphasin quærunt in præpositione ἐν: cf. LII. Alleg. §. IV. T. II. p. 48. 2) Pro בְּךָ in te, Gen. XII. 3. locus Gen. XXII. 18. habet בְּזַרְעֶךָ, *in semine tuo*: quando igitur & Paulus habet, ἐν σοι, in te, non ἐν τῷ σπέρματί σου, ut Petrus Act. III. utique verba hæc initialia ex Gen. XII. sumsisse censendus est, non ex Gen. XXII. τὸ *in semine tuo* urget demum ex altero h. l. v. 16. C. III. ad Gal. Si autem quæras, quomodo conciliari debeat utraque phrasis, *in te: in semine tuo?* Ad hoc quoque supra a nobis responsum est. T. II. p. 47. 3) πάντα τὰ ἔθνη, quod Paulus habet, non respondet phrasi hebrææ: כֹּל מִשְׁפְּחוֹת הָאֲדָמָה, quæ extat Gen. XII. & a Petro Act. III. reddita esse: πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς: respondet autem phrasi: כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ, Gen. XVIII. & XXII. Vid. ibid. p. 50.

§. III.

Hisce præmissis progredimur II) ad *applicationem* apostolicam hujus dicti; hicque 1) expendenda est *formula allegandi*, plane singularis; in qua A) notari meretur nexus allegati nostri cum antecc. per partic. δὲ. Scil. C. III. ad Gal. totus in eo est Paulus, ut adversus Christianos hosce ab Evangelio ad legem relapsos, aut relapsum minantes, argumentis irrefragabilibus adstruat justificationem ex fide, non ex operibus; *primum* desumit a propria

Gala-

Galatarum experientia v. 1 - 5. *secundum* ab exemplo Abrahami, patris omnium credentium v. 6 - 9. ubi v. 6. allegat dictum Gen. XV. 6. quod ad Rom. IV. 3. jam expendimus; *tertium* ab indole Legis & Evangelii, ac utriusque mutua relatione v. 10 - fin. In *secundo*, quod allegatum noſtrum complectitur, hoc ipſo probare vult v. 8. 9. quod jure meritoque ab exemplo Abrahami, nonniſi per fidem juſtificati, concludat ad omnes poſt ipſum juſtificandos, & ſpeciatim *gentes* quoque, quarum in promiſſione, cui credendo Abraham juſtificatus fuerit, expreſſa fiat mentio, πάντα τὰ ἔθνη.

§. IV.

B) προϊδοῦσα ἡ γραφὴ phraſis eſt valde prægnans; *Scripturae* tribuitur præſcientia ſeu *praeviſio*, quæ proprie Deo, ſcripturæ ſacræ auctori, & per ſcripturam ac in ſcriptura nobiscum colloquenti, competit. Vid. Gal. III. 22. ubi ſcripturæ tribuitur, quod Rom. XI. 32. de *Deo* dicitur. Senſus hic eſt: *Deus*, *cui nota ſunt ab aevo omnia opera ſua*, Act. XV. 18. diu ante latam legem apud ſe decrevit, qua ratione gentes juſtificare velit, ſcil. per fidem: unde Abrahamo jam hac de re evangelizavit, hocque Evangelium ante Evangelium *ſcripturae* inſeruit. CLERICUS *ad Hamm. h. l.* annotat: Mira eſt proſopopœia Scripturæ S. *praevidentis*, & quæ a rhetoribus græcis παραχειμδυνευμένη (ſeu, ut QUINCTILIANUS exprimit: *audax & proxime periculum* translatio, ſive metaphora) merito vocaretur; ſed talia in orientalibus linguis non infrequentia ſunt, quod præ oculis debet eſſe Interpreti, ne ejusmodi locutiones nimis urgeat.

§. V.

C) Quum in textu ſequitur: ὅτι ἐκ πίστεως δικαιοῖ τὰ ἔθνη ὁ θεὸς: *futurum* in verbo δικαιεῖν videtur melius quadraturum fuiſſe in præcedens participium προϊδοῦσα; *praevidentur* enim, quæ *adhuc futura* ſunt. Sed recte Paulus præſens adhibuit, quia locutus eſt tempore Evangelii, cum juſtificatio gentium per fidem non amplius futura demum, ſed *praeſens* jam eſſet. Senſus eſt: prævidens ſcriptura id, quod jam fieri videmus, ſcil. Deum gentes juſtificare per fidem. Cf. *praeſens* ἐυλογῶνται v. 9. poſt *futurum* ἐυλογηθήσονται v. 8.

§. VI.

D) προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραάμ, non simpliciter vertendum est, *praenunciavit*, quod in graeco est προκαταγγέλλειν, Act. III. 18. sed plenius: *praenunciavit* tanquam Evangelium ante Evangelium. Anticipat hoc verbo Paulus, quod v. 17. hujus cap. evolutius tradit; scilicet Evangelium lege antiquius esse. Quod autem verbum προευηγγελισατο construendum sit cum γραφὴ, nemo non videt. Dices: qui scriptura id Abrahamo praenunciasse dici potuit, cum Deus illi hanc promissionem oretenus dederit, postea demum in scripturas referendam? Resp. Scripturae S. quandoque tribuitur, quod nonnisi Dei est, qui illud fecit, antequam scriberetur; scripturae tamen tribuitur, quia postea per eam hominibus manifestatum fuit. Sic Rom. IX. 17. legimus: *Dicit Scriptura Pharaoni*, h. e. perhibet Scriptura, Deum dixisse illi, seu: dicit *Deus* Pharaoni, teste *Scriptura* in Exodo: quem in modum & h. l. phrasis: *Scriptura proevangelizavit Abrahae*, hoc proprie dicit: *Deus illi indicavit, quod postea in Scripturas relatum est.* Tantum *de formula allegandi.*

§. VII.

Sequitur 2) ut de *applicatione ipsa* nonnihil dicamus: Continetur illa v. 9. ὥστε οἱ ἐκ πίστεως εὐλογοῦνται σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ· Ubi A) particula ὥστε per *itaque* vertenda, ut C. IV. 7. indicio est, conclusionem hic fieri ex antecc. B) ipsa Pauli argumentatio sic procedit: Si in Abrahamo benedicendae sunt omnes gentes terrae, consequens est, nonnisi eos, qui ex fide sunt, h. e. qui omnem suam salutem plane a fide pendere volunt, benedictionem accipere cum fideli Abrahamo, A. prius est, per allegatum dictum. E. & posterius. *Firmitas consequentiae*, pendet ab iis, quae v. 6 7. jam dixerat apostolus. Probatio haec est: uti Abraham benedictionem accepit, ita & filii ejus spirituales eam accipiunt, A. Abraham adeptus est illam per solam fidem. E. & filii ejus. Σὺν τῷ πιστῷ, Ἀβραάμ inquit Apostolus, *cum Abrahamo*, quatenus *fidelis* erat, i. e. quatenus credidit verbo promissionis, adeoque *similiter & eodem plane modo*, uti Abraham benedictionem adeptus est. σὺν h. l. valet, *similiter ut*, quemadmodum hebraeum עם, *cum*, sumitur Coh. II. 16. ubi *Vulgatus*, vertit: *similiter ut*, quo ipso tamen haud negatur, τὸ σὺν involvere simul *communionem* cum Abrahamo in ipsa benedictione, ut ejus quasi *coheredes* simus. Probe etiam observari debet, quod Apostolus jam non amplius dicat: ἐν τῷ Ἀβραάμ, ut antea v. 8. Sed σὺν, quam dictionis varietatem considerate a Paulo adhibitam esse, BENGELIUS ostendit *in Gnom. ad h. l.*

CXXV. AL-

CXXV. ALLEGATVM.

COL. III. 10.

Ὅσοι γὰρ ἐξ ἔργων νόμου εἰσὶν, ὑπὸ κατάραν εἰσὶν. γέγραπται γάρ· Ἐπικατάρατος πᾶς, ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου, τοῦ ποιῆσαι αὐτά.

DEUT. XXVII. 26.

אָרוּר אֲשֶׁר לֹא־יָקִים אֶת־דִּבְרֵי הַתּוֹרָה הַזֹּאת לַעֲשׂוֹת אוֹתָם׃

VERSIO LXX.

Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ ἄνθρωπος, ὅστις οὐκ ἐμμενεῖ ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις τοῦ νόμου τούτου, τοῦ ποιῆσαι αὐτούς.

§. I.

In *collatione* textus *graeci* cum *hebraeo* deprehendimus: 1) Hebræum אָרוּר accurate redditum esse per ἐπικατάρατος, ab ἀρὰ, *maledictio*, & ἀράομαι, *maledico*, quæ voces græcæ affine quid sonant hebræis, מְאֵרָה, *maledictio*, & אָרַר, *maledixit*. 1) Num præpositio ἐπὶ significatum intendat, dubitare quis posset, quia in hebræo אָרוּר simpliciter *maledictum* notat: at cum hoc ipsum verbum, in summa sua emphasi, pro complexu omnis maledictionis, sumendum sit; Hebræi autem nulla habeant composita: non immerito Paulus post LXX. emphasin istam verbo composito exprimere voluisse censetur. Certe hoc ipso Cap. XXVII. Deut. & sequenti XXVIII. cumulus maledictionum occurrit. 2) Ellipsin verbi substantivi supplere possumus vel *indicative*, maledictus *est*. vel *optative*, maledictus *sit*. *Prius* tamen magis congruit indicativo: ὑπὸ κατάραν εἰσὶ in præcc. 3) *Maledictio* ipsa, de qua hic sermo est, non complectitur illas duntaxat pœnas temporales, quæ C. XXVIII. sequuntur, sed vel maxime etiam oppositum *Iustitiae* ex fide, & *Salutis* æternæ; alioquin Apostolo allegatio hæc plane ad rem non faceret, ubi de eo quæstio erat, quem Deus justificare & salvare velit, quem non? 4) Masculinum ἐπικατάρατος docet, non peccata tantum ejus, qui legem transgreditur, maledictio-

ctioni heic ſubjici, ſed *ipſum* quoque transgreſſorem legis, ita ut maledictio in ipſa ejus perſona hæreat, eamque Deo abominabilem reddat. Pſ. CIX. 17-19.

§. II.

II) Hebræum אֲשֶׁר Paulus reddidit: πᾶς, ὃς & LXX. πᾶς ὁ ἄνθρωπος, ὅσις, quaſi in fonte legiſſent: כָּל־אֲשֶׁר; uti etiam in ſqq. אֵת־דִּבְרֵי Paulus reddidit: ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις, & LXX. ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις, iterum addentes notam univerſalitatis, quæ e textu hebr. exulat. Atque hæc diſcrepantia HIERONYMO jam occaſionem dedit, de corruptione textus hebræi per Judæos heic cogitandi. Locus huc pertinens *e Comm.* ejus in *Ep. ad Gal.* vid. in GLASSII *Ph. S. p. 81. Recentius* vero WHISTONUS in *Con. reſtit. textum ebr. p. 101. & 309.* valde hoc dictum urget pro ornanda hypotheſi ſua, quæ pro amaſia ipſi eſt. Nec ſane hæc ſuſpicio de corruptione textus hebr. omni ſpecie caret. Habet enim τὸ כ֫ל Codex *Samaritanus*, habet Interpres *Syrus*, habent LXX. (nec non ſec. DRUSIUM in *notis ad Parall. SS.* AQUILA, SYMMACHUS, THEODOTION) habent ex PP. JUSTINUS M. & EUSEBIUS; quos omnes locum hunc Deuteronomii, ſi τὸ כ֫ל in eo non legiſſent, nihilominus tanto conſenſu cum hac nota univerſalitatis allegaturos fuiſſe haud veriſimile eſt. Verum enimvero negamus nos hanc conſequentiam; non ſequitur: hi omnes addunt notam univerſalitatis; E. כ֫ל legerunt in fonte. Alia ſubeſſe potuit ratio, cur adderent. Cum enim ipſa materia ſubſtrata enunciationem textus hebræi *indefinitam* jubeat *univerſaliter* intelligere, ut deinceps oſtendemus, admodum proclive erat, ut auctor Pentateuchi *Samaritani* propoſitionem virtualiter univerſalem, addito univerſalitatis ſigno, exprimeret, quæ ipſa ratio idem & *Alexandrino* Interpreti ſuadere potuit; *Syrus* autem vel e LXX. vel e N. T. additamentum hoc in verſionem ſuam transſumſit, e quo fonte etiam PP. JUSTINUM & EUSEBIUM, quando dictum hoc allegant, hauſiſſe illud credibile eſt.

§. III.

Quod vero *indefinita* etiam loquendi ratio apud Moſen neceſſario *univerſaliter* accipienda ſit, facile probari poteſt; ſi τὸ אֲשֶׁר non de *omni*, qui legem transgreditur, accipiendum eſſet, reſtrictio quædam addenda fuiſſet a Moſe, utpote qua in hoc caſu minus carere potuiſſet textus, quam in

in altero nota universalitatis: sexcenties enim scriptura loquitur indefinite, ac sine universalitatis signo, & tamen a quovis, etiam nemine monente, universaliter intelligitur. Atque sic pariter אֶת־דִּבְרֵי non potest non universaliter accipi. Si enim verba quædam legis impune transgredi liceret, minus curate Moses locutus esset, *indefinite* loquendo. Inest ergo textui hebræo universalitas tam ratione *subjecti*, quam ratione *objecti*, licet in eo expressa non sit. Accedit, *contextum* saltem habere כֹּל: Quod enim *subjectum* attinet, v. 14. diserte docet, esse illud כָּל־אִישׁ יִשְׂרָאֵל; *objectum* vero (scil. verba legis, quæ non servando maledictionem quis incurrat;) itidem habet suum כֹּל, tam in antecc. v. 1. 3. 8. quam in consequentibus C. XXVIII. 1. 14. 15. 58.

§. IV.

3) לֹא יָקִים LXX. verterunt, οὐκ ἐμμενεῖ, in editione quidem Grabiana; nam aliæ habent ἐμμένει cum Paulo, forte etiam ex Paulo; *futurum* tamen melius respondet futuro hebræo, &, si Paulus in sua Vers. LXX. legit ἐμμενεῖ, sine dubio & is futurum scripsit, sed sine accentibus, ut qui recentiores sunt; accentuatoribus postea ex ἐμμενεῖ facientibus ἐμμένει. At hoc leve est; plus momenti habet quæstio: quo jure hebræum יָקִים, quod proprie notat, *stabiliet*, Paulus cum LXX. verterit per ἐμμένειν? Resp. Sensum magis quam verba exprimere voluit, & phrasin obscuriorem per minus obscuram; non enim tam in promtu est, quid sibi velit locutio, *stabilire verba legis*, quam quid hæc dicat: *manere in verbis legis*. Verbum הֵקִים de observatione Legis divinæ usurpatum legimus præaer h. l. etiam 1 Sam. XV. 13. Ps. CXIX. 38. 106. ac in his locis LXX. presse illud verterunt per ἔστησα; cf. Jer. XXXV. 14. Quemadmodum scilicet Deus *stabilire* dicitur fœdus suum, *Lev. XXVI. 9.* quando promissis stat, eaque servat & implet, hocque alibi negative sic exprimitur: nullum ex ejus verbis *in terram cecidisse*, irritum scilicet ac sine effectu, 1 Sam. III. 19. 2 Reg. X. 10. ita & homines dicuntur *stabilire* verbum Dei, quum servando illud, ejusque præcepta implendo ostendunt, suam illud auctoritatem vigoremque apud se habere. *Stat* aliqua lex, ubi sunt, qui pareant; *concidit* vero, si non amplius observetur. Atque hunc sensum, paululum obscuriorem, licet satis emphaticum, Paulus post LXX. phrasi non minus emphatica sic exposuit: ὃς οὐκ ἐμμένει, seu ἐμμενεῖ. Lex nimirum libero hominis arbitrio certos quasi *limites* ponit, quos migrare nefas est; unde & peccatum παράβασις τοῦ νόμου, *transgressio* legis vocatur,

& in quibus contra ipsi *manendum* est, *quoad* statum *animi* sui & omnes *actiones* suas tam internas quam externas, *per* omnem suam vitam: adeoque ἐμμένειν ἐν νόμῳ significat, legem *perfectissime constantissimeque* servare; qui enim *vel in minimo*, & *vel ad momentum saltem* eam transgreditur, non amplius in ea *mansisse* dici potest. Esse autem hanc phrasin bene græcam RAPHELIUS e *Xenophonte* probat & ex *Polybio* in *Annott. ad h. l.* Quin & Virgilius a Græcis illam mutuatus esse videtur Æn. L. II. v. 160 Tu modo *promissis maneas*, servataque serves Troja fidem, & L. VIII. v. 643. at tu *dictis*, Albane, *maneres*.

§. V.

4) Verba: אֶת־דִּבְרֵי הַתּוֹרָה הַזֹּאת, LXX. reddiderunt ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις τῦ νόμυ τύτυ. *Paulus* autem paulo prolixius: ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τῦ νόμυ· pro λόγοις ponens γεγραμμένοις, & pro τῦ νόμυ τύτυ, ἐν τῷ βιβλίῳ τῦ νόμυ. Nec *invito Mose* verba C. XXVII. 26. sic expressit, sed præeunte ipso Mose, Cap. seq. XXVIII. 58. ubi expresse ait: אֶת־כָּל־דִּבְרֵי הַתּוֹרָה הַזֹּאת הַכְּתֻבִים בַּסֵּפֶר הַזֶּה. Ad rem ipsam quod spectat, τὸ πᾶσι quoad Israelitas accipiendum est, de tota lege, *morali*, *cerimoniali* & *forensi*; quoad reliquos autem homines de *morali* saltem, sed in omni suo ambitu spectata. 5.) לַעֲשׂוֹת אוֹתָם, LXX. verterunt: τῦ ποιῆσαι αὐτὰς, quia præcedit λόγοις, Paulus vero τῦ ποιῆσαι αὐτὰ, quia præcedit γεγραμμένα. 1) Pluralis אוֹתָם, αὐτὰς & αὐτὰ, iterum *universaliter* intelligendus est, qui enim totam legem servat, offendit autem in uno, omnium reus est, Jac. II. 10. 2) Verbum לַעֲשׂוֹת indicat, τὸ ἐμμένειν ἐν τῷ νόμῳ non complecti saltem *notitiam* legis, aut *propositum* illam servandi, sed etiam *constans exercitium in faciendo*; cf. v. 12. ὁ ποιήσας &c. item παραμένας & ποιητὴς Jac. I. 25.

§. VI.

Sequitur jam II) ut de *applicatione* hujus dicti paulina nonnihil addamus. 1) *Thesis*, quam Apostolus hoc dicto probare vult, extat, init. v. 10. ὅσοι ἐξ ἔργων νόμυ εἰσὶν, ὑπὸ κατάραν εἰσὶ. A) *Subjectum* sunt ὅσοι ἐξ ἔργων νόμυ εἰσὶν. a) ἔργα νόμυ sunt opera in lege præscripta, & quidem *prout* in lege præscripta sunt, quoad *materiam* & *formam*. Præcepit enim illa, non modo *quid*, sed etiam *quomodo* fieri debeat. b) ἐξ ἔργων νόμυ εἶναι, cujus oppositum v. 9. est, ἐκ πίστεως, talem denotat hominem, qui

qui *sectario modo* (vid. BENGELII nota in Gnom. ad Rom. II. 8.) legi *ita* addictus est, ut *omnem suam salutem ex illa* exspectet. G. IV. 21. idem exprimitur phrasi: ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι· & Rom. IV. 4 voce ἐργαζόμενος· *der mit Werken umgehet.* B) *Praedicatum* est: ὑπὸ κατάραν εἰσί· a) ὑπὸ cum *accusativo* notat *subjectionem* sub alterius potestatem & jurisdictionem, Marth. VIII. 9. coll. Luc. VII. 8. 1 Tim. VI. 1. Rom. III. 9. ad quem locum cf. ER. SCHMIDIUS. b) Quid vox κατάρα involvat, dictum est supra ad vocem ἐπικατάρατος. c) Præsens εἰσὶ significat, talem hominem, qui ex operibus legis justitiam suum & salutem exspectet, non demum opus habere, ut maledictioni subjiciatur, sed *jam* sub eadem *esse*, & *manere etiam*, quamdiu unicum illud adversus maledictionem remedium, fidem scil. in Christum respuat. Joh. III. 36.

§. VII.

Hanc thesin Apostolus 2) *optime probat dicto V. T.* quod hactenus expensum fuit. Argumentum hoc est: Quisquis non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ita quidem ut illa faciat, sicut in lege præscriptum est, is sub maledictione est; atqui nullus eorum, qui sunt ex operibus legis, permanet in omnibus &c. E. Sub maledictione est, qui in operibus legis justitiam & salutem quærit. *Minorem* Paulus ut irrefragabilem & omnibus notam supponit. Quis enim id sibi sumat, quod legem Dei perfecto obsequio servare possit, aut, quod magis est, actu ipso servaverit servetque, nisi qui omnem imbecillitatis humanæ sensum exuit? Ita hoc apud omnes in confesso est, ut pontificii quoque, qui possibilitatem perfectæ obedientiæ tuentur, supponere teneantur, quod τὸ *permanere in omnibus* non adeo rigorose sumendum sit, nec omnis difformitas actionum respectu Legis divinæ peccatum sit, ac maledictioni divinos obnoxios reddat.

CXXVI. ALLEGATUM. a)

GAL. III. 13.

Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα· γέγραπται γάρ· Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου.

DEUT. XXI. 23.

כִּי־קְלֻלַת אֱלֹהִים תָּלוּי׃

VERSIO LXX.

Ὅτι κεκατηραμένος ὑπὸ Θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου.

§. I.

In *collatione* utriusque textus occurrit 1) particula כִּי, quæ *in hebraeo* verba noſtra connectit cum præcc. a Paulo autem omiſſa eſt, quia ſcopo ejus hæc tantum inſerviebant: *Maledictio Dei ſuſpenſus.* Textus integer hic eſt: *Si quis commiſerit delictum judicii mortis* (i. e. morte dignum) *ideoque occiſus fit, tuque eum ſuſpenderis e ligno, non pernoctabit cadaver ejus ſuper lignum illud, ſed certiſſime illum ſepelies* (id enim vult phraſis: ſepeliendo ſepelies) *eo ipſo die, quia maledictio Dei ſuſpenſus, & non immundam reddes terram tuam, quam Dominus Deus tuus dedit tibi in haereditatem.* Quæ ex antiquitatibus judaicis ad illuſtrandum hunc locum facere poſſunt, plenis cyathis dabit VITRINGA *Obſſ. SS. L. II. C. XII. p. 435 - 455.* Nos citata ſolum a Paulo verba cum hujus verſione jam conferemus.

§. II.

Progredimur itaque 2) ad voces קְלֻלַת אֱלֹהִים, quas LXX. interpretati ſunt: κεκατηραμένος ὑπὸ Θεοῦ, & Paulus, omiſſa voce אֱלֹהִים, ſimplici-

a) Habetur quidem Gal. III. 11. in verbis ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται allegatum ex Hab. II. 4. nec non v. 12. ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς aliud ex Lev. XVIII. 5. Verum de *illo* jam actum eſt ad Rom. I. 17. T. II. Dem. Ev. p. 132 ſqq. & de *hoc* ad Rom. X. 5 ſqq. Vid. ibid. p. 276 ſqq.

pliciter ἐπικατάρατος. Qu. heic A) num utraque hæc interpretatio græca phrasin hebræam recte acceperit *passive*, ut notet *maledictum a Deo?* B) Quid sentiendum sit de paulina omissione vocis אֱלֹהִים? Quoad primam Qu. observandum est. a) Antiquos Interpretes Judæos, ut *Onkelosum*, & *Talmudistas*, nec non Interpretem *Samaritanum*, *Syrum* & *Arabem*, e recentioribus vero Judæis R. SALOMONEM, ABEN ESRAM, KIMCHIUM, קְלֻלַת אֱלֹהִים *active* interpretatos esse *de maledictione*, *quae Deo fit*, *seu*, quæ Deum habet pro *objecto*, aut, quia קְלָלָה primario significat, *vilipendere*, *leve aliquid habere seu contemnere*, de opprobrio, vilipendio ac contemtu e mansione suspensi in ligno in Deum redundante, quo pacto sensus incisi: כִּי קְלֻלַת אֱלֹהִים תָּלוּי, vel hic foret: *quia pro eo*, *quod maledixit Domino*, *suspensus est*; vel, *quia populus*, *eum suspensum videns*, *inde occasionem sumit aut sumere* potest Deo maledicendi; (sive Dei & Judicum severitatem culpans, sive, dum hominem, ad imaginem Dei factum, suspensum videt, Deum ipsum quoque vilipendens) vel, *quia ad ignominiam Dei facit*, *enormia illa crimina*, *quae a suspensis commissa sunt*, *& interea crimen blasphemiae ore hominum vulgari & repeti*, *quoties illi suspensum vident.* Jam VITRINGA quidem hanc interpretationem non impingere putat in canones grammaticos, quia genitivus rectus nomini regenti junctus utrumque & *causam efficientem & objectum* designare soleat, (vid. GLASSIUS p. 629. & 636.) ut adeo phrasis: *maledictio Dei*, non modo notare queat maledictionem a *Deo*, ut causa efficiente, sed etiam *maledictionem*, *qua Deo maledicitur*; verum, licet hoc respectu nullius vitii grammatici rea peragi queat hæc interpretatio, alio tamen respectu nulla ratione cum legibus grammatices conciliari potest. Quis enim propositionem: *suspensus est*, *quia Deo maledixit*, grammatice sic efferri posse existimet: *maledictio Dei est suspensus*. *Deo maledicere*, & *maledictionem Dei* esse, plane diversa sunt, & magis adhuc differunt hæc duo: suspensus est ob maledicta in Deum, & : maledictio Dei est suspensus. Præterea id vel maxime adversatur interpretationi judaicæ, quod contextus illam respuit; α) enim evidens est, verba: *quia maledictio Dei suspensus*, manifeste *rationem* continent, *non cur suspensus sit*, *sed cur sepeliri* debuerit, postquam suspensus esset. Docet hoc series verborum; si vero τὸ כִּי pertineat ad sepulturam, qualis obsecro, esset hæc consequentia: suspensus debet sepeliri, quia Deo maledixit? β) Si קְלֻלָה accipias de *opprobrio* seu *vilipendio* ac *contemtu Dei*, γ) significatum hunc nullo scripturæ loco tueri poteris, cum vox ista constanter *maledictionem* notet. δ) Si in opprobrium Dei cedat, hominem blasphemum, eumque Israelitam, suspendi, ratio dari nequit, cur Deus

pateretur, ullum Israelitam, per momentum etiam temporis suspendi. Ita ipse *Abarbanel*, qui hac in parte veteres Judæos deserit. Jure igitur missam facimus contortam hanc explicationem.

§. III.

Secundo, propius accedit, nec tamen vera est aliorum expositio, qui קְלָלָה *passive* quidem accipiunt, ut. per metonymiam abstracti pro concreto, denotet *maledictum a Deo*; sed tamen *maledictionem* hic intelligunt de *pœna suspendii*, vel *mortis supplicio* ante suspendium, non enim nisi affectos jam ultimo supplicio suspensos fuisse constat;) unde VATABLVS hunc verborum sensum facit: Jam luit pœnas pro flagitio admisso; MALVENDA: Jam Dei maledictio, seu supplicium in eo impletum est; CORN. a LAPIDE; *Maledictio Dei* hic accipitur pro pœna suspensionis, inflicta ei a Judicibus, qui locum Dei tenent, q. d. debet sufficere talis pœna, nec ultra privandus est sepultura; GROTIUS: Satis est ad breve tempus exponi eum, ut populo appareat, satisfactum legi: ceterum non protrahenda est ejus pœna, qui, antequam suspendebatur, pœnam tulit a Deo impositam. *Duram* esse hanc explicationem & contextui minus congruam facile probari potest: *Dura* est, quia, si vel maxime concedamus, *maledictionem Dei* accipi posse de supplicio a Deo dictato, & per Judices inflicto; aliud tamen est, *esse* maledictionem Dei, & maledictionem seu supplicium jam *sustinuisse*. *Contextui non congruit*, quia sequentia docent, talem heic infligi *maledictionem*, *per quam terra* redditur *immunda*; atqui *non polluitur* per *supplicia* facinorosis a magistratu inflicta, sed *purgatur* potius. Num. XXXV. 33. 34. Deut. XIX. 13. 19.

§. IV.

Si autem recensitæ hactenus interpretationes admitti nequeunt, non immerito jam c) quærimus, *quaenam sit genuina?* Nos, omnibus probe ponderatis, α) pro certo habemus, קְלֻלַת אֱלֹהִים *passive* accipiendum esse, ut notet *maledictum a Deo*, ita tamen ut *abstractum* pro *concreto* positum hanc præterea emphasin habeat, ut notet aliquid maxime *abominabile*; *Idem est* קִלְלַת אֱלֹהִים, quod מְקֻלָּלִי, *maledicti ejus* Ps. XXXVII. 22. & eodem modo suspensus hic *maledictio* Dei dicitur, quo Gen. XLIV. 34. omnis pastor pecudis תּוֹעֲבַת מִצְרַיִם, abominatio ægypti, h. e. ægypto maxime abominabilis fuisse dicitur. Cf. תּוֹעֲבַת יְהוָה Deut. VII. 25.

β) *Ma-*

β) *Maledictionem* hic *non ipsam pœnam suspendii*, sed peculiarem quandam maledictionem divinam isti adhærentem notare, inde nobis patere videtur, quod de *solis suspensis* dicitur, esse קְלֻלַת אֱלֹהִים, non vero de aliis alio supplicii genere affectis, quodque suspensus ideo mox sepeliendus dicitur, *ne polluatur terra*. *In se* quidem nullum supplicii genus magis execrabile est, quam alterum, sed ratio tamen dari potest, cur Deo placuerit, unum præ altero, suspendium scil. peculiari maledictioni subjicere: factum id nempe cum prospectu ad Christum, qui in ligno futurus erat maledictio pro nobis, quem κατάραν pro nobis factum esse Paulus ex supplicio crucis, quod subiit, probare non potuisset, nisi Deus hoc supplicii genus peculiari maledictioni subjecisset. Jam patere putem ex hactenus dictis, Paulum hebræam vocem קְלֻלָה recte interpretatum esse per ἐπικατάρατος.

§. V.

Qu. nunc B) quid sentiendum sit de *omissione* vocis אֱלֹהִים, cum adjectivo ἐπικατάρατος videatur addendum fuisse vel ὑπὸ θεοῦ cf. LXX. vel saltem genititivus caussæ effic. Θεοῦ ? r) HIERONYMO jam in *Comm ad Gal.* omissio hæc ansam præbuit suspicandi, aut veteres Hebræorum *libros aliter habuisse*, quam nunc habent, aut Apostolum *sensum scripturarum* posuisse, non verba, aut (quod magis sit æstimandum) post passionem Christi, & in hebræis & in nostris codicibus ab aliquo *Dei* nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui Christum *a Deo* maledictum credimus. Sed nimium sic conjecturis indulgetur: *primam* enim conjecturam, quod hebræi Codices olim aliter forte habuerint, refellit α) *constans* hebræi Codicis *lectio*: כִּי קְלֻלַת אֱלֹהִים תָּלוּי. β) *Status constructus* in voce אֱלֹהִים, qui fine קְלֻלַת subsistere nequiret. γ) *Versionum* antiquissimarum consensus, *chaldaeae*, *graecae*, *syriacae*, *arabicae*. *&c.* quas omnes, cum hebræo textu, manum falsarii sensisse, nullo modo probabile est. *Tertiam* conjecturam magis adhuc mireris HIERONYMI plausum mereri potuisse, quod nimirum vox אֱלֹהִים ab aliquo (Judæo sine dubio) addita fuerit, ut Christianis, in Messiam a *Deo* maledictum credentibus, ægre faceret. Num unius falsarii manum omnes & Hebræorum & Christianorum Codices experiri potuerunt ? & quid lucraturum se h. m. sperare poterat, cum sciret, Christianos in hoc ipso summum religionis suæ mysterium venerari, quod Christus, κατάρα pro hominibus factus, (& quidem in *ipso foro divino*) eos redemerit a maledi-

ledictione legis? *Mediae* profecto ſententiæ tutius inhæſiſſet HIERONYMUS, quod ſcil. Paulus ſenſum magis quam verba expreſſerit; cogitare certe non poterat, quemquam verba ipſius aliter accipere poſſe aut accepturum eſſe, niſi de maledictione *coram Deo*, quia totus contextus partim de juſtificatione agit, adeoque de juſtitia Chriſti nobis peccatoribus, & peccatis noſtris Chriſto imputatis, & quidem in *foro Dei*; partim vero continua antitheſis inter maledictionem & benedictionem quemvis docere poterat ac debebat, de maledictione *divina* ſermonem eſſe, æque ac de benedictione *divina*? Tantum de phraſi קְלֻלַת אֱלֹהִים oppido controverſa?

§. VI.

Sequitur in textu 3) Vox תָּלוּי, quam LXX. & Paulus verterunt: πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Quod A) ad vocem *hebraeam* ſpectat, illa proprie *ſuſpenſum* notat, nec ſolummodo *more judaico* ſuſpenſum, quo ſenſu hic & alibi in V. T. ſumitur, ſed etiam ſuſpenſum *more Romano*, i. e. crucifixum. Erat autem hoc mortis genus omnium *crudeliſſimum teterrimumque ſupplicium*, ut CICERO *Or. in Ver.* vocat; unde & *crux* LIVIO L. I. dicitur *infelix arbor*; SENECÆ, Ep. 107. *infelix lignum*, & MINUTIO FELICI, in *Octavio*, *infelix ſtipes*. Erat ſimul præ omnibus aliis *ignominioſum* & *infame*, utpote ſupplicium *ſervile*; unde apud JUVENALEM *Sat. 6.* legitur: Pone crucem *ſervo*: & apud PLAUTUM *in milite Act. I. ſc. 4. Servus ait*: Noli minitari: ſcio crucem futuram mihi ſepulchrum, ibi mei majores ſunt ſiti, pater, avus, proavus, abavus. Indeque crux in Catalectis VIRGILII *infamis ſtipes* dicitur. Factum hinc, ut Judæi Chriſtum ignominiæ cauſa תָּלוּי, ſeu, ut vulgo pronunciare ſolent, תּוֹלֶה, *ſuſpenſum*, vocare ſoleant: ſic enim ABEN ESRA v. g. ad Gen. XXVII. 39. ſcribit: Conſtantinum, Imp. Rom. poſuiſſe in vexillo ſuo צוּרַת תָּלוּי *figuram ſuſpenſi*, h. e. Chriſti crucifixi ſignum; & R. BECHAI ad Pſ. LXXX. 14. ad verba: חֲזִיר מִיַּעַר, *porcus e ſilva*, annotat: litera *ajin* (ע) in voce מִיַּעַר, *ſuſpenſa* eſt; nam ſic ſunt cultores ſuſpenſi illius, עֹבְדֵי תָּלוּי, ubi per *porcum e ſylva*, intelligit *Regem Romanorum* & *Regnum Rom.* quia porcus chriſtianis in cibis eſt. Atque ſic & R. LIPPMANN in Carmine ſuo memoriali, quod edidit ac confutavit WAGENSEILIUS, eodem nomine crucifixum noſtrum pungere ſolet.

§. VII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0264
DFG

§. VII.

Ecquid vero jam B) de verſione *graeca* dicendum, quæ unicum verbum תָּלוּי interpretatur: πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου? a) verbum κρεμάω, *ſuſpendo*, alibi quoque in N. T. uſurpatur de *crucifixione* Chriſti: e. g. Act. V. 30. X. 39. Latronum Luc. XXIII. 39. quum vero idem etiam generatim alias ſignificat *ſuſpendere* quocunque modo, æque ac hebræum תָּלָה, Pſ. CXXXVII. 2. Ezech. XV. 3. textu orig & LXX. uti & κρέμαμαι, generatim *pendere* ſignificat, Cant. IV. 4. Matth. XXII. 40. Act. XXVIII. 40. ad evitandam ἀμφιβολίαν recte Paulus poſt LXX. addidit ἐπὶ ξύλου, cum præſertim e contextu Moſis id ſumere potuerit, in quo v. 22. expreſſe legitur: וְתָלִיתָ אֹתוֹ עַל עֵץ, & *ſuſpendes eum ſuper ligno*, itemque v. 23. לֹא תָלִין נִבְלָתוֹ עַל הָעֵץ, *non pernoctabit cadaver ejus ſuper ligno*. Cf. ἐπὶ ξύλου cc. II. Act. V. & X. ἐπὶ τὸ ξύλον 1 Petr. II. 24. ἀπὸ τοῦ ξύλου Act. XIII. 29. b) Nota univerſalitatis πᾶς ſimiliter recte addita eſt a Paulo & LXX. quia *generatim de ſuſpenſo* apud Moſen ſermo eſt.

§. VIII.

Jam concordia utriusque textus demonſtrata, ſuccedant II) *vindiciae applicationis*; oſtenderat Apoſtolus v. 10 - 12. Juſtificationem non exſpectandam eſſe ex lege, ejusque operibus, quia lex *maledicat* iis, qui eam non perfecte ſervent; adeoque eos, qui hoc non poſſint, uti revera nemo poſſit (quod, tanquam ἐξαγώνων inter chriſtianos, ſupponitur) liberare nequeat a maledictione legis. Jam v. 13. ex adverſo docet, *quis* nos liberaverit? ſcil. Chriſtus, & *quomodo?* ſcil. *dum maledictio pro nobis factus eſt.* Atque *hoc poſtremum* immediate illud eſt, quod dicto Deut. XXI. probare intendit. Age, dicamus nonnihil 1) de *theſi*, quam probare inſtituit. Cubat illa in verbis: γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα. A) *Subjectum* hujus prædicati eſt *Chriſtus*: init. verſus. *Jeſus* eſt nomen *perſonae*, *Chriſtus* nomen *officii*: *hoc* ergo, non *illud*, adhibens Apoſtolus, indicare hoc ipſo voluit, Redemtorem noſtrum, ſaltem *officii* ergo, κατάραν pro nobis fieri debuiſſe, & factum eſſe, ſed *pro ſua perſona* non fuiſſe ſub maledictione. Eadem præciſione *Dan. IX.* 26. dicitur, מָשִׁיחַ, *Chriſtum*, (qui antea v. 24. dictus fuit קֹדֶשׁ קָדָשִׁים, *ſanctitas ſanctitatum*) *exciſum iri* (יִכָּרֵת) quæ *exciſio* erat præcipua maledictio legis. B) In *praedicato* ipſo notanda a) vox κατάρα; uti ſcil. Paulus mox in citato dicto Moſaico *abſtractum* קְלָלָה exprimit per *concretum* ἐπικατάρατος, ita hic *abſtractum* κατάρα ponit

pro *concreto* ἐπικατάρατος, quo concretum אָרוּר Deut. XXVII. interpretatus est. Nec vero otiosa est aut emphasi caret hæc concreti in abstractum conversio. Fit ea duplici in casu: α) Ubi Scriptores sacri cum personam simul rem, a qua denominatur, attendi volunt; sic v. g. in loco, ad quem GROTIUS provocat, quum scil. Rom. III. 30. *circumcisio* & *praeputium* dicitur pro *circumcisis & praeputiatis*, prægnans hæc locutio sic evolvi debet: Unus est Deus, qui justificat *circumcisos* ex fide, nil ad rem faciente ipsorum *circumcisione*, & *praeputiatos* ex fide, non obstante ipsorum *praeputio*; adeo etiam hoc in loco, ubi minime putasses, emphasin habet hæc loquendi ratio. In aliis vero, iisque longe plurimis β) hæc est illius energia, ut notet *superlativum*, seu rei *summum gradum*; atque huc pertinet maxima pars exemplorum, quæ GLASSIUS hanc in rem affert *Ph. S. p. 556. sq.* præsertim vero illud ex 2 Cor. V. 21. ubi Christus *peccatum* pro nobis factus dicitur: cui geminum est, quando idem nostro in loco dicitur κατάρα pro nobis factus: nam *hoc posterius abstractum* fundamentum suum habet in *priori*, quia *peccatum* pro nobis factus est, necessario κατάρα quoque pro nobis fieri debuit, quoniam *haec illius* necessarium & inevitabile consequens est. *Utroque* autem abstracto hoc significare voluit Apostolus. Christus in cruce ita omnium peccatorum *peccatis* sponte in se susceptis ac a Deo ipsi imputatis, consequenter etiam omni omnium propter peccatum maledictorum *maledictione*, itidem sponte in se suscepta, & actu divinitus ipsi incumbente, obrutus fuit, ut supremus judex, coram quo causam humani generis tum agebat, nil in eo cerneret aut attenderet, nisi *peccatum*, omni *maledictione* legis dignum, indeque *summo* cum *rigore* vindicandum.

§. IX.

Patet hinc ϰ) orationem Apostoli magna ἐνεργείας suæ parte privari per expositionem GROTII, &, qui ejus vestigia hac in re premit, CLERICI, quando is ad verba: γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, annotat: Duplex hic figura: nam & κατάρα dicitur pro κατάρατος, quomodo circumcisio pro circumcisis, & subauditur ὡς: nam Christus ita tractatus est, quasi esset Deo κατάρατος; nihil homini pessimo in hac vita pejus evenire poterat. *Hic* vero *in NN. ad Hamm.* „κατάρα est pro ὡς κατάρατος ut recte GROTIUS: hoc enim duntaxat vult Apostolus: Christum habitum fuisse a Romanis, instar hominis scelerati, cum innocentissimus esset, & eo supplicio sublatum, quod est summopere infame, atque ex moribus judaicis pollutum, quo denique homini perdito ac maledicto infamius

nullum

nullum infligi poteſt. „ Putat etiam Paulum ideo cum LXX. non addidiſſe ὑπὸ θεοῦ, a *Deo*, quia, etiamſi ex hebraica phraſi amplius nil ſignificet, quam quod dixerit, tamen græce tantum ſcientes potuiſſent offendi locutione, quæ viſa eſſet innuere, Chriſtum a *Deo* maledictum, h. e. Deo inviſum fuiſſe, quod ſit falſiſſimum. Hunc ergo hi duumviri verbis Apoſtoli ſenſum affingunt: Chriſtum non vere & actu ipſo *maledictionem* pro nobis factum eſſe, multo minus *coram Deo* ipſo, ſed opinione Judæorum ſaltem & Romanorum.

§. X.

At *) quo jure quæſo in textum intruditur particula ὡς? In nullo exemplorum abſtracti pro concreto adhibiti, quæ GLASSIUS p. 556. ſq. adducit, ſubaudiri poteſt hæc particula: cur ergo hoc tantum loco ſubaudienda eſſet? **) Quum Paulus 1 Cor. IV. 13. de ſe ac reliquis Apoſtolis *dicere* vult, *quid ex opinione hominum ſint*, & quomodo ab his *tractentur?* tum adhibet particulam ὡς, ac diſerte ſimul eorum mentionem facit, quibus Apoſtoli tales ſint, & a quibus ita tractentur? ὡς περικαθάρματα, inquit, τῷ κόσμῳ ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα. Hoc autem loco non dicit, Chriſtum factum eſſe ὡς κατάραν: ſed ſimpliciter ac proprie κατάραν; & adeo non *mundi*, cujus opinione κατάρα factus ſit Chriſtus, meminit, ut potius totus contextus & præcipue allegatum dictum, ubi ſuſpenſus קְלֻלַת אֱלֹהִים dicitur, manifeſte doceat, Paulum dicere voluiſſe Chriſtum κατάραν factum, *etiam coram Deo*. ***) Poſtulat quoque hunc ſenſum, quod Chriſtus ὑπὲρ ἡμῶν dicitur κατάρα factus, ita ut hoc ipſo nos *redemerit* a maledictione legis. Jam vero nos non tantum tractandi eramus ὡς κατάρατοι, ſed omnino obnoxii eramus τῇ κατάρᾳ τοῦ νόμου, & vere κατάρατοι: ut ergo a maledictione *redimeremur*, neceſſe erat, ut Redemtor noſter vere ſubiret maledictionem, & vere κατάρα pro nobis fieret. Saniora certe GROTIUS alibi profert, ſcil. in *Tr. de Satisf. Chriſti*, ubi ad h. l. ita diſſerit: „ non nude nominat Apoſtolus *execrationem*, ſed *legis;* execratio, ſub qua homines erant, non erat injuſta, ſed juſta, *non humana voluntate decreta*, *non ab hoſte profecta*, *ſed a Domino*, habet poteſtatem benedicendi ac execrandi; non tacita, ſed promulgata per legem, quæ eſt Dei, ſupremi Domini ac Rectoris, vox.

§. XI.

Quæ hactenus contra GROTIUM & CLERICUM disputavimus, b) suo modo etiam valent contra illos, qui ad mitigandum duplex hoc effatum Apostoli dicunt, ἁμαρτίαν 2 Cor. V. 21. & κατάραν h. l. nil aliud notare, quam *hostiam pro peccato* & promerita illo *maledictione*; licet enim negari nequeat hebræum חטאה, & græcum ἁμαρτία quandoque sic sumi, v. g. Lev. IV. 3. 25. 26. V. 6. VII. 2. & GUSSETIUS quoque in Lex. p. 743. verba: קללת אלהים תלוי, vertenda putet: suspensus est *piacularis victima maledictionis, seu maledictionem publicam tollens*, ut Num. XXV. 4. 2 Sam. XXI. 6. 9. 14. ut adeo & Christus *hoc* sensu κατάρα factus dici posset, quatenus victima pro nobis factus, maledictionem a nobis sustulit; citato tamen loco 2 Cor. V. significatum hunc respuit, quod in seqq. dicimur *justitia* Dei in Christo fieri, eadem scil. ratione, qua Christus *peccatum pro* nobis factus est, nimirum per imputationem justitiæ Christi, uti peccata nostra Christo imputata sunt. Sicque etiam *maledictio* pro nobis factus dicitur, quatenus omnis maledictio legis in eum quasi congesta est. Hac vero onustus, eamque portans & sustinens in corpore suo pro nobis demum victima piacularis factus est. Recte igitur *abstractum* premimus, cum B. LUTHERO in *Comm. ad Gal.* verba ejus dabit CALOVIUS in B. J. p. 577. qui idem etiam c. l. solide removet scandalum, quod ex phrasi hac in speciem dura oriri posset: *Si vis negare*, inquit, Christum esse *peccatorem & maledictum, negato etiam, possum, crucifixum, & mortuum. Non enim minus absurdum est dicere, Filium Dei crucifixum pœnas peccati & mortis sustinuisse, quam peccatorem aut maledictum dicere. Si vero non est absurdum, confiteri aut credere Christum crucifixum inter latrones, neque absurdum sit, eum dicere maledictum & peccatorem peccatorum; certe non sunt inanes voces in Paulo*: *Christus factus est pro nobis maledictum.* Tantum de voce κατάρα.

§. XII.

Sequitur, ut b) de participio γενόμενος nonnihil dicamus. Et hoc enim suam habet emphasin, docetque, Christum, dum κατάρα pro nobis factus est, factum esse, quod antea non erat, scil. maledictionem, idque ut & nos fieremus, quod antea non eramus, scil. *benedicti* Domini, v. 14. cf. τὸ ἐποίησεν & τὸ γενώμεθα 2 Cor. V. 21. c) Phrasis ὑπὲρ ἡμῶν, una cum præced. verbo γενόμενος satis cavet, ne cui ἀσύστατα videantur hæc duo: *Christus & maledictio.* Complectitur autem illa IV. veritates cardi-

cardinales: α) quod Christus in se & sua persona sanctus & innocens, consequenter nec legi nec ejus maledictioni obnoxius fuerit. β) quod e contrario *nos homines* a natura *sub maledictione legis* simus, v. 10. γ) quod Christus *vicem nostram subierit*, & quidem δ) hoc fine, ut nos redimeret a maledictione legis. Adeo fœcundæ sunt duæ voculæ: ὑπὲρ ἡμῶν. *Si* Christus pro suam personam fuisset sub maledictionem, non potuisset pro aliis κατάρα fieri, cum effectu redemtionis illorum; *si* homines non fuissent ὑπὸ κατάραν, non opus fuisset, ut alius pro iis κατάρα fieret. *Dum* Christus vicem nostram subiit, vere maledictus in Dei oculis fuit, æque ac nos eramus; *sicque* nos ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τ῀ νόμ῀.

§. XIII.

Hæc de thesi, cui firmandæ α) dictum allegatum egregie inservit. Apostolus sic concludit: Suspensus est קְלֻלַת אֱלֹהִים, *maledictio Dei*, sec. legem divinam Deut. XXI. Ergo Christus, quum e ligno pependit, erat maledictio coram Deo. At num justa est hæc consequentia *a peccatore Israelita*, qui ob patratum scelus ultimo supplicio affectus ac suspensus est, ad demonstrationem justitiæ divinæ maledictio Dei sic factus, *ad Christum*, omnis plane peccati expertem? Resp. Etiamsi Christus non ob propria, sed aliorum peccata maledictio factus sit, vere tamen קְלֻלַת אֱלֹהִים in cruce fuit, æque ac suspensus Israelita, immo magis adhuc, quia non unius, sed omnium hominum maledictionem sustinuit. Immo Deus pœnæ suspendii in V. T. quam alias *in se* magis execrabilem esse, quam aliud mortis genus, probari nequit, ideo peculiarem adhærere voluit maledictionem, ut, quando Messias suo tempore תָּלוּי futurus esset, eo magis appareret, illum κατάραν, *maledictionem*, pro nobis factum esse. Nolim vero propterea suspensos Israelitas inter *typos* Christi referre. Argumentatur Paulus non tam a *typo* ad *antitypum*, quam a sententia legis *generali* de *omnibus suspensis* ad *Christum* in *specie*, cujus ergo ista potissimum lata erat; cui scopo apprime inserviebat τὸ πᾶς ante ὁ κρεμάμενος, quod cum LXX. addidit Paulus, non invito textu hebr. indefinite loquente.

CXXVII. ALLEGATVM. d)

GAL. IV. 27.

Γέγραπται γάρ· Εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα· ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα· ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα.

JES. LIV. 1.

רַנִּי עֲקָרָה לֹא יָלָדְתְּ פִּצְחִי רִנָּה וְצַהֲלִי לֹא – חָלָה כִּי רַבִּים בְּנֵי – שׁוֹמֵמָה מִבְּנֵי בְעוּלָה אָמַר יְהוָה׃

VERSIO LXX.

Εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα, ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα.

§. I.

In *collatione* textus *graeci*, quem plane ex LXX. ſuum fecit apoſtolus Paulus, cum textu hebræo occurrit 1) verbum רַנִּי, per εὐφράνθητι, redditum a LXX. & Paulo, recte quidem; nam רָנַן generatim quidem ſignificat, *clamare*, *cantare*, non *laetari*, ut græcum εὐφραίνεσθαι; quia tamen illud etiam uſurpari ſolet de *clamore anxio afflictorum*, ut v. g. Thren. II. 19. & Pſ XVII. 1. hic vero & alibi, vi materiæ ſubſtratæ, *clamorem* ſeu *cantum laetantis* denotat, ut idem ſit, quod *jubilare* ſeu *ovare* præ gaudio, & cordis lætitiam cantu prodere; optime profecto Paulus cum LXX. ad evitandam ἀνφιβολίαν reddidit: εὐφράνθητι, *laetare*, *bono animo eſto! antecedens* ſic ponens pro *conſequente*; ut in alio quoque allegato Rom.

d) Provocat quidem Paulus etiam ad dictum Vet. Teſt. Gal. III. 16. atque ex eodem integram hiſtoriam repetit Gal. IV. 21 --- 26. At in *iſto* loco nonniſi ex unica vocula Allegati, quod cæterum ad Act. III. 25. & ad Gal. III. 8. in Allegatis LII. & CXXIV. jam explicatum fuit; quin ex accidente tantum grammatico hujus unius voculæ, quod ſcilicet in numero *ſingulari* poſita ſit, non in *plurali*, concluſionem quandam elicit: in *hoc* autem proprie nullum dictum allegat, ſed hiſtoriam modo V. T. de *Hagare* & *Sara* earumque filiis, per interpretationem allegoricam ſeu myſticam, in ſuos uſus convertit; quo etiam Allegatum v. 30. pertinet. His autem immorari, pro ſuo ſcopo, neceſſarinm haud duxit b. *Hoffmannus*.

Rom. XV. 10. factum est. Cf. Ps. CXIII. 9. ubi LXX. אֵם־הַבָּנִים שְׂמֵחָה vertunt μητέρα ἐπὶ τέκνοις εὐφραινομένην· quod proprie huc pertinet. 2) עֲקָרָה propriissime exprimitur per στεῖρα *sterilis*; *illud* est ab עָקַר, *exstirpavit*, *hoc* a στερέω, *privo*; c. l. Ps. CXIII. עֲקֶרֶת pariter per στεῖρα vertitur. 3) לֹא יָלְדָה æque ac חָלָה in sqq. est *praeteritum*, ut Jes. LXVI. 8. LXX. vero & Paulus reddiderunt ut *participium*, ἡ τίκτουσα — ἡ οὐδίνουσα· explicantes h. m. locutionem ellipticam textus hebræi, ubi verba proprie sonant: Canta sterilis, *non parit*, non *parturit*. Observant heic philologi ellipsin pronominis relativi: *quae* non parit, *quae* non parturit. Vid. GLASSIUS p. 730. Can. XXII. & enallagen personæ tertiæ pro secunda; quæ non *paris*, quæ non *parturis*. GLASSIUS p. 900. Utramque vero anomaliam feliciſſime evitavit versio per *parti ipium*.

§. II.

4) פִּצְחִי רִנָּה in græco translatum legimus per ῥῆξον καὶ βόησον; פָּצַח nempe significat, *fragorem*, *sonum edere*, seu *erumpere voce sua*. Sumta est metaphora a Spiritu, qui, majore copia arcto incluſus pectori, ibique velut in carceribus detentus, *corde jam* per subitam lætitiam *dilatato* (Jes. LX. 5. coll. 2 Cor. VI. 11.) cum fragore quasi *erumpit*; quam significationem etiam in linguis cognatis obtinere *de Deo* docet. Quid? quod & *graeci* dicant: ῥήσσειν φωνήν, ut ex *Herodoto* probat RAPHELIUS, (cf. ER. SCHMID. ad Marc. II. 22.) & *latini rumpere vocem*, ut VIRGILIUS Æn. L. II. v. 129. it. L. XI. v. 377. quod idem est ac *erumpere in vocem*, velut germani dicunt: *in ein Geſchrey ausbrechen*. Cf. τὸ פָּצַח eodem ſensu Jes. XIV. 7. XLIV. 23 Quis ergo dubitet, imperativum פִּצְחִי recte hic redditum esse imperativo ῥῆξον? Quod vero Paulus & LXX. substantivum רִנָּה, verbo huic subjunctum, itidem, mediante copula καὶ, verbaliter exponunt: καὶ βόησον, cum פִּצְחִי רִנָּה proprie sonet: *erumpe cantu*, in eo quoque nil est vitii: nam *erumpe* & *cantu*, quod textus græcus hic exprimit, idem dicit, quod, *erumpe cantu*, in textu hebræo; & cc. ll. Jes. XIV. & XLIV. פָּצַח LXX. vertunt per βοᾷν.

§. III.

5) וְצַהֲלִי vel translatum censeri debet verbo καὶ βόησον, & tum רִנָּה non habet, quod in græco illi respondeat; vel, quod malim, a Paulo post LXX.

LXX. compendii gratia omissum est, quia revera idem dicit, quod antea jam dictum erat in verbis, רֹנִי – פִּצְחִי רֹנָּה; nam צָהַל, quod proprie notat, *hinnire*, passim metaphorice significat *claram vocem edere*, *jubilare*, e. g. Jes. XXIV. 14. Jer. XXXI. 7. 6) לֹא חָלָה, *non parturit*, cur in graeco redditum sit per participium, οὐκ ὠδίνουσα, supra ad vocem יָלְדָה ostensum est. Jam id unum adhuc observamus, gradationem esse in his duobus praedicatis, *non pariens*, *non parturiens*. Dicitur enim de *sterili*, eam non modo numquam *peperisse*, sed *ne parturiisse* quidem umquam, in quo & illud latet, quod versio Lutheri exprimit, scil. eam nunquam fuisse *gravidam*.

§. IV.

7) Hebraeis: כִּי רַבִּים בְּנֵי שׁוֹמֵמָה, accurate respondent graeca: ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου. A) Hebraeum שׁוֹמֵמָה pro quo v. 6. dicitur עֲזוּבָה, *deserta*, *derelicta*, hic explicandum est pro natura *subjecta*, eodem scil. modo, quo vox *solitudinis* latinis usurpatur pro statu *caelibatus* aut *viduitatis*; sic 2 Sam. XIII. 20. Thamar in domo fratris sui שׁוֹמֵמָה, *caelebs* mansisse dicitur & 1 Tim. V. 5. vidua dicitur μεμονωμένη, solitaria, quod idem est ac ἔρημος, & מְשׁוֹמֵם Esdr. IX. 3. 4. notat eum, qui *in solitudine* est, LXX. autem vertunt ἐρημάζοντα. B) Quum liberi hujus desertae *multi* esse dicuntur, רַבִּים בְּנֵי, πολλὰ τὰ τέκνα, vox רַבִּים manifeste respicit τὸ רַבִּים v. 11. & 12. Cap. praec. LIII. atque id ipsum argumento est, C. LIII. & LIV. intime cohaerere, ut infra pluribus ostendetur. 8) רַבְּנִי בְעוּלָה optime in graeco sic exprimitur: μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα. Nam comparativus gradus hebraeis usitate exprimitur per praepos. מִן vel מִן, appositam rei, cum qua fit comparatio, adjectivo vel, quod ejus vicem sustinet, per se manente. Vid. GLASSIUS p. 582. בְּעוּלָה notat *maritatam*, ut & C. LXII. 4. quandoque additur conjugatum בַּעַל, ut Gen. XX. 3. בְּעֻלַת בַּעַל, *maritata marito*, utrumque vero idem dicit, quod ἔχουσα τὸν ἄνδρα. 9) Clausulam, אָמַר יְהוָה, Paulus omisit, quia jam latet in γέγραπται γάρ. Provocat enim ad *scripturam* tanquam *verbum Dei*. Atque sic negotio conciliationis facile defuncti sumus.

§. V.

Pergimus itaque II) ad vindicias *applicationis*; ubi 1) *scopus Prophetae* investigandus est. A) GROTIUS ad *Hierosolymam terrestrem* refert hanc

hanc prophetiam, in eo præeuntes habens HUGONEM *Card.* & THOMAM *Aquinatem*, medii ævi interpretes, qui Judæis heic post reditum e Babylone filiorum ac rerum abundantiam promitti censent. Iste in *Annott. ad Jes.* & quidem ad verba: *Luda sterilis, quae non paris*, hæc habet: urbs Hierosolyma longo tempore fuerat sterilis, ac sine partu, h. e. deserta, desolata, ut illa locutio exponitur supra C. XLIX. 21. deinde ad verba: *multi filii desertae, magis quam ejus, quae habet virum*: Plenior fies illis urbibus, quæ semper habitatæ sunt, & reges apud se habuere; Hierosolyma longe clarissima urbium orientis Plinio. Cui parhermeniæ jam præluſit in *Annott. ad N. T.* Quod, inquiens, apud Jesaiam dicitur de urbe Hierosolymorum, diu deserta & regno destituta, majorem ejus fore sobolem, quam terrarum semper habitatarum ac regnatarum, id μυστικῶς perquam eleganter ad Evangelium aptat Paulus, quod, Christo prædicante, paucos peperit, eo vitæ mortali exempto, plurimos, ita ut Judæi præ christianis pauci essent. Enimvero recte *Grotio* objicitur a) quod, cum ipse alias perpetuam vaticiniorum Jesaiæ συνέχειαν crepet, atque omnia ad præconceptam suam opinionem, quod Jesaias nonnisi de eventibus ante Christum, vel se adhuc vivente, vel non ita longe post, implendis, vaticinatus sit, detorqueat; nunc ipse cohærentiam invenire non potuerit, sed *interruptam* vaticiniorum seriem statuere necessum habeat, modo ut ingerat suum Jeremiam: Prophetam enim nunc redire ait ad eum sermonem, quem cœperat initio Cap. LII. & mentione injecta Jeremiæ *interruperat*. Per nostram sane expositionem suam prophetico sermoni συνάφειαν optime constare, deinceps patebit; b) amplitudo & excellentia promissorum, quæ Ecclesiæ hic proponuntur, ejusmodi est, ut plane absurdum sit, in contemplatione Hierosolymæ externæ & carnalis heic subsistere. Sunt etiam prædicata quædam, ut v. 11. 12. quæ respectum ad Hierosolymam terrestrem plane respuunt, ut si in ceteris, quod prophetia magnificum atque excelsum habet, tibi volupe sit extenuare, idque referre ad umbratilem illam felicitatem, qua Judæi gavisi sunt temporibus maccabaicis, heic tamen necessum sit hærere ac subsistere, nisi plane te ridiculum facere velis; c) quam incommode Hierosolyma, diu deserta ac postea rursus habitata, μυστικῶς præsignificasse dicatur *Evangelium*, tempore Christi *sterile*, paucos pariens liberos, deinceps vero plurimos, quivis absque monitore intelligit; & num d) Paulus hic promit sensum novum, aut latentem & occultum? Nonne, postquam in antecc. historiam de Hagare & Sara μυστικῶς interpretatus esset, nunc ad testimonium propheticum provocat, secundum sensum communem & in Ecclesia minime ignotum? Quis quæro Apostolum novos

plane ſenſus ac a litera alienos pandentem admiſiſſet, & quæ ſenſu literali, a Spiritu S. directe intento, de reædificatione urbis vaticinatus eſt Propheta, ad *Evangelium*, ejusque virtutem, ſub prætextu ſenſus myſtici, abripi permiſiſſet? e) Chriſtus ipſe hanc prophetiam non corporalia, ſed *ſpiritualia* bona promittere docet, eumque ſenſum, ceu receptum atque communem, in publica concione adverſus Judæos urget; Joh. VI. 45. ex v. 13. C. LIV. Jeſ. quod ipſe ſane GROTIUS in *Annott. ad Joh.* agnovit, per *omnes* apud Prophetam intelligens omnes eos, quibus ſermo Evangelii annunciatur; f) ipſi etiam *Judaei* plus in hoc vaticinio viderunt quam GROTIUS. Vid. CALOVIUS in *B. J. ad h. l.* & VITRINGA in *Comm. ad h. l.* p. 684. col. b. Omnes ſtatuunt, orationem hic continuari de populo judaico in præſente exilio afflicto, & ex eo per Meſſiam liberando. Ac licet in eo turpiſſime errent, quod complementum hujus prophetiæ demum ſperant cum reædificatione Hieroſolymæ per *matrem* apud Prophetam cum Grotio intelligentes Hieroſolymam terreſtrem; in eo tamen Grotio præferendi ſunt, quod ultra Hieroſolymam poſt exilium babylonicum reſtitutam proſpiciunt ad Hieroſolymam, poſt exilium præſens romanum, ſuo tempore reſtaurandam.

§. VI.

Quisnam vero jam B) eſt *verus Prophetae ſcopus?* Reſp. a) poſtquam Propheta C. LIII. luculentiſſime expoſuiſſet myſterium exinanitionis & exaltationis Chriſti, nunc progreditur ad illius *proximum fructum*, ſcil. *amplificationem Eccleſiae* ex acceſſione רַבִּים, *multorum*, quos Pater ipſi in mercedem exantlati laboris promiſerat, v. 11. 12. C. LIII. perinde uti ipſe etiam Chriſtus Joh. XII. 24. hæc duo connectit. Differit autem Propheta de illuſtri hoc eventu *per apoſtrophen* ad *Eccleſiam*, quam repræſentat ſub ſchemate *fœminae ſterilis*, antea ἀτέκνου, poſtea vero πολυτέκνου. Hæc vero Eccleſia b) *non* eſt α) Eccleſia *Judaica* in exilio ſuo hactenus ſterilis, ſed ſuo tempore reſtauranda; *non* β) eadem, quatenus in primordiis N. T. ſterilis ac deſerta fuit, & orba vere fidelibus, *non* γ) Eccleſia *e gentibus* collecta, *e gentibus*, inquam, olim a Deo ſibi relictis, dum interea Judæos ſibi elegit in populum; *non* δ) eccleſia apoſtolica, Hieroſolymis primum ex Judæis ſolum collecta, & vocata ad libertatem, ac mater eccleſiæ liberæ futura, oppoſita eccleſiæ *ſervae* ſub œconomia vetere; *non* ε) eccleſia *patriarchali*, quæ habebat promiſſa gratiæ, ſed ſero implenda; *non* denique ζ) *eccleſia N. T. ex Judaeis & gentibus collecta*, quæ nunquam in ſtatu ſterilitatis fuit, qualis tamen hic ſupponitur: ſed

*) ge-

generatim ecclesia vere credentium omni tempore ac loco. Hæc *sterilis* videbatur tempore *Patriarcharum*. ubi vera Ecclesia intra paucos subsistit, nec non inde a legislatione sinaitica per totum tempus V. T. ubi nullos genuit liberos a servitute legis plane liberos, (vid. Gal. III. 1-3.) cum e contrario Ecclesia Judaica sub œconomia legali filios magno numero pareret ad servitutem. Promittitur itaque h. l. veræ Ecclesiæ, sterilitatem suam deploranti, admirabilis fœcunditas tempore N. T. Cf. Jes. XLIX. 14-23.

§. VII.

Si vero hic sit prophetiæ sensus, facile jam 2) demonstrari poterit, dictum hoc *scopo apostoli* plane accommodum esse. Repræsentaverat veram Dei Ecclesiam v. 26. ut matrem omnium vere credentium; jam probat, hoc non esse ἄγραφον, multo minus ἀντίγραφον, quoniam Jesaias jam eandem depinxerit ut אֵם הַבָּנִים שְׂמֵחָה, h. e. ut lætam matrem multorum liberorum. Inest etiam huic allegato eo major vis probandi, quod Jesaias sine dubio duas istas matres in domo Abrahami, Saram & Hagarem, æque ante oculos habuit, cum hæc vaticinaretur, ac Paulus h. l. adeoque hic interpretationem suam allegoricam v. 21-26. neutiquam proprio suo ingenio debuisse censendus est. Implementum certe hujus vaticinii, saltem quoad initia sua, Paulus jam ante oculos habebat: Ecclesia judaica satis diu fœcunda fuerat, e marito suo, lege sinaitica (Rom. VII. 1.) immensam filiorum multitudinem suscipiens; sed ipsa *serva* non poterat nisi *servos* progignere, & quod plus est, sub initia N. T. suis ipsius filiis, imo magna eorum parte, veram Ecclesiam, hactenus sterilem visam, augere debuit, Act. II. 41. IV. 4. XXI. 20. mox ad stuporem usque ulterius augendam accessione gentium.

Cf. Apoc. VII. 4. 9.

CXXVIII. ALLEGATUM.

EPH. IV. 8.

Διὸ λέγει· Ἀναβὰς εἰς ὕψος ἠχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις.

PSALM. LXVIII. 19.

עָלִיתָ לַמָּרוֹם שָׁבִיתָ שֶּׁבִי לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם׃

VERSIO LXX.

Ἀναβὰς εἰς ὕψος, ἠχμαλώτευσας αἰχμαλωσίαν· Ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώποις.

§. I.

Dabimus I) vindicias *allegationis*, h. e. oſtendemus, textui græco cum hebræo, non obſtante illius ab hoc diſcrepantia, optime convenire. 1) Verbum עָלִיתָ, quod proprie ſonat, *aſcendiſti*, & epitaſin facit ad קוּם, *ſurget* vel *ſurgat* v. 2. hujus Pſalm. LXX. & Paulus reddunt participio ἀναβὰς, *aſcendens*, conſtruentes dein cum hoc participio verbum ἠχμαλώτευσεν, huicque per copulam καὶ ſubjungentes præteritum ἔδωκε. Senſus utrinque idem eſt, licet *aſyndeton*, quod in hebræo eſt, (ubi tria præterita, לָקַחְתָּ, שָׁבִיתָ עָלִיתָ ſe invicem excipiunt ſine copula) hanc habeat emphaſin, ut ſermonem faciat gratulabundum, ad inſtar *odae*, ceu BURKIUS in *Gnom.* ſcite obſervat. 2) לַמָּרוֹם optime translatum eſt, a LXX. & Paulo, εἰς ὕψος. Utrumque per ſe quamvis *altitudinem* notat, מָרוֹם Eccl. X. 6. Jeſ. XXII. 16. XXVI. 5. & ὕψος Eph. III. 18. Jac. I. 9. Apoc. XXI. 16. at ſæpiſſime ſpeciatim מָרוֹם & ὕψος, *cælos* denotat, *illud* Pſ. XVIII. 17. XCIII. 4. CII. 20. CXLIV. 7. Jeſ. XXXIII. 5. LVII. 16. *hoc* Luc. I. 78. XXIV. 49. Paulo certe ἀναβὰς εἰς ὕψος mox v. 10. idem eſt, ac ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν. Hebr. VII. 26. ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν. Epitaſin ergo facit τὸ לַמָּרוֹם ad τὸ עָלִיתָ, ne de *qualicunque aſcenſu* hoc verbum intelligamus, ſed de aſcenſu in altiſſima, i. e. in cœlos, imo ſupra omnes cœlos.

§. II.

§. II.

3) Hebræum שָׁבִיתָ, uti & sequens verbum לָקַחְתָּ, LXX. presse reddiderunt in secunda persona: ἠχμαλώτευσας, ἔλαβες. Est enim in hebræo apostrophe ad *Dominum*, de quo paullo ante v. 18. in 3. pers. sermo erat. Vid. similis apostrophe v. 8. 10. Paulus vero utitur 3 persona, quia schema orationis, quod est in Psalmo, nil jam ad rem faciebat. Ceterum שָׁבָה quidem utrumque notat, captivum *facere*, & captivum *ducere*; sed hic tamen posterior sensus prævalet, quia de Christi ingressu *triumphali* in cœlos sermo est, ut postea patebit. Rectius ergo LUTHERUS vertit in N. T. *gefangen* geführet, quam in V. T. *gefangen*. De verbo αἰχμαλωτεύειν vid. ER. SCHMIDIUS ad h. l. 4) שְׁבִי LXX. & Paulus recte omnino interpretantur αἰχμαλωσίαν, *captivitatem*; num vero captivitas h. l. *active* denotet *captivantes*, sive eos, qui alios antea captivos duxerant, an *passive* nil aliud innuat, quam *captivorum turbam*? controversum est. Sunt, quibus *prior* sensus arrideat, ita enim post alios BURCKIUS in *Gnom.* ad h. l. per *captivitatem* intelligit eos, qui antea alios captivaverant, & quid pervulgatius est, quam שְׁבִי, *captivitatem*, h. l. exponere de hostibus hominum spiritualibus, peccato, morte, Satana, & inferno, qui captivos detinebant homines inde a lapsu Adami, atque perpetim eos ita detenturi forent, nisi Christus, valido isto armato validior, superveniens vicisset eum, totam ejus armaturam auferens & spolia ejus distribuens. Luc. XII. 22. coll. Jes. XLIX. 24. &c. Est etiam locus Scripturæ, ubi omnino שְׁבִי active sumendum videtur *de captivantibus*, scil. Jud. V. 12. ubi in *Cantico Deborae* שְׁבִיֵךְ שְׁבֵה proprie quidem significat: *captiva captivitatem tuam*, sed vertendum esse videtur: *captiva captivantes te*, uti & LUTHERUS vertit: *fange deine Fänger*.

§. III.

At, hoc non obstante, alii b) præferunt significatum *passivum*, ut שְׁבִי *turbam captivorum* notet, & sensus totius phraseos hic sit: *Captivam duxisti*, in triumpho scil. *turbam captivorum*, seu hostes, quos captivasti. Atque hi provocant α) ad usum hujus phraseos in reliqua Scriptura S ubi שְׁבִי constanter *passive* significet *captivorum turbam*, & שְׁבֵה שְׁבִי, *captivum facere* vel *ducere*, e. g Num. XXI. 1. Deut. XXI. 10. 2 Chron. XXVIII. 17. coll. v. 5. Quin & Judic. V. 12. ad quem locum altera pars provocat,

cat, eis haud videtur neceſſe eſſe, שֹׁבְיָה *active* interpretari per *captivantes te;* cum nil impediat, quo minus & hoc loco *paſſive* illud accipiatur, hoc ſenſu: Captivos duc (ſcil. in triumpho) captivitatem tuam, ſeu captivos tuos, quos captivos feciſti. Vid. CLERICUS in *Pentat.* ad h. l. Judicum. Urgent β) *captivare captivantes* hebræis non dici שָׁבָה שְׁבִי ſed שָׁבָה לְשֹׁבִים ut Jeſai. XIV. 2. Addunt γ) *per accidens* quidem eos, qui jam facti ſunt captivi, potuiſſe antea *captivantes* fuiſſe, ut Judic. V. 12. coll. IV. 2. ſed formalem ſignificatum phraſeos, שָׁבָה שֶׁבִי, id non involvere. Atque ſic & h. l. Pſ. LXVIII. captivitatem illam, quam Chriſtus captivam duxiſſe dicitur, revera quidem tales fuiſſe hoſtes, qui alios antea captivos detinuerint, id quod aliunde ſatis conſtet; ſed ipſam phraſin id non inferre, nec שֶׁבִי, quod ſemper paſſivam captivitatem ſignificat, (vid. GEIERUS *ad h. l.*) de activa captivitate, ſeu *captivantibus* intelligendum eſſe. Haud diffitemur, alteram hanc expoſitionem magis ſe nobis probare, uti & GEIERI c. l. & HACKSPANII in *Miſc.* p. 253. calculum meruit. Erant hi viri ſimul & theologi & philologi præſtantiſſimi, quos præ aliis audiendos eſſe nullum eſt dubium.

§. IV.

Putem ex hactenus dictis ſimul c) patere, quid de reliquis hujus phraſeos expoſitionibus ſentiendum ſit? & α) quidem de illa, quando aliqui utrumque ſignificatum, *paſſivum & activum*, conjungunt; plane ſcil. conſentientes nos habent, qui dicunt, hoſtes, quos Chriſtus in aſcenſione ſua triumphans captivos duxerit, שֶׁבִי *captivitatem*, dici, quia priusquam captivi *ducerentur*, a Chriſto erant captivi *facti*, dum eos morte & reſurrectione ſua devicit ac poteſtate ſua privavit, (quorum hoc Col. II. 15. exprimitur verbo ἀπεκδυσάμενος, *illud* a verbis: ἐδειγμάτισεν θριαμβεύσας) ac deinde his, quæ emphaſin phraſeos per ſe jam exhauriunt, ut aliunde non minus certum adjiciunt, quod iidem hoſtes a Chriſto captivi *facti & ducti*, alios antea captivos detinuerint, modo non aſſerant, hoc poſtremum in ipſa voce שֶׁבִי contineri. Quum vero WOLFIUS in *Cur.* p. 88. ſignificationem paſſivam & activam ita conjungit, ut turbam hoſtium ſpiritualium *captivitatem* appellari dicat, quia, ut *ipſi erant captivi*, ita alios in ſocietatem ſuam pertractos tenebant, alienum id nobis videtur. De angelis malis quidem 2 Petr. II. 4. Judæ v. 6. legimus, quod mox a lapſu ſuo certa ratione captivitati addicti fuerint, ſed de peccato, mundo, morte nuſpiam tale quid Scriptura prænunciat, & omnium horum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0278
DFG

rum hostium captivatio præcipue facta est in morte ac resurrectione Christi. Minus adhuc β) nobis se probat illorum interpretatio, qui *captivitatem* exponunt *de hominibus ex omni gente per Apostolos* captivatis, scil. sub obsequium Christi, atque sic vere in libertatem assertis. Viam præivit AUGUSTINUS *T. VIII. opp. in h. l.* rectius tamen sentiens L. 15. *de Trinitate.* C. XIX. Secuti sunt, TH. AQUINAS, JANSENIUS, GENEBRARDUS, & e recentt. JAC. GUSSETIUS, in *Comm. de L. Hebr. p. 816.* Repugnat huic explicationi usus phraseos *captivam ducere captivitatem*, per omnem *Scripturam S.* ubi semper triste quid notat, non vero lætum & optabile. Repugnant etiam loca Matth. XII. 29. & Luc. XI. 22. coll. Jes. XLIX. 24. &c. Col. II. 15. quæ sine dubio locum hunc Psalmi respiciunt. Repugnat denique totum schema orationis, quod repræsentat *hostes* in *triumpho ductos.* Omnium minime γ) admitti potest BELLARMINI ista aliorumque Pontificiorum, ESTII, MENOCHII, P. GALATINI &c. expositio, qui phrasin: captivam duxisti captivitatem, explicant de *Patribus V. T. in Limbo*, quem fingunt, *captivis, sed per Christum inde in cœlos secum evectis.* δ) Recte obvertunt nostri, quod שָׁבָה constanter in scriptura denotet *hostes captivos*, atque hinc solide concludunt: qui non sunt hostes Christi, eos in cœlum non abduxit secum captivos. Atqui sanctæ illæ animæ, quas Pontificii limbo inclusas fuisse perhibent, non sunt hostes Christi, ergo illas secum in cœlum non duxit captivas. ב) שָׁבָה שָׁבִי semper significat, *abducere in captivitatem*, non autem liberare e captivitate, quod scriptura exprimere solet phrasi: שָׁב שְׁבוּת vel הָשִׁיב שִׁבָה, Jer. XXIX. 14. XXXIII. 11. Ps. CXXVI. 1.

§. V.

5) Verbum לָקַחְתָּ LXX. accurate vertunt: ἔλαβες, Paulus autem ἔδωκε. De mutatione secundæ personæ in tertiam supra diximus. Nunc id cum maxime expendendum venit, quomodo verbum לקח verti potuerit per verbum δίδωμι, cum inter *accipere* & *dare* maxima sit differentia? A) Insigniter hac discrepantia abusi sunt R. ISAAC BEN ABRAHAM in suo *Chissuk Emunah* L. I. C. 91. & GUIL. WHISTONUS in *Con. resist. Text. hebr. p. 102. 104. & 316.* *Ille* quidem apostolum Paulum mala fide verba Davidis, ad institutum suum detorsisse, textumque hebræum corrupisse contendit; *hic* vero textum hebræum una cum LXX. corruptionis accusat, eosque ex Paulo emendandos statuit. Enimvero, quod a) ad *Isaacum* spectat, recte illi obvertitur: α) absque omni ratione Paulum

lum torturam textui hebræo adhibiturum fuisse, cum is probet, quod probandum erat, etiamsi τὸ לָקַחְתָּ non permutetur cum ἔδωκε: quid? quod ipse h. m. adversarios contra se armasset, exceptionem malæ fidei in allegando eis suppeditando. β) Cum & Paraphrastes chaldæus לְקַחְתָּ, reddiderit verbo, quod significat: *dedisti*, apud Paulum quoque alia subesse potuit ratio, cur ita verteret, quam quæ illi a Judæo affingitur. b) Quando ex altera parte WHISTONUS textum hebræum hodiernum & LXX. corruptionis accusat, & genuinam lectionem e versione Pauli restituendam putat, multo quidem, sed irrito conatu assertum hoc suum tueri satagit; opponens nobis *Targum*, ubi legitur יְהַבְתְּ, *dedisti*, seu Paraphrasin chaldaicam, versiones *syriacam*, *arabicam* & *aethiopicam*, *Psalterium romanum*, & duas citationes hujus loci in JUSTINI M. *Dial. cum Tryph.* p 258 & 315 Cum enim hi omnes eodem, quo Paulus modo hoc dictum interpretati sint, recte hinc argui contendit, textum hebræum & LXX. aliter olim habuisse, quam nunc habent. Sed nonnisi per saltum hoc inde concludi, facile sic probari potest: α) Paraphrastes *chaldaeus* alibi quoque non *verba*, sed *sensum* sectatus est, id quod eo magis heic locum habuit, quia לָקַח h. l. notionem *dandi* involvit, ceu in sqq. patebit. β) Interpretes *syrus*, *arabs* & *aethiops*, nec non *Psalterium rom. vel* iterum sensum magis quam verba exprimere voluerunt, *vel* eo consilio pro *accepisti* posuerunt *dedisti*, ut versionem suam Novo Testamento accommodarent, *vel* etiam una alterave versio ingratiam N. T. sic interpolata fuit γ) JUSTINUS M. dictum hoc ℵ) non e textu hebræo hausisse censeri potest, quia suam in hebraicis ignorantiam alibi satis superque prodit; ב) Si e LXX. hausit, plus inde non sequitur, quam illius quædam exemplaria ad N. T. interpolata fuisse. ג) Non hausisse e LXX. inde liquet, quod in hac ἔδωκας legisset JUSTINUS, non ἔδωκε. Unde ד) vero simillimum est, eum ex *N. T.* hoc dictum citasse. ה) Si textus hebræus e græco restituendus est, recte quæritur, quodnam verbum τῷ לָקַחְתָּ substituendum sit? Placuit forte WHISTONO GROTII conjectura; qui pro לָקַחְתָּ, *accepisti*, suspicatur primitus forsan scriptum fuisse חָלַפְתָּ, quod proprie quidem significet *distribuere*, quandoque vero etiam *dare*, ut Deut. IV. 19. Hiob. XXXIX. 17. Sed major scripturæ reverentia debetur, quam ut contra omnium Codd. consensum variæ lectiones pro lubitu fingerentur.

§. VI.

§. VI.

Quodsi autem secundum hactenus dicta nec *cum Iudaeis* dicendum est, Paulum mala fide citasse, nec cum WHISTONO, textum hebræum hodiernum corruptum esse, haud immerito jam B) de genuina τῇ ἔδωκε apud Paulum cum hebræo לָקַחְתָּ conciliatione solliciti fumus. a) Argutiæ sunt quando AUGUSTINUS conciliationem in eo quærit, quod Psalmus dicat, Christum *accepisse* dona in hominibus, quia, quæ in corpore suo mystico, h. e. Ecclesia, acceperit, ipse sibi data agnoscat, tanquam illius caput; ignorantia hebraismi hanc interpretationem peperit. Melior, nec tamen solida est b) HIERONYMI illa, Christum, inquientis, in Psalmo dona pro hominibus tantum *accepisse* dico, quoniam, quæ accepit, ut daret, tum *nondum data* erant hominibus; Paulum vero, qui scripserit, cum illa jam data, & in universo orbe Ecclesiæ fundatæ essent, eleganter Christum non dicere *accepisse*, sed *dedisse*. Sua quoque hæc fecit CARPZOVIUS in *Crit. S. p.* 860. Sed recte soliditatem in his desiderat WOKENIUS in *Harm. V. & N. T.* p. 339. quia, quo jure de Christo quoad humanitatem suam, tempore Davidis nondum existentem, dici poterat, eum dona *accepisse*, scil. ob certitudinem rei ex decreto divino, eodem quoque jure, ob eandem rationem, dici potuisset, eum jam *dedisse* dona hominibus. c) ED. POCOKIUS & HAMMONDUS, Angli, verbum לָקַח inter ἐναντιόσημα h. e. contrarios significatus sustinentia, [e]) referunt, & apud Hebræos olim tam in sensu *dandi*, quam *accipiendi* usitatum fuisse putant, instar vocum קְרֵשָׁה, quod & *sanctam* & *scortum* significat, בָּרַךְ quod est *benedicere* & *maledicere*, נֶפֶשׁ, quod & *animam* & *corpus inanime* notat, חֶסֶד, quod & *pietatem* & *rem nefariam* designat, quibus similia ex aliis linguis, *syriaca*, *arabica*, *graeca* & *latina*, adjungit POKOKIUS ad Ps. 68. & HAMMONDUS unum ex *anglica*. Verum alia est ratio harum vocum, quam verbi לָקַח h. l. Illas contextus ad alterutrum solummodo significatum determinat; *hoc* autem utrumque tam h. l. involvit quam in aliis, qui allegari solent, uti mox patebit.

§. VII.

e) Vid. de his ἐναντιοσήμοις Observatio nostra grammatica in Dem. Ev. T. I. p. 17. not. e)

§. VII.

Mallem ſcilicet d) cum aliis, iisque longe plurimis, conciliationem inde repetere, quod Hebræi ament *verba praegnantia*, ubi incluſum latet, ac ſimul innuitur aliud connexum ſeu relativum, quod ad plenam eorum explicationem ſubaudiri debet. Ita enim & hic, *accipere & dare*, ſunt correlata, atque *illud hoc* includit. *Pſalmus* Chriſtum ſiſtit ut dona *accipientem*, pro hominibus, h. e. hominibus danda; *Paulus* autem ut *dantem*, poſtquam accepit, ſeu ea, quæ accepit, dantem iis, pro quibus accepit. Accepit donanda, & accepta dedit. Plura hujus idiotismi, quem *Metalepſin* ſeu *Syntheſin* vocant, exempla dabit GLASSIUS *Ph. S.* p. 747. ſq. Speciatim verbum לָקַח h. m. uſurpatum legimus Gen. XII. וַיִּקַּח, & *aſſumta eſt*, (ſubaudi, *& deducta*) in domum Pharaonis. *Gen.* XV. 9. 10. לִי – קַחָה, וַיִּקַּח – לוֹ, *accipe* ſubaudi & affer) *mihi*; & *accepit* (ſubaudi, & adtulit) *ei*. Cf. Gen. XXVII. 13. Exod. XXV. 2. ut *accipiant*, (ſubaudi, & *dent*) mihi. Coll. C. XXVII. 20. Lev. XXIV. 1. Sicque etiam Judic. XIV. 2. 1. Reg. III. 24. XVII. 10. 2. Reg. II. 20. Hos. XIV. 3. In omnibus hisce locis eſt ellipſis, ſupplenda per aliud verbum, ut, per metalepſin, ex antecedente conſequens intelligatur. Quando aliquid *accipitur*, ut *detur*, tunc verbum *accipiendi dare* ſignificat, eſt ipſius ABEN ESRÆ *Canon grammaticus*, citante GENEBRARDO. BENGELIUS in *Gn. ad h. l.* vocat *locutionem conciſam*, atque in ea hanc præterea emphaſin obſervat, quod ſermone tali conciſo denotetur *actio ſubita*, & in hoc quidem loco *datio*, acceptionem *ſtatim* ſubſequens, ita ut *accipere* danda, & *dare* accepta fere unum idemque ſint. Aſcenſionem mox inſecuta eſt *acceptio*, hancque *datio*, Act I. 4. 5. II. 33. Concinne autem Paulus figuram, quæ in hebræo eſt, ubi *acceptio* exprimitur, & datio ſubauditur, ita invertit, ut, *acceptionem* ſubaudiendam relinquens, *dationem* ſolam exprimeret, quia ſic τὸ ἔδωκε eleganter reſpondet τῷ ἐδοθη & δωρεᾶς v. 7. nec non τῷ ἔδωκε v. 11.

§. VIII.

6) מַתָּנוֹת LXX. & Paulus recte verterunt δόματα; nec dubium eſt, cum totus textus victorem de hoſtibus ſuis triumphantem repræſentet, etiam hoc, quod de diſtributione donorum dicitur, alluſionem eſſe ad morem veterum, quo victores, peracto triumpho, dona ſuis diſtribuere ſolebant. Vid. LIMBORCHII *Theol. Chriſt.* L. 3. C. 25. neque Romanis id tan-

tantum in usu fuisse, sed aliis quoque gentibus, & hebrææ etiam, docent loca Judic V. 20. 2 Sam. I. 24. quin hoc ipso Psalmo v. 13. Jesai. IX. 3. Habent autem dona Christi triumphantis rationem manubiarum seu spoliorum, non quasi *erepta hostibus* distribueret, sed quatenus distribuere illa non poterat, nisi devictis hostibus, non ἀκοντὶ & ἀναίμαντὶ, h. e. *sine sudore & sanguine*. Emphasin quoque habet *numerus pluralis*, quo Propheta utitur; innuit enim *multitudinem, varietatem & magnitudinem* donorum.

§. IX.

7) בָּאָדָם LXX. verterunt ἐν ἀνθρώποις, Paulus ob præcedens verbum ἔδωκε, quo לָקַחְתָּ reddidit, simpliciter ἀνθρώποις. Obs. A) אָדָם non ut nomen *proprium*, sed *appellative*, nec *individualiter*, sed *generaliter* & *collective de omni homine*, seu *toto genere* humano, intelligendum est, quod inter alia etiam indicat *He* emphaticum, cujus character est Kamets sub præfixo בּ; id enim nomini proprio præfigi haud solet. Cf. 2 Sam. XXIII. 3. ubi מֹשֵׁל בָּאָדָם significat dominatorem *inter homines*. B) Præpositio בּ verti potest vel *inter* homines, ut sensus sit: accepisti dona *inter homines* distribuenda: Sic enim illa *inter* significat loco modo citato 2 Sam. XXIII. itemque Jer. XLIX. 15. vel *pro* hominibus, ut designet, Christum accepisse dona *in commodum* hominum, h. e. hominibus distribuenda, quemadmodum בְּךָ & בְּרָוִד 1 Sam. XIX. 3. 4. significat: *pro te*, *pro* Davide. GROTIUS interpretatur *propter*, quod eodem redit. Omittere autem potuit Paulus hanc præpositionem, quia jam involvitur in verbo ἔδωκε. Dedit enim Christus hominibus, quæ *pro hominibus* accepit. C) אָדָם h. l. & שִׁבְיִ in antecc. sunt antitheta; huic tristem & exitialem fore victoriam Christi, *illi* vero lætam & optabilem, Psaltes prædicit. Adeoque *captivitas* non possunt esse homines, magno suo bono captivati sub obsequium Christi, uti statuere nonnullos supra audivimus. Hæ sunt vindiciæ allegationis.

§. X.

II) Subjungimus vindicias *applicationis*. 1) Applicatio hæc est: Exhortaturus fideles Paulus ad *unitatem in spiritu*, ostendit: 1) quænam virtutes eos ad istam servandam possint idoneos reddere, v. 2. 3. 2) quid commovere illos ad eandem quovis modo colendam debeat, v. 4 - 16. Nimirum A) quia maxima gratiæ beneficia habeant inter se communia,

v. 4 - 6. B) quia ipsum etiam discrimen donorum, quod in Ecclesia Christi observetur, ex intentione datoris, unitatem istam nequaquam impedire, sed promovere potius debeat, v. 7 - 16. Speciatim de discrimine donorum ita disserit, ut ante omnia ostendat cœlestem ac divinam originem omnium donorum, quæ sunt in Ecclesia, v. 7 - 10. derivando scil. ista a) generatim a Christo, v. 7. b) speciatim a statu exaltationis ejus v. 8 - 10. Atque sic jam constat *de scopo Pauli*, cui inseruit hoc allegatum: scilicet probare vult illo, omnia dona in Ecclesia esse δωρεὰν τῦ χριςῦ.

§. XI.

Jam 2) quæritur: num dictum hoc probet, quod probandum erat? adeoque applicatio paulina recte se habeat? A) *Judaeorum* alii cum Interprete chaldæo Psalmum LXVIII. totum explicant de *exitu* populi Isr. ex *Ægypto*, ut R. SAL. JARCHI; alii de *praeliis & victoriis* Davidis adversus incircumcisos, ut ABEN ESRA; alii de Judæorum *liberatione* ab *exercitu Sennacheribi*, cum Hierosolymam obsedisset, ut DAV. KIMCHI; rursum alii de *redemtione* ex *captivitate babylonica*; nec tamen inter illos etiam desunt, qui vaticinium de *Messia* in hoc Psalmo haberi agnoscunt, ut ipse SAL. JARCHI observat, *dicunt*, inquiens, *alii, quod hic Psalmus est de diebus Christi futuris*. B) E *Christianis* propius a Judæis absunt ii, qui negant, argumentum Psalmi, secundum *literalem* sensum, esse *Messiam*, Paulum vero comma ejus XIX. ad Christum *accommodasse* tantum, imo *detorsisse* statuunt. a) GROTIUS cum *Sal. Jarchio*, contendit, argumentum Psalmi esse *exitum* populi Isr. ex Ægypto: speciatim vero comma 19. sic interpretatur: *ascendisti in altum* (i. e. a Sinai in cœlum, ut solent reges judicia exercituri, tribunal conscendere. *Cepisti captivitatem* (h. e. ad captivitatem damnasti populos complures, inter eos Madianitas, Num XXXI.) *accepisti dona in hominibus* (i. e. propter homines; accepisti dona ad usum Sacerdotum & Levitarum) addit denique: *Eminentius haec omnia per Christum impleta esse*; & in N. T. ad Eph. IV. 8. *Paulum* ait, *haec ad mysticum sensum traxisse; optime enim hunc locum Christo convenire, qui in cœlum ascendere conspectus sit, deinde per Apostolorum doctrinam vicerit, & velut captivam egerit idololatriam & vitia alia, sumseritque a Patre dona, quae hominibus dispertiretur.*

§. XII.

b) CALVINUS & post illum ENJEDINUS, putat, Davidi in hoc Psalmo propositum esse, celebrare victorias, quas Dei gratia de hostibus

bus adeptus erat; Paulum vero hunc locum (ita expresse *Calvinus* in Psalmum hunc, & ad Eph. IV. 8.) subtilius ad Christum deflectere, ac nonnihil a genuino sensu hoc testimonium detorquere. Ne autem in Paulum nimis h. m. injurius videatur, applicationem ab ipso factam ita defendit, ut in *Comm. ad Eph. IV.* dicat, Apostolum descendere a *genere ad certam speciem*, cum scil. videret, celebrari a Davide triumphum Dei & victorias, quascunque in Ecclesiæ salutem retulerat, merito illum hunc versum *de ascensione Dei* accommodasse ad Christi personam; hunc enim esse præcipuum Dei triumphum, quem ipse umquam egerit, cum Christus, devicto peccato, subacta morte, satana profligato, in cœlum magnifice sublatus est, ut glorioso imperio Ecclesiam regeret. In *Comm. ad Psalmos*, (qui aliquot annis *Commentario in Ep. ad Eph.* posterior est) convenientiorem explicationis modum hunc esse judicat, quod verba, loquentia *de typo*, Paulus *ad antitypum* subtilius deflexerit: sicut per manum Davidis virtutem suam asseruit Deus, ut in altum evectus populum erigeret, ita in filio suo unigenito summam suam altitudinem demonstravit. c) BEZA, MUSCULUS, JUNIUS, PAREUS, Psalmum, quoad sensum historicum, interpretantur *de Davide, arcam fœderis in arcem Sionis traducente*, quæ historia legitur 2 Sam VI 12 sqq. ubi cumprimis v. 19. cum v. 19. Psalmi nostri amice conspirat Congruit etiam, & speciem huic interpretationi conciliat locus Num. X. 35. collatus cum v. 2. hujus Psalmi. d) ANDR RIVETUS in *Comm. ad Psalmos Proph. p. 481.* duas occasiones, quibus Davides motus fuerit ad canendum hunc Psalmum, & quas alii divellant, in unam jungendas putat, ita tamen, ut ab una ad aliam deventum sit, & una sit remotior, altera propinquior, & ex qua immediate ortus sit hic velut enthusiasmus. Censet nim. a Davide scriptum fuisse hunc Psalmum, quum de vicinis hostibus, præsertim palæstinis, victorias reportasset, de quibus agitur 2 Sam. V. quibus domitis & regno constituto cogitavit de arca fœderis Hierosolymam deportanda 2 Sam. VI. In hac publica lætitia Davidem hoc canticum composuisse, id argumento esse, quod initio Psalmi eadem verba usurpet, quæ a Mose proferebantur, cum profectura esset arca ante castra Israelitarum. *Surge Jehovah, & dispergantur inimici tui, fugiantque osores tui a facie tua*, Num. X. 35. Atque hinc porro hunc Davidi finem propositum fuisse existimat, cum caneret hunc Psalmum Domino, ut Deo, in Ecclesiam suam per visibile signum præsentiæ suæ, arcam scil. adventanti, gratularetur, idque eo ordine, ut 1) secundum *typum*, i. e. arcam fœderis, quæ eo tempore Hierosolymam introducebatur, institueretur celebratio, v. 2 - 17. deinde vero 2) secundum corpus & veritatem antitypi,

quum Christus, postquam in carne manifestatus fuit, Ecclesiæ suæ se adjunxit, v. 18 - fin. Facit itaque RIVETUS primam Psalmi partem *historicam*, alteram vero *propheticam*; speciatim v. 19. appellat celeberrimum de ascensione Christi oraculum, idque rem ipsam ostendere ait, & certissimum nobis christianis testimonium Apostoli Eph. IV. Qua in re omnino propius ad veritatem accedit, quam auctores antea memorati.

§. XIII.

Tertia classis Interpretum totum Psalmum *literaliter de Christo* agere contendit, ut post HILARIUM, ATHANASIUM, EUSEBIUM, LUTHERUS, BRENTIUS, BUGENHAGIUS, GESNERUS, GERHARDUS, CALOVIUS, SCHMIDIUS, MICHAELIS, LANGIUS, ZELTNERUS, aliique magno numero. Hi omnes statuunt, & nos cum illis, Davidem heic sensu immediato & literali unice vaticinari de Christo, rebusque N. T. ut-ut in phrasibus, quas adhibet, ad res jam præteritas, quum hanc prophetiam ederet, alluserit, earumque similitudinem cum rebus futuris in animum revocaverit. Solenne enim est Spiritui S. uti verbis V. T. familiaribus, & ex iis, quæ tum nota erant, depromtis, ad insinuanda mysteria N. T. vel etiam comparationem in rebus ipsis instituere, ad illustranda ea, de quibus ex instituto psallit. Certe si *applicationem*, a Paulo factam, attentius consideremus, plane convincemur, *clavem* in ea nobis exhiberi, qua referari queant mysteria citati Psalmi, totamque hanc odam Davidicam, cum in ea perpetua deprehendatur cohærentia, Christum canere & beneficia N. T. Si a) *Grotii* interpretatio valeret, revera hoc allegato Apostolus probandum non probasset. Thesin v. 7. quod gratia, quæ Christianis obtingat in N. T. unice *Christo* in acceptis referenda sit, qui cuique secundum mensuram donationis suæ istam largiatur, probare instituit ex eo, quod, secundum oraculum Psalm. LXVIII. Christus ascenderit in altum, & captivam duxerit captivitatem, ut acciperet dona pro hominibus, eademque, evectus ad dextram Dei, hominibus distribueret, prouti vult. Atqui nulla foret hæc probatio, si Psalmus non ageret de *ascensu Christi in cœlum*, sed de ascensu Dei e monte Sinai, ceu *Grotius* opinatur. Si, secundum eundem, non ageret de donatione donorum, quæ Christus accepturus erat post exaltationem suam, ut donaret ea hominibus, sed de donatione Dei Patris, qui a nullo eadem accepit, nec accipere potuit, perinde ut exaltari non potest; non de donis, quæ sub N. T. distributa sunt, cum Christus post ascensionem suam sec. v. 11. alios dedit Apostolos, alios

Pro-

Prophetas, alios *Evangeliſtas*, alios *Paſtores & Doctores*, donis Spiritus S. eum in finem inſtructos, ut homines per eos accipiant dona Spiritus S. ſed *de donis*, quæ in uſum Sacerdotum ac Levitarum vergebant ſub V. T. non *de aſcenſu*, qui prævium habuit *deſcenſum* in infimas partes terræ, ut Apoſtolus diſerte ait v. 9. ſed de aſcenſu e monte Sinai, in quem prius deſcenderat Deus: non de *tali aſcenſu*, quem ſequitur πλήρωσις τῶν πάντων, v. 10. ſed de aſcenſu *plane alio*, neutiquam ſecum ferente hanc τῶν πάντων πλήρωσιν; non *aſcenſu majeſtatico triumphantis*, quo captiva ducta eſt captivitas ſpiritualis, præpediens donorum diſtributionem, ac ideo captivanda, ut dona darentur hominibus, ſed de aſcenſu quodam Dei *metaphorico* ac improprio, de quo in ſcripturis nil habetur, & cui imputari nequit captivatio captivitatis, quocumque tandem illa modo explicetur. Num enim aſcenſio Dei e monte Sinai *cauſa* eſt captivitatis Midianitarum aliorumque hoſtium, aut quomodo illa cohærent? Ubi *aſcendiſſe* dicitur Deus e Sinai? ubi dona eum pro hominibus accepiſſe legimus, & a quonam accepit? Quomodo in aſcenſu e monte Sinai captivam duxit captivitatem? Nonne hæc omnia partim ἄγραφα, partim male cohærentia, partim omnino ἀσύζατα ſunt? Quodſi autem locus hic de Chriſti aſcenſu explicetur cum Paulo, apprime congruunt & cohærent omnia.

§. XIV.

b) CALVINI interpretationem argumento Apoſtoli itidem vim probandi adimere, facile probari poteſt. Quidquid enim ad fucum faciendum dicit de argumentatione a genere ad ſpeciem, aut a typo ad antitypum, id omne quaſi reſorbet, quando ad Eph. IV. 8. *meram* tandem a Paulo *alluſionem* hic fieri arbitratur. Atqui *non per meram alluſionem*, ſed *ſcopo probandi* Paulum hoc dictum allegare, neque *verba* Pſalmi tantum reſpicere, ſed *ſubjectum ipſum*, de quo Pſaltes agit, digito quaſi monſtrare, ipſa Apoſtoli verba teſtantur, & α) quidem formula allegandi, διὸ λέγει, ubi διὸ eſt particula *ratiocinantis*: *Quia* Chriſtus is eſt, cujus δωρεὰ ſunt omnia dona in Eccleſia, *ideo* David, vel ſcriptura, vel Deus ipſe, per Davidem, in ſcriptura hunc jam deſignavit ut unicum fontem omnium donorum; *vel* v. v. Chriſtus is eſt, *quia*, ſeu, *nam* ſcriptura dicit &c. διὸ enim quandoque ſignificat, *ſiquidem*, *quandoquidem*, *quia*, *nam*, v. g. Jac. IV. 6 æque ac διότι Luc. I. 13. β) ratiocinari h. l. Apoſtolum, cum maxime docet v. 9. ubi ita pergit: Illud, *aſcendit*, (ſcil. de quo David vaticinatur) quid eſt, niſi quod etiam deſcenderat in infimas partes

tes terræ? & v. 10. qui descendit, *idem ille est*, qui etiam ascendit super omnes cœlos, ut omnia impleret. Ex verbo *ascendit* infert descensum, & eum, qui descendit, eundem esse affirmat, qui etiam ascendit; luculentissime h. m. indigitans, Christum esse illum, de quo vaticinatus est David, non alium.

§. XV.

c) Quod ad RIVETUM spectat, licet in eo laudandus sit, quod agnoscat, ea, quæ v. 18. de curru Dei, & v. 19. de ascensione in altum, ac donis pro homine acceptis, dicuntur, nullo modo accommodari posse ulli V. T. historiæ, ne illi quidem de arcæ fœderis in arcem Sion deductione, quæ ipsi videtur respici P. I. hujus Psalmi, ac proinde *necessarium* esse, ut explicentur, *extra omnem typi rationem*, *directe de Deo* tunc in carne manifestando, nunc manifestato, ad quem etiam Paulus v. 19. applicaverit; licet, inquam, in hoc laudandus sit, temere tamen Odam hanc davidicam in duas partes, *historicam* & *prophetic*am discerpit, cum omnino *idem* sit orationis *subjectum* per totum Psalmum: *Is*, qui ascendens in altum captivam duxit captivitatem, & dona pro hominibus accepit, *idem* est *Deus ille*, quem compellat Psaltes, *ut exurgat*, v. 2. 3. *coram* quo *laetari*, & cui cantare jubet, ut Domino, ac *iter facere*, v. 4. 5. qui *educit vinctos* in fortitudine, v. 6. 7. qui dux populi sui erat per desertum, tanquam Deus Israelis, v. 8. 9. qui daturus erat verbum evangelizantibus v. 12. Fatendum est, phrasibus hæc omnia exprimi, historias V. T. redolentibus, sed familiare id esse Prophetis, etiam ubi de N. T. vaticinantur, quis ignorat? f)

f) Satis confidenter quidem *Vir beatus* communem hujus Psalmi interpretationem, quæ eum totum pro prophetico ac *messiano* habet, suam fecit, a qua recentiores plerique, *Celebb.* SEMLERUS, MICHAELIS, STARCKIUS, KAPPIUS, aliique plane discedunt, quorum tamen rationibus nondum moveri potuit b. JOH. JAC. BAUR, quo minus priorem sententiam paucis abhinc annis tuendam in se susciperet in peculiari Diss. in hunc Psalm. Tub. 1775. Nobis non sumimus, hanc componere litem, cujus plena cognitio, ab hoc maxime momento pendet, quid de Pauli allegatione hactenus discussa sentiendum sit. *Die Paulinische Anmerkung* τὸ δὲ ἀνέβη *&c. läßt kaum an einer Weissagung zweifeln*, ait *Ven.* ERNESTI *in der Theol. Bibl. P. X. p. 301.* Constat autem, ipsum hoc allegationum & vaticiniorum de Christo argumentum universum exilius indies videri, sicque etiam tractari negligentius. Etiam in his quisque suo sensu abundet; at eos tamen Psalmi interpretes parum officio suo satisfacere existimamus, qui hanc Pauli allegationem veluti ignorant, quasi non exstaret. Ita lectorem de re, sibi certe momentosa, quærentem sine responsione dimittunt, eumque ipsi inducunt, ut totam interpretationem, quæ difficultates nec videre nec tollere vult, non satis tutam solidamque esse judicet.

CXXIX. AL-

CXXIX. ALLEGATVM.

EPH. V. 14.

Διὸ λέγει· Ἔγειραι ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφάυσει σοι ὁ χριστός.

JES. LX. 1.

קוּמִי אוֹרִי כִּי־בָא אוֹרֵךְ וּכְבוֹד יְהוָה עָלַיִךְ זָרָח׃

VERSIO LXX.

Φωτίζου, φωτίζου, Ἱερουσαλήμ, ἥκει γάρ σου τὸ φῶς, καὶ ἡ δόξα κυρίου ἐπὶ σὲ ἀνατέταλκεν.

§. I.

Disquirendum heic I. An omnino *inter allegata N. T.* referendus sit hic locus? Sunt enim, qui id in dubium vocant. A) HAYMO, Episcopus Halberstadiensis, (Sec. IX. labore suo exegetico in Biblia ex PP. compilato nomen consecutus) dictum hoc tribuit *Spiritui sancto*, Paulo tum scribenda suggerenti. Cum sc. Apostolus dictaret hanc Epistolam, subito per eum hoc locutum esse putat Spiritum, sicut & alia multa. Nec longe abit KNACHTBULLUS in *Animadv.* ad *N. T.* p. 101. qui pariter Spiritum hæc dixisse existimat per Paulum, non per alium quempiam in V. T. quem Paulus citet; addit tamen in formula διὸ λέγει, subaudiendam esse vocem πνεῦμα e. v. 9. quæ expressa habeatur in locutione plane parallela 1. Tim. IV. 1. τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει. Neque ego quidem cum WOLFIO *in Cur.* fraudi hoc esse existimem reliquis a Paulo hic traditis, quasi h. m. reliqua non æque ac dictum hoc instinctu Spiritus S consignasse dicendus foret. Potuit enim Spiritus S. etiamsi omnia inspiraret, ad hoc tamen illudve scribendum *singulari impetu* Apostolum compellere, quod sane in hoc *celevsmate* factum esse, haud incongrue creditur. Interim alia tamen ratio suppetit, quæ formulam διὸ λέγει, sic accipere vetat: quia scilicet, ubicunque illa occurrit, formula allegandi est; e. g. in hac ipsa Epistola Eph. IV. 8. & Jac. IV. 6. Deinde

inde, quis credat, Apostolum, si dicere voluisset, Spiritum S. hoc celevsma novo quasi & fortiore impetu per ipsum jam Ephesiis acclamare, id expressurum fuisse simpliciter hac phrasi διὸ λέγει eo, qui id dicat, haud nominato, sed subaudiendo saltem e longinquo, scil. v. 9. ubi praeterea vox πνεύματος ne quidem genuina, sed φωτὸς legendum videtur MILLIO & BENGELIO: vid. *App. crit.* Accedit, Prophetis quidem in usu fuisse, Prophetias suas armare quasi frequenti ista formula: *Sic dicit Dominus*; sed de Apostolis nil tale legimus.

§. II.

Alii proinde B) διὸ λέγει construunt cum vocabulo φῶς sub fin. v. 13. ita ut Lux, quidquid dein per eam intelligatur, per prosopopoeiam heic representetur tanquam ad surgendum e somno excitans, quemadmodum Hebr. XII. 5. παράκλησις dicatur nobis ut filiis διαλέγεσθαι. Sic BEZA ad h. l. GROTIO, cui per metonymiam abstracti pro concreto, *lux* est *homo divina luce perfusus*, ut v. 8. Paulus hic videtur tali homini verba dare eo digna, i. e. formulam quasi suggerere, ac praescribere, qua sceleratos homines ἐλέγχειν atque ad lucem revocare debeat. Consentit JAC. ELSNERUS in *Obss. SS. ad h. l.* & WOLFIUS etiam *in Cur.* p. 132. sub fin. fatetur, se quoque aliquando in ea fuisse sententia: sed recte is, re curatius perpensa, sibi nunc obstare ait, quod Paulus, hac citandi formula utens, *semper* ad aliquem scripturae locum respiciat.

§. III.

Sunt C) qui Paulum, inquientem, διὸ λέγει, itidem nullum V. T. locum, indigitasse, sed *buccinatorem*, festum novi Anni apud Judaeos tubae sono auspicantem, in mente habuisse existimant, ut qui formula, ei, quam Paulus h. l. adhibet, plane simili, usus sit. Jam isti quidem ad MAIMONIDEM, doctissimum Hebraeorum magistrum, provocant, qui id testetur in opere *jad chasaka* L. I. Tr. V. *de poenitentia*, C. III. §. 6. sed verba sane illius, a WOLFIO *in Cur.* p. 129. allata, docent quidem, quid Maimonides illo buccinae sono subindicatum censeat, nimirum, audientes eum cogitare debere, ac si exciperent praeconis vocem: *Surgite qui dormitis*. & vos somnolenti excitamini e sopore; non vero, quod hac ipsa formula usus sit praeco. Unde miratur WOLFIUS, HOTTINGERUM ad *Goodwini Mosen & Aaronem* p. 601. in hanc sententiam concedere potuisse, quod Paulus haec verba mutuatus sit a buccinatore novi anni; ean-

eandemque AMELIO quoque, i. e. P. ZORNIO, in *der Erört. dunckeler und ſchwerer Schriftſtellen*, P. II. p. 349. ſe probaſſe, id præterea de ſuo addenti, quod, quemadmodum Apoſtolus Epheſiis, olim Judæis, hunc ritum, inter ſuos olim receptum, in memoriam revocaverit, ita ceteris, olim gentilibus, idem proponat, eo quod pagani etiam novi anni natales buccinis auſpicari, & audientes ad cultum Deorum excitaſſe conſueverint. Certe, ſi aliunde non melius probari poſſit, præconem novi anni apud Judæos tali formula uſum eſſe, quam ex Maimonide, Paulum per τὸν λέγοντα iſtum intelligere haud potuiſſe, manifeſtum eſt. Quodſi autem de eo aliunde conſtet, tutius tamen & cum BENGELIO in *Gnom.* ad h. l. hoc tantum dicitur, Paulum, hæc verba e V. T. excitantem, ſimul in mente habuiſſe formulam in feſto buccinarum adhiberi ſolitam, quia fortaſſe illo anni tempore ſcripſerit hanc Epiſtolam, uti & in I. Ep. ad Cor. circa Feſtum Paſchatos ſcripta, ceu conjicere liceat ex C. XVI. 8. ad ritus paſchales alluſerit C. V. 7.

§. IV.

D) Omnium maxime paradoxa eſt GE. LUD. OEDERI ſententia, qui in *Syntagm Obſ. SS.* pariter nullum heic allegatum agnoſcens, p. 711. ſubjectum verbi λέγει facit χριστὸν, in fine verſus commemoratum; Paulumque hic prædicere ait, quomodo compellaturus ſit Chriſtus die noviſſimo unumquemque in terra aut alibi reconditorum, ita ſcilicet: *Evigila, qui dormis, & ſurge de mortuis.* Ultima autem verba: *& illuceſcit tibi Chriſtus*, a reliquis Domini verbis ſeparat, ac Paulo tribuit. Nos jam refutandis hisce cogitatis plane mirabilibus haud immoramur, cum abunde illud præſtiterit laud. WOLFIUS p. 131. ſ.

§. V.

Pergimus potius ad ſecundam claſſem Interpretum, qui *Allegatum* hic haberi agnoſcunt, in aſſignanda vero illius ſede iterum in diverſa abeunt. Singularis hic A) eſt ſententia HEUMANNI, qui *Poeciles* ſuæ T. II. L. II. p. 390. verba hæc a Paulo adducta cenſet *ex hymno aliquo*, in Eccleſiis tunc pie decantari ſolito, metrum trium verſuum in iis ſibi deprehendiſſe viſus. Sed videantur, quæ WOLFIUS ex adverſo monet c. l. p. 130. Pluribus B) in mentem venit, cogitare hic *de Libro aliquo apocrypho.* Hucque pertinet a) HIERONYMUS, ad Eph. C. V. hæc verba *generatim* e libro quodam apocrypho, nullo ſpeciatim nominato, petita exiſti-

existimans. Verba ejus hæc sunt: *Quaerat aliquis, quisnam sit iste, qui dicat: Surge, qui dormis, & exsurge a mortuis, aut cujus testimonio Apostolus sit abusus? & quidem, qui simplici responsione contentus est, dicet, in reconditis eum Prophetis, & his, quae vocantur Apocrypha, haec lecta in medium protulisse, sicut in aliis quoque locis illum fecisse manifestum est, non quod Apocrypha comprobaret, sed quomodo & Arati & Epimenidis & Menandri versibus sit abusus ad ea quae voluerat.* b) Epiphanius *Haer.* 42. hunc locum speciatim apud *Eliam* (h. e. in libro quodam apocrypho, *Apocalypsis Eliae*, seu *Prophetia Eliae* dicto) exstare, ex eoque depromtum esse perhibet. Unde, quod obiter notamus, GROTIUS ad Eph. V. & ex illo COMBEFISIUS ad *Hippolytum de Antichristo* falso hoc dictum ab Epiphanio Jeremiæ tribui dicunt. Quomodo in hunc errorem inciderint, ostendit FABRICIUS in *Cod. Apocr.* N. T. T. I. p. 524 n. (m) c) Teste MONTFAUCONIO in *Diario Italico* p. 212. in Codice Mss. Seculi IX. (qui exstat Romæ in Biblioth. Monachorum ordinis S. Blasii) notatur locus Pauli Eph. V. 14. petitus esse ex Apocrypho *Jeremiae*, atque ex eodem quoque depromtus videtur GE. SYNCELLO, in *Chronico*, p. 27. ut adeo locus hic idem subierit fatum, quod alia N. T. loca. v. g. Matth. XXVII. 9. quem ORIGENES ex *Apocrypho Jer.* petitum suspicatur, in FABRICII *Cod. Pseudepigr.* V. T. p. 815. & 1103. uti contra locum 1 Cor. II. 9. ex *Apocrypho Eliae* desumtum putat. Vid. ibid. p. 815. & 1072. Ex recentioribus de libro apocrypho hic cogitarunt DRUSIVS & SCALIGER in *Scaligeranis* p. 136. item SAURIN, *Sermons* Vol. X. p. 286. C) MENOCHIUS, *Polo* teste, non quidem in libro apocrypho, sed tamen *in canonico*, qui temporum injuria *interciderit*, hoc dictum exstitisse suspicatur. D) *Anonymus Anglus*, in *Annott. latinis* ad Eph. V, 14. p. 142. (cujus WOLFIUS meminit in *Cur.* p. 131) *Christi ipsius* verba heic a Paulo adduci existimat, ut qui ita in perpetuo Evangelii tenore loquatur, forsan etiam ῥητῶς hæc olim dixerit, ut illud Act. XX. 35. nec alienus est ab hac conjectura CARPZOVIUS *Cr. S.* p. 123. ubi διὸ λέγει sic exponit: λέγει, sc. Dominus, non præcise in V. T. sed vel nunc *per me*, *vel Christus in diebus carnis*; qui tamen sententiam mutat. p. 877. Meminit etiam F. E. RAMBACHIUS in *Annott. suis ad Doddridgii Paraphr.* N. T. quorumdam, qui Paulum h. l. ad *officium* Johannis Bapt. digitum intendisse putent, quippe cui id negotii datum fuerit, ut populum Jud. excitaret, atque ad Christum, veram lucem, ablegaret.

§. VII.

§. VI.

Alii E) ad *Scripturam V. T. in universum* lectorem hic ablegari contendunt, ut HEINSIUS *Exerc.* SS. L. I. C. 14. & CALVINUS ad h. l. qui de *omnibus Prophetis* hic cogitat, quorum doctrinæ summa hæc sit: *Expergiscere o! qui dormis.* Alii denique, & rectius quidem F) Prophetiam *Jesaiae* a Paulo respici statuunt, ubi rursum alii a) ad locum *Jesai XXIV. 19.* unice se recipiunt, ut MARTIANÆUS in *Tentam. novae vers. N. T.* p. 365. Quum autem h. l. de corporaliter mortuis sermo sit, & Paulus e contrario spiritualiter mortuis hæc dicta velit, non magnopere id attendendum putem, quod ad literam de cætero haud exigua sit convenientia inter verba Prophetæ: *evigilate cubantes in pulvere*, & Apostoli illa: ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν. Taceo, reliqua Pauli verba in hoc Jesaiæ loco vix habere, quod illis respondeat: unde alii b) huic Jesaiæ loco jungendum putant alterum istum ex *Jes. LX. 1.* Ita CLERICUS ad *Ham. in h. l.* qui, *solet, inquit, Paulus plura loca conjungere, sententiamque eorum potius quam verba proferre: malim sic Paulum interpretari, quam eum, praeter morem, inducere citantem nescio quem librum apocryphum Jeremiae, in quo haec verba fuisse dicuntur.* Consentit BEAUSOBRE in *Notis ad N. T.* & GROTIUS quoque, si omnino allegatum heic statuendum sit, ex his duobus locis eundem prope sensum, quem Pauli verba exhibeant, confici posse arbitratur. HEDINGERUS in *N. T. ad h. l.* etiam addit Jes. X. v. 2. sed obstat huic sententiæ, quod in loco *Jes. XXVI.* verba magis, quam sensus, respondeant loco paulino.

§. VII.

Atqui hinc alii c) in uno loco *Jesai. LX. 1.* acquiescunt, ut GLASSIUS *Ph. S.* p. 2069: ubi h. l. quidem inter eos refert, in quibus mutatio citati textus hebræi tam evidens est, ut locus V. T. certo sciri non possit, sed tamen locum Jes. LX. ob consimilem scopum magis quadrare censet quam alterum Jes. XXVI. Porro WALTHERUS in *Harm. bibl.* p. 1183. CALOVIUS in *B. J. ad Eph. 5.* HACKSPANIUS in *Syll. diss.* p. 575. ALETHÆUS *in den Erläut.* T. II. p. 275. qui τὸ λέγει construit cum κυρίῳ v. 10. E Reformatis FR. JUNIUS, GUSSETIUS, SURENHUSIUS. BENGELIUS pariter huic uni loco inhæret, quamvis, ut supra monuimus, simul respici putet formulam in festo buccinarum apud Judæos adhiberi solitam. Atque sic CARPZOVIUS quoque *Cr. S. p. 877.* GUIL. WHISTONO, qui ex

eo, quod Paulus verba alleget, quorum ne vestigium hodie compareat in V. T. textum hebr. corruptionis arguit, respondet. Imo integer comparet *sensus* Jes. LX. 1. 2. quem ad scopum suum scite accommodavit Paulus; & p. 856. s. allegatum nostrum inter ea refert, quæ non κατα ῥητὸν, sed κατα διάνοιαν e V. T. citantur, unde non lacuna vel corruptio codicis moderni arguenda, sed vis argumenti ex Logica divina Spiritus s. agnoscenda & eruenda sit.

§. VIII.

Nos quod attinet, non videmus, quare ab hac sententia, quæ plurimorum calculum meruit, nobis recedendum sit. α) Quidem, quia sic non deseritur consuetus significatus phraseos, διὸ λέγει, ut quæ variis in locis *formula allegandi* est, ita ut subaudienda sit vox γραφὴ, velut elliptica quoque est Rabbinorum formula citandi: לָכֵן אֹמֵר, propterea dicit, sc. scriptura. Loca, ubi διὸ λέγει sic occurrit, supra dedimus, sc. Eph. IV. 8. Jac. IV. 6. nunc addimus Rom. XV. 10. ss. ubi, postquam v. 9 dictum erat, καθὼς γέγραπται, elliptice sequitur, καὶ πάλιν λέγει, *fine subjecto* & in seqq. bis καὶ πάλιν, sine verbo λέγει, & sine subjecto, γραφὴ: β) quia sic evitari possunt difficultates istæ insuperabiles, quæ reliquas sententias premunt; γ) quia discrepantia textus græci ab hebræo tanta non est, ut eapropter Paulus istum Jesaiæ locum respexisse dici nequeat. Probe scil. observandum est, א) Scriptores N. T. alibi quoque *sensum* magis, quam *verba* exprimere; ב) *Exegetas* sæpe agere in allegationibus suis, ita ut dicta V. T. *luce N. T. collustrata* exhibeant, iisque ex complemento N. T. (quod coram oculis habebant) aliquid addentes, sensum eorum pleniorem reddant, non invito textu V. T. in quo illud obscurius jam latebat. Hinc BENGELIUS solide ad locum nostrum annotat: *Summa* hujus celevsmatis exstat Jes. LX. 1. *Sed Apostolus expressius loquitur, ex luce N. T. atque ut requirit status ejus, qui excitandus est.*

§. IX.

Hisce præmissis jam II) tentabimus *utriusque loci conciliationem.* I) Imperativis *hebraeis*: קוּמִי אוּרִי respondent in *graeco*, sed inverso ordine, imperativi: ἔγειραι, & ἀναστα; Quod A) attinet ad verbum קוּמִי, ipsi etiam LXX. illud Cap. LII. 2. verterunt: ἀνάστηθι; cum e contrario nostro

ſtro in loco non æque bene reddiderint per φωτίζω, *illuminare*, quod proprie reſpondet alteri imperativo אורי præter rem hoc modo geminantes verbum φωτίζω. B) Imperativum אוֹרִי Paulus expreſſit per ἔγειραι, quaſi in hebræo eſſet עוּרִי, quod habetur C. LII. 1. ubi per ἐξεγείρω reddiderunt LXX. Jam VITRINGA quidem poſt Interpretes *chaldaeum & ſyrum*, nec non COCCEJUM, τὸ אוֹרִי non paſſive interpretatur: *illumināre*, ſed neutraliter, *ede lucem*, ſeu *luce*. Verum is ipſe tamen haud diffitetur, 1 Sam. XIV. 27. 29. עֵינַי אוֹרוּ ſignificare: *illuminati ſunt oculi mei*: quemadmodum contra nec nos negamus, neutraliter hoc verbum ſumi Prov. IV. 18. LXX. certe c. l. 1 Sam. XIV. 27. reddiderunt, ἀνέβλεψαν, & v. 29. ἴδον οἱ ὀφθαλμοί μου, quod idem eſt ac: *illuminati & clariores redditi* ſunt, ſeu lumen receperunt, *oculi mei*, qui ſc. præ fame antea caligabant; nam ex inedia tenebræ oboriuntur, ut PLAUTUS ait, in *Curculione*. Si itaque אוֹרִי noſtro in loco ſignificet, *illuminare*; ſtatus vero eorum, quibus hoc acclamatur, erat ſtatus *dormientium*; optime omnino Paulus τὸ אוֹרִי vertit per ἔγειραι, *expergiſcere*, *evigila*: quum enim evigilamus, oculi, qui in ſomno caligabant, rurſus illuminantur.

§. X.

Ecquid autem jam 2) dicendum eſt de additamentis Pauli, ὁ καθεύδων & ἐκ τῶν νεκρῶν, quibus in hebræo nil reſpondet? Juvabit heic ad animum revocare, quæ ſupra ex BENGELIO adduximus, ſc. Apoſtolum hic *expreſſius* loqui, quam Prophetam, prouti ſcil. *requirebat ſtatus eorum*, quos excitare vult hoc celevsmate. Status hominum Evangelii luce nondum colluſtratorum ab ipſo deſcribitur ut ſtatus *tenebrarum*, paullo ante allegatum noſtrum v. 8. 11. & ſuperius in hac ipſa Epiſtola, ut *ſtatus mortis* C. II. 1. qui uterque reſpectus conjungitur C. IV. 18. Quid mirum itaque, ſi Paulus & h. l. in adumbrando miſerrimo ſtatu, e quo evigilandum & ſurgendum ſit, duplici hac metaphora, ipſi alias quoque tam familiari, uſus eſt, occaſione verborum Jeſaiæ, קוּמִי אוֹרִי cum præſertim apud Prophetam quoque C. LIX. quocum arctiſſime cohæret Cap. LX. in vividiſſima illa hypotypoſi ſtatus triſtiſſimi Eccleſiæ Dei utraque occurrat, *v.* 10 ubi multa *tenebrarum & mortis* etiam mentio, e quo ſtatu illam dein ſurgere & evigilare jubet vox divina Cap. LX.

§. XI

§. XI.

3) Verbis hebræis כִּי בָא אוֹרֵךְ וּכְבוֹד יְהוָה עָלַיִךְ זָרָח, quoad *ſenſum*, optime reſpondent græca: καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός. *Haec enim illa* partim in nervum *contrahunt*, partim luce N. T. mirifice *colluſtrant*. Sunt quidem A) qui priora verba: כִּי בָא אוֹרֵךְ, non interpretantur eo ſenſu, quam verba primo intuitu offerunt: quia *venit lux tua*, ſed plane contrario: *quia occidit lux tua*. Ita ex *Judaeis* ABEN ESRA, quando phraſin, ubi בָּא de אוֹר prædicatur, denotare ait *obtenebrationem*, & KIMCHI *in Comm.* qui citat, nec culpat eos, qui בָּא אוֹרֵךְ exponunt per שָׁקַע אוֹרֵךְ, *demerſa eſt lux tua*; & phraſin illam conferunt cum phraſi בָּא הַשֶּׁמֶשׁ *ſol occubuit*, Jeſ. LX. 20. Gen. XV. 12. 17. XXVIII. 11. Lev. XXII. 7. &c. Exprimitur ſcilicet hac phraſi occaſus ſolis, quia is, poſt maximam ſuam a terra noſtra in ſumma exaltatione diſtantiam apparentem, in occaſu ſuo ſenſibiliter ad nos accedit, terramque ac oceanum ſubire videtur. E *Chriſtianis* hæc interpretatio placuit GUSSETIO in Comm. p. 120. & recentius THEOPH. ALETHÆO, loco ſupra cit. p. 280. ſq. qui hac ratione ea quoque, quæ Paulus de *ſomno* ac *morte* dicit, e textu hebræo deduci poſſe exiſtimat, cum apud *dormientem*, & multo magis *mortuum*, revera omnis lux occiderit. Sed recte his opponitur: a) *lucem*, de qua hic ſermo eſt, non eſſe *ſolem* proprie dictum, qui בָּא, *occidere* dicitur ſtilo hebræorum, ſed ipſum *Jehovam*, *Meſſiam*, qui non *occidens*, ſed *oriens* hic prædicatur v. 2. 3. Nimis aperte voci אוֹרֵךְ v. 1. reſpondet vox *Jehovah* v. 2. & vocibus כְּבוֹד יְהוָה v. 1. vox כְּבוֹדוֹ v. 2. itemque verbo בָּא v. 1. verbum יִזְרַח, *orietur*, v. 1. 2. & verbo עָלַיִךְ זָרַח v. 1. verbum עָלַיִךְ יֵרָאֶה v. 2. quam ut אוֹרֵךְ aliud quid, quam *Jehovam* denotare, cum aliqua ſpecie dici poſſit. b) Eadem *lux* intelligenda eſt v. 1. quæ & v. 3. ubi gentes ambulaturæ dicuntur *ad lucem* iſtam, quemadmodum contra v. 3. לִנְגַהּ זַרְחֵךְ manifeſte reſpondet verbis: וּכְבוֹד יְהוָה עָלַיִךְ זָרַח v. 1. c) verbum בָּא merito eodem ſenſu accipitur, quo occurrit C. LIX. 20. וּבָא לְצִיּוֹן גּוֹאֵל intime enim cohærent hæc duo Capp. d) præfixum *vav* in וּכְבוֹד nonni. ſi coacte aliter accipitur, quam *copulative*; ſi vero *copula* ſit, בָּא אוֹרֵךְ & כְּבוֹד יְהוָה עָלַיִךְ זָרַח non poſſunt oppoſita eſſe.

§. XII.

§. XII.

Has ob rationes B) rectius omnino statuitur, vocabulis אור & כְּבוֹד יְהוָה, respondere in græco vocem ὁ Χριστὸς, ac verbis בָּא & עָלַיִךְ זָרַח verbum: ἐπιφαύσει σοι. a) Expressa *Christi* mentio minus erat congrua œconomiæ V. T. sed Paulus, ex *luce N. T. expressius* loqui poterat; & aperte profiteri, *Christum*, quem prædicet, esse *lucem* illam, quam Jesaias venturam, & *gloriam illam Jehovae*, imo *Jehovam ipsum*, quem idem exoriturum prædixerit. Sic N. T. referat mysteria V. T. & *de luce* Jes. IX. 1. XLIX. 6. LX. 19. 20. Mal. IV. 2. cum Joh. I. 4. 5. 9. VIII. 12. XII. 35. 36. 46. & de *gloria Jehovae* Exod. XXXIII. 18. ff. Es. LVIII. 8. & *h. l.* cum Joh. I. 14. Hebr. I. 3. Apoc. XXII. 23. b) in phrasi: ἐπιφαύσει σοι α) *dativus commodi*, σοι, pulchre respondet suffixo כ in אוֹרֵךְ, & voculæ עָלַיִךְ ante verbum זָרַח. β) Verbum ἐπιφαύσει, *illucescet*, nervose repræsentat duo hebræa בָּא & זָרַח; dum enim sol *venit* ac *oritur*, *illucescit*; τῷ ἐπιφαύσκειν vero consequens est *illuminatio* eorum, ad quos venit, & quibus oritur lux illa. Atque hoc posterius exprimit versio LUTHERI Eph. V. Atque sic utrique textui suam constare putem harmoniam.

§. XIII.

Superest, ut III) nonnihil addamus de *applicatione* hujus dicti apostolica. Dixerat Apostolus sub fin. comm. præc. πᾶν τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι, h. e. interprete BENGELIO, *omnis, qui manifestari non refugit, sed provocatus expergiscitur & surgit, fit & mox est lux.* Quis autem non videt, hoc ipsum assertum egregie probari dicto, quod *illuminationem* pollicetur iis, qui *evigilant* e somno suo, & *surgunt* e mortuis? At hic 1) post Judæos GROTIUS nos iterum pro more suo interpellat, totam hanc prophetiam, quoad sensum literalem, nonnisi de *temporali* felicitate populi Judaici, post restitutionem ejus exspectanda, exponens, cui etiam succinit R. A. KOKTUMIUS in *Paraphr.* ad Jes. At vero 2) nos cum meliori & maxima Interpretum parte prophetam heic litteraliter de N. T. vaticinari, tuemur A) ex eo, quod Caput hoc LX. arcte cohæret cum *promissione sub fin. Cap.* præc. *hoc* enim ad tempora N. T. refertur Rom. II. 26. B) Apoc. XXI. descriptio Hierosolymæ cœlestis bonam partem ex hoc vaticinio desumta est. Cf. c. l. v. 23-26. cum v. 19. 3. 11. Cap. LX. Jes. C) Initium Cap. LXI. quod cum LX. intime cohæret, ipso Christo inter-

prete Luc. IV. 17 ff. ad tempora N. T. pertinet. D) Implementum hujus vaticinii in lautiore ſtatu populi Jud. ex captivitate reducis o ſtendi *nequit*. E) Ex ipſis RABBINIS diſcitur, communem in Eccleſia Jud. traditionem fuiſſe, quod Jeſaias de Meſſia, ejusque adventu ac regno heic loquatur. Loca dabit CALOVIUS in *B. I.* p. 314. 317. Quidquod F) ipſe etiam GROTIUS ad Luc. *XXIV.* 47. locum noſtrum de temporibus N. T. intelligat? Si autem quod jam 3) monemus, ad Eccleſiam N. T. ſpectet hæc prophetia, congrue omnino Paulus hoc celevsmate uſus eſt ad excitandos homines ſui temporis; quamvis enim illa non ſit reſtringenda ad initia N. T. ſed ulterius proſpiciat, hæc tamen etiam non ſunt excludenda.

CXXX. ALLEGATVM.

1 TIM. V. 18. [g])

Ἄξιος ὁ ἐργάτης τῆς μισθῆς αὐτῆ

MATTH. X. 10.

Ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτῆ ἐστιν.

LVC. X. 7.

Ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆ μισθῆ αὐτῆ ἐστιν.

§. I.

Quæritur I) *an vere Allegatum habeatur h. l?* Sunt enim 1) qui negant, citari heic a Paulo locum Scripturæ; BEZA statuit Apostolum hoc de suo addidisse: CALVINO is videtur suum heic fecisse *dictum proverbiale*; quod omnibus dictet communis sensus, quemadmodum & Christus, cum idem diceret Apostolis Matth. X. nihil aliud quam sententiam protulerit omnium consensu approbatam. Atque sic ESTIUS quoque dictum hoc ex rebus humanis atque a communi sensu desumtum putat. Consentit WOLFIUS in *Cur.* cui pariter non tam scripturæ quoddam oraculum, quam tritum aliquod inter Judæos proverbium, a Christo quoque Matth. X. & Luc. X. adhibitum, allegari videtur. Tendit huc etiam BENSONI paraphrasis hujus loci. BENGELIUS in dubio re linquit, an Apostolus hoc dictum alleget *tanquam scripturam*, an vero *tanquam proverbium*, etiam a Domino approbatum Matth. X. Luc. X. Enim vero irrefragabile nobis videtur, quod post καὶ & præcc. iterum subaudiendum sit: λέγει ἡ γραφὴ, perinde ut Hebr. I. 10. post illud subaudiri debet, πάλιν λέγει πρὸς τὸν υἱον, e v. 7. & 8.

g) Unum hoc comma duo Allegata complectitur. Sed prius, ex Deut. XXV. 4. desumtum expensum est supra in Alleg. CVIII. p. 145. sqq.

§. II.

Si vero allegatum proprie tale sint verba: *Dignus operarius mercede sua*, merito jam 2) inquirimus in *sedem hujus allegati*. Sunt, qui concedunt quidem, totidem verbis in *V. T.* hanc sententiam non reperiri, sed tamen a Paulo per justam illationem ex locis Lev. XIX. 13. & Deut. XXIV. 14. 15. deductam censent: Ita GROTIUS ad *h. l.* & KESSLERUS in Diss. *de Allegationa dictorum V. T. in novo*, §. 32. Sed dubito, Apostolum, qui modo dictum V. T. κατὰ ῥητὸν adduxit, mox aliud κατὰ διάνοιαν solum adducturum fuisse, & nemo diffitebitur, si dictum hoc ῥητῶς alicubi in s. scriptura demonstrari queat, propriam ejus sedem ibi quærendam fore. Atqui legimus ipsissima hæc verba *Matth. X.* 10. & *Luc. X.* 7.

§. III.

Itaque iis accedimus, qui Paulum ex Evangelio *Matthaei* seu *Lucae* dictum hoc excitasse statuunt. a) Enim congruit chronotaxis Librorum N. T. Evangelium *Matthaei* scriptum est A. Dion. 39. Evangelium *Lucae* A. 46. & 1. Pauli Epistola ad Tim. A. 52. Cum itaque hanc scriberet, jam exstabant duo ista Evangelia. b) Speciatim Lucæ Historiam evangelicam Paulo hoc dictum Christi suppeditasse, verisimile fit ex eo, quod præter scripturam, tota antiquitas Lucam Pauli comitem & ipsi admodum familiarem fuisse testatur, ut adeo istius Evangelium huic non potuerit non præ reliquis notum esse; unde & forsitan factum est, ut verba Pauli exactius textum apud *Lucam* referant quam textum *Matthaei*, qui pro μισθὸς αὐτοῦ habet τῆς τροφῆς αὐτοῦ. Jam vero, licet apprime ad rem nostram faceret, nostrum haud facimus, quod Patrum aliqui tradunt, Lucam Evangelium suum *Paulo dictante* scripto consignasse, huncque, quoties in Epistolis suis dicit: *secundum Evangelium meum*, ut v. g. Rom. II. 16. XVI. 25. 2 Tim. II. 9. semper designare Evangelium, quod a *Luca* nomen habet, ceu TERTULLIANUS & HIERONYMUS volunt. Cum enim ipse etiam *Paulus* Evangelium prædicaverit Gal. I. 11 & *Lucas* C. I. 2. historiam suam se debere profiteatur iis, qui ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου fuere, *Paulus* vero iis accenseri nequeat, haud immerito suspecta nobis est illa PP. traditio. Video quidem BENSONUM ad h. l. speciem huic traditioni conciliare ex eo, quod verba Institutionis S. Cœnæ apud *Lucam* C. XXII 19. quam proxime accedant ad eadem apud Paulum 1 Cor. II, 24. s. sed hoc quidem rem nondum conficit.

§. IV.

§. IV.

C) Cum Paulus alibi, scil. Act. XX. 35. dictum Christi ἄγραφον, quod nonnisi per traditionem ipsi innotuit, alleget, quid obstat quo minus eum h. l. dictum ejus ἔγγραφον, quod in duobus Evangeliistis exstat, citasse credamus? d) Nulla alia auctoritate magis irrefragabili, & quæ omni exceptione major esset, assertum suum *munire* potuit Paulus, quam *Christi*, qui in eadem, qua Paulus, causa hoc dicto usus est. Contra legem V. T. de Levitis excipere quis poterat, eam non pertinere ad ministros N. T. Contra legem de mercede operariis debita; Evangelii ministros non debere mercenarios esse, & contra sensum communem, res humanas non esse normam, cui regnum Christi subjici debeat; sed contra Christi effatum nulli exceptioni locus erat. Atque hoc suppositio omnino etiam e) cum aliis dicimus, *Christum hanc locutionem adagialem calculo suo approbasse*, quin & suum hoc modo cum lege div. consensum declarasse, ut quæ passim operarios mercede sua non defraudandos esse decernit, præsertim coll. Lev. XIX Deut. XXIV. unde & in illa Levitis assignatur fructus operis sui, ut ex altari comederent. 1 Cor. IX. 13. coll. Deut. XVIII. 1. Addimus denique, Christum hoc suo effato etiam consensum suum cum ipsa lege naturæ & sensu communi testatum dedisse f) Quoad summam rei consentientes habemus COCCEJUM in 1 Tim V. PRÜKNERUM in *Vind. Bibl.* ad h. l. FRIEDLIEBIUM in *Theol. Exeg.* N. T. h. l. p. 620. SCHOMERUM in *Exegesi Ep. 1. ad Tim.* WOKENIUM *in Mose Harm.* p. 77. ff. DODDRIDGIUM in *Paraph. ad h. l.* qui & hoc ex erudito quodam Anglo insuper observat, Paulum, ex Luca hoc dictum allegando, eandem illi auctoritatem tribuere cum Mose, ex quo præcedens allegatum desumsit.

§. V.

Quod jam II) *ad allegationem* ipsam attinet, nulla *hujus* cum textu apud Lucam conciliatione opus est; omnia enim exacte conspirant, excepto verbo substantivo ἐστὶ, quod *Lucas* habet; æque autem, juxta genium linguæ græcæ, abesse potest ac adesse. *Matthæus*, ut supra jam annotavimus, pro τῷ μισθῷ habet τῆς τροφῆς, sicque hi duo Evangelistæ se mutuo explicant. Τροφὴν dicit Matthæus, ut ἀυτάρκειαν doceat ministros Evangelii, hique, quod debetur ipsis, ultra jus fasque non extendant: *Lucas & Paulus* pro τροφῆς generalius ponunt μισθὸς, ut ne grex christianus minus liberaliter & restrictius hoc mandatum de alendis

Evangelii ministris interpretetur, sed locus sit generosæ illius charitati erga pastores suos, atque hæc debitum suum metiatur ex *dignitate operis*, quo illi bene de ipso merentur. 1 Cor. IX. 11. - μέγα - Gal. VI. 6. - ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Cæterum, uti *divitiae Cleri Romani* eum Apostolis valde dissimilem reddunt, Ita nec *ordinem mendicantium* heic instituisse censendus est Christus. Act. III, 6. dicit Petrus: *argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine I. C. Naz. surge & ambula!* sed alia postmodum facies erat *Patrimonii Petri*. Festiva etiam est historiola, quam CORN. A LAPIDE narrat in *Comm. ad Acta* p. 94. THOMAM scil. *Aquin.* cum apud Papam Innocentium IV. (aut secundum alios, Gregorium X) esset, hicque magnam auri copiam coram se habens illi diceret: viden Thoma, quod Ecclesia jam non amplius, ut ab initio, opus habeat dicere: *argentum & aurum non habeo*, eidem modeste respondisse: *Ita est sanctissime Pater, sed nec dicere amplius potest claudo: surge & ambula.*

§. VI.

Quod III) ad *applicationem* spectat, omnino dictum hoc Christi, una cum præc. ex lege Mosis probat, quod probandum erat. Dixerat Apostolus v. 17. *Presbyteros, qui bene praesunt*, διπλῆς τιμῆς, *duplici honore dignos habendos esse*, eos maxime, *qui laborant in sermone & doctrina*, adeoque minus vacare possunt opificio & rei familiari. Recte etiam GROTIUS aliique sub duplici τιμῇ intelligi putant non nudam *reverentiam*, sed *maxime benignam* etiam & *liberalem sustentationem*, ut quam solam spectet sequens apostoli ratio v. 18. hæc vero τιμὴ dicitur, quia ministris Ecclesiæ necessaria danda sunt subsidia, non ut eleemosynæ, sed ut *honoraria*. Sic τιμὴ sumitur Syr. XXXVIII. 1. Matth. XV. 6. coll. Marc. VII. 10-12. Act XXVIII. 10. Quod igitur μισθὸς dicitur v. 18. id v. præc. appellatur τιμή, & per consequens dicta v 18. citata omnino faciunt ad probandum assertum 17. De voce διπλῆς, an præcise de altero tanto an laxius de largiori saltem sustentatione accipienda sit, vid. MOSHEMIUS p. 475. s.

IMMA-

IMMANVELIS HOFFMANNI

DISSERTATIO PHILOLOGICO-CRITICA

SISTENS

PAVLVM APOSTOLVM

SCRIPTVRAS PROFANAS TER ALLEGANTEM

NEC TAMEN

IN OMNI LITERATURA GRÆCA VERSATISSIMUM

PUBLICE VENTILATA TUBINGÆ MDCCLXX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0303
DFG

PRÆFATIO.

Sæpe animum subiit cogitatio, qui fieri potuerit, ut inter Eruditos adeo invalesceret opinio illa, qua ex ALLEGATIONIBUS TRIUM POETARUM GRÆCORUM, in scriptis APOSTOLI PAVLI obviis, recte colligi posse statuitur, *Eum in omni litteratura graeca fuisse versatissimum.* Priscos ecclesiæ Doctores aliter sensisse, & ex eo, quod homines *illiterati* fuerint Apostoli, PAVLO etiam non excepto, argumentum potius duxisse pro veritate religionis christianæ, scripta illorum testantur; nec sequiori ætate cuiquam in mentem venit, *magnum* ex PAVLO, cetera vere *magno*, litteratorem, imo polyhistorem, facere; donec recentius demum, superiori scil. & hoc nostro sæculo, eruditi certatim id egerunt, ut eruditionem PAVLI, quantum pote, extollerent, *paucioribus* interim, ne ingratiis magni hujus Apostoli & invita veritate id fiat, metuentibus, sed ob id ipsum, quod merito mireris, criminis adeo blasphemiæ in Spiritum S. per Apostolos locutum, & collusionis cum hostibus religionis christianæ passim accusatis. Nos, hoc non obstante, inter *paucio*res illos nomen nostrum jam professi sumus *in Dissertatione nostra inaug.* de STILO APOSTOLI PAVLI ex 2 Cor. XI. 6. A. *MDCCLVII. edita*, maxime §. VII. & nec dum facti nos pœnitet. Nunc vero ea, quæ *c. l.* de argumento *a triga ista Allegationum ex auctoribus profanis* ducto asseruimus, latius diducere animus est, ita quidem, ut I.) *Allegata ipsa, quoad sensum & scopum* illorum, ex ingenti ista observationum farragine, qua Eruditi eadem obruerunt, justo delectu instituto, illustremus; deinde II.) ostendamus, nonnisi *per saltum* ex iis colligi posse, quod PAVLVS *in omni litteratura graeca versatissimus* fuerit.

§. I.

I. ALLEGATVM.

Quod insigne monumentum *e Theologia Gentilium* continet, occurrit *Act. XVII.* 28: in verbis: Ὡς καὶ τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρηκασι· ΤΟΥ ΓΑΡ ΚΑΙ ΓΕΝΟΣ ΕΣΜΕΝ· Licet haud defuerint, quibus FORMVLA ALLEGANDI: ὡς — εἰρηκασι, non ad illud modo dictum: του γαρ και γενος ἐσμεν, pertinere visa est, sed ad præcedens quoque: ἐν αὐτῳ γαρ ζωμεν, και κινουμεθα, και ἐσμεν· quod itidem ipsis visum est Allegatum esse,

& quidem pariter ex ARATI quodam poëmate deperdito, aut certe ex alio quodam Poëta græco, e schola *Stoicorum*, quam omnino hæc verba sapiant; nobis tamen, quo minus assentiamur, obstat: α) quod Apostolus in *seqq.* ipsissima Poëtæ verba allegat; *priora* autem verba, ut *speciem Allegati* induant, *ad metri leges* demum aptanda sunt, vel *hoc modo*: ἐν δ' αὐτῳ ζωμεν, και κινεμεθα (ad analogiam του· ἀρχωμεθα apud ARATVM *versu primo*) και ἐσμεν. vel *sic*: ἐν Δι γαρ ζωμεν κ. τ. λ. Nulla certe allegari potest idonea ratio, cur *Apostolus*, aut *Lucas*, duo Poëtarum loca excitans, in *altero* metri leges neglexerit, & *disjecti membra Poëtae* tantum dederit in *altero* autem metrum retinuerit. β) *Stoam* hæc verba nequaquam sapiunt, si recte intelligantur, sc. ad mentem Apostoli, qui nil aliud, velut contextus docet, iis probare intendit, quam Θεον ου μακραν απο ενος εκαστου ἡμων ὑπαρχειν v. 27. Verba sic *per se* optimum fundunt sensum, licet SPINOZA & HOBBESIUS illis pessime abusi sint: *ille* quidem in *Epistola XXI.* ad *Oldenburgium* data, ubi diserte ad hæc PAVLI verba provocat; *hic* autem *Append. III. ad Leviath. Omnes*, inquiens, *sumus & movemur in Deo, sunt verba Apostoli; quantitatem autem habemus omnes; an quantum inesse potest in non-quanto?* Firmum itaque manet, nostro quidem judicio, Allegatum quæri tantum debere in verbis: του γαρ και γενος ἐσμεν· *Unde* autem I.) hanc sententiam hauserit PAVLVS, & II.) *quo sensu* ac *scopo* eandem suam fecerit? disquirendum jam erit.

§. II.

I) *Fontem*, unde hauserit Apostolus dictum hoc, is ipse, generalius licet, indicat verbis: ὡς και τινες των καθ' ὑμας ποιητων εἰρηκασι, *quemadmodum & quidam* vestratium (hoc enim vult το· καθ' ὑμας, ut Act. XVIII, 15. νομου του καθ' ὑμας idem est, ac Legis *vestratis*) *Poëtarum dixerunt.* A) Dubitari heic posset, num vox ποιητων genuina sit? omittunt enim illam ÆTHIOPS, COPTUS, JRENÆUS, AMBROSIUS, AUGUSTINUS, & *Codex Cantabrigiensis*, uti post MILLIUM BENGELIUS observat in *App. crit.* unde & *hic* lectionem hanc in margine *per signum* γ æqualem declarat lectioni textus; in *Gnomone* autem voculam ποιητων plane omittit, PAULUM *poetae* vocabulo graviter abstinuisse censens; verum aliis auctoritates allatæ non videbuntur tanti esse, ut γνησιοτης vocabuli, pro qua omnes reliqui Codices & optimæ Versiones militant, propter illas in dubium vocari debeat, & usus illius *a gravitate* apostolica forte non magis alienus est, quam nomen φιλοσοφοι supra *v. 18. h. c.* Epicureis & Stoicis, aut nomen προφητης Epimenidi ad Tit. I. 12. tributum. E *poeta* certe Apostolum hanc sententiam desumsisse negari nequit.

§. III.

§. III.

Si autem a) quæratur: cuinam *poetae*, vel quibus *poetis*, illam debuerit Paulus, recte *a*) respondetur, quod ARATUS sit poeta ille, quem Paulus heic *potissimum* respiciat. Observentur seqq. *a*) *Patriam* habuit ARATUS Solas, Ciliciæ urbem, CALLIMACHO & STRABONE teste, ut adeo PAULI *conterraneus* fuerit; *vixit* autem erudito admodum seculo, scil. tempore PTOLEMÆI *Philadelphi*, atque ANTIGONI, quocum familiariter conversatus est, adeoque CCC. propemodum annis ante N. C. Exstat e scriptis ejus poema heroicum celebratissimum, sub tit. Φαινομενα, CICERONE judice *libro I. de Oratore*, optimis ornatissimisque versibus scientiam siderum complectens; unde & OVIDIUS *libr. I. Amor. Eleg. 15.* de illo canit: *Cum sole & luna semper* ARATUS *erit*; eundem HESIODI imitatorem jam olim agnovit CALLIMACHUS, & hinc inde animadvertit GROTIUS *in notis*; Ζηλον ὁμηρικον in *Arato* prædicat SUIDAS, eundemque ποιητην ἡδεν ἀδοξοτερον του Ὁμηρε vocat MAXIMUS TYRIUS. Plura ejus elogia congessit BARTHIUS *Adversf. libr. I. C. XV.* Factum hinc, ut tot Græcorum eruditi commentationibus suis hunc librum illustrarent, quorum indicem dabit J. A FABRICIUS *Bibl. Graec. libr. III. C. XVIII. p. 454. sq. Latino* carmine illum reddiderunt CICERO, adolescentulus admodum, ut testatur ipse *L. II. de natura Deorum*, GERMANICUS CÆSAR, & AVIENUS; edidit quoque GROTIUS A. MDC. sedecim vix annos natus, Συνταγμα *Aratecrum*, in quo leguntur Græca cum fragmentis metaphraseos Ciceronianæ, GROTII ingenio, ubi deficiunt, suppletis, *metaphrasis* GERMANICI & AVIENI, omnia cum notis GROTII; nitidissima vero hujus poematis editio illa est, quæ Oxonii prodiit A. 1622. cum scholiis græcis emendatioribus, curante J. FELLO, *Oxonienſi* postea *Episcopo*. *β*) In hoc poemate & quidem ejus *Proœmio*, *versu 5.* ipsissima verba legimus, quæ PAULUS adducit: του γαρ και γενος ἐσμεν· Ita enim poeta mox ab initio canit:

Ἐκ Διος ἀρχωμεθα· τον ὐδεποτ', ἀνδρες, ἐωμεν
Ἀρρητον. μεσται δε Διος πασαι μεν ἀγυιαι,
Πασαι δ' ἀνθρωπων ἀγοραι· μεστη δε θαλασσα,
Και λιμενες. παντη δε Διος κεχρημεθα παντες,
Του γαρ και γενος ἐσμεν· Hoc est:

A Jove ordiamur, hunc nunquam, o viri, finamus indictum! Jovis enim omnia plena, plateae, & conciones hominum omnes, mare ac portus; omnes enim Jove utimur; (fruimur) ILLIUS ENIM GENUS SUMUS; quæ GROTIUS metrice sic expressit:

Ab Jove Musarum primordia: semper in ore
Plurimus ille hominum est, qui compita Numine magno
Conciliumque Virum complet, pelagusque profundum,
Et pelagi portus: fruimur Jove & utimur omnes,
Nos genus illius.

§. IV.

Ecquis jam γ) dubitet, ARATI esse, quæ Paulus hic excitat, verba? κ) enim Allegatio exactissime, ac ne literula quidem mutata, dictum ARATI refert, quod de nullo alio græcorum Poetarum loco, qui in censum venire heic posset, asserere licet, ut deinceps patebit. λ) cum ARATUS, æque ac Paulus, *Cilix*, & poema ejus, uti apud exteros, ita sine dubio non minus apud ejusdem cives in pretio fuerit, plus quam verisimile est, Paulum *Tarsi* jam in conversatione sua cum gentilibus dictum hoc illius audivisse. μ) Paulus in reliquo etiam contextu passim ad hoc ARATI proœmium alludere videtur; ecquid enim aliud dicit Paulus v. 25. προσδεομενος -- παντα, quam ARATUS in verbis: παντη δε Διος κεχρημεθα παντες· *Is* inquit, Deus nostri non indiget, *hic*, nos Deo indigemus; ecquid est, quod Paulus asserit v. 27: ὃ μακραν -- ὑπαρχοντα & v. 28. ἐν αὐτω ζωμεν κ. τ. λ. nisi quod ARATUS sic exprimit: μεσαι δε Διος κ. τ. λ. ν) ARATI esse hoc hemistichion, CLEMENS ALEX. *Strom. lib. I. p. 315.* HIERONYMUS *Ep. ad Magnum*, & *in Gal. IV.* & *ad Tit. I.* it. CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, aliique statuunt. Neque ξ) dimovere nos ab hac sententia debent, quæ nonnulli objiciunt: 1) Obj. *Autorem Anonymum vitae Arati* totum Proœmium suspectum reddere, quando dicat: Φερεται δε τα Φαινομενα ὑπο μεν τινων ἀπροοιμιαστα· h. e. perhibere quosdam, ARATUM phænomenis suis nullum præmisisse Proœmium, sed statim a re ipsa carmen suum exorsum esse; quod si verum sit, verba nostra omnino esse suppositicia, neque ARATO tribuenda. Sed recte *) respondet idem ille *Autor* Anonymus, ἀπροοιμιαστον dicere hoc poema prorsus indecens esse, & indignum tam poetæ hujus elegantia, quam dignitate argumenti; certe si *Homerum* & *Hesiodum* imitatus est, non potuit non ad horum exemplum proœmium præmittere. **) Ipsa illa *MSta*, quæ hoc exordium haud habent, aliud tamen exhibent, cui vero reliqui codices omnes reclamant. 2) Opponi posse videtur, quod Paulus, *Athenis* in Areopago verba faciens, non obscure in formula allegandi, qua usus est, significet, innuere se Poetas *Athenienses*, cum dicat: quidam *vestratium* poetarum; jam vero ARATUM nullo modo *Athenienſium* Poetam dici posse,

ideo-

ideoque forsan CLEANTHEM potius innui, qui diu *Athenis* vixerit docueritque, *Zenonis* quippe, quem per undeviginti annos audierat, in Porticu Athenienſi ſucceſſor; in *hujus* enim *Hymno ad Jovem* (quem RAD. CUDWORTH Syſtemati ſuo *intellectuali univerſi* integrum inſeruit *p. 515. Edit. Mosheim.*) mox *verſu quarto* hanc eandem ſententiam legimus: ἐκ σου γαρ γενος ἐσμεν, *omnes tua namque propago nos ſumus.* Sed reſp. *) Vero haud abſimile eſſe, quod ARATUS quoque Athenis aliquandiu vixerit, audiiſſe enim Perſeum, Philoſophum Athenienſem, huncque, Athenis ad ANTIGONUM in Macedoniam migrantem, comitatum eſſe, AUTOR *Anon.* vitæ ARATI refert; ſi vero hoc non arrideat, certe **) *graecus Poeta* fuit ARATUS, ac eatenus *Athenienſium*, qui principatum in Græcia affectabant, *Poeta* appellari potuit, æque ac CLEANTHES, qui pariter non erat *Athenienſis*, ſed *Aſſius*, ex *Aſſo*, *Æolidis urbe.*

§. V.

Perſiſtendum itaque putamus in recepta ſententia, quod ARATUM præcipue allegaverit Paulus; *praecipue*, inquam, nam *alios* tamen non excludi debere, docet *b*) phraſis: τινες των ποιητων. Cum enim Paulus alibi, ſcil. ad Tit. I. 12. ubi *unius* tantum *Poetae* verba citare voluit, τις in *ſing.* dicat, hic vero in *plur.* τινες. ex hoc plurali recte arguimus, Pauli animo, cum hæc diceret, *plures* Græcorum Poetas obverſatos eſſe, licet proprie ARATUM modo allegaverit; hujus enim ſolius ſunt *verba*, prout ab Apoſtolo ſunt prolata, quamvis *ſententia*, illis expreſſa, pluribus aliis communis fuerit. Exiſtimarunt proinde FABRICIUS *Bibl. Gr. l. III. p. 397 ſq.* WOLFIUS *in Cur. p. 1267 ſq.* ELSNERUS, AMELIUS, (*P. Zornius*) *Paulum ad* CLEANTHIS ſimul dictum, ſupra memoratum, reſpexiſſe, quod utique majorem cum *Arateo* convenientiam habet, quam *Homericum* illud, ubi Jupiter appellatur πατηρ ἀνδρων τε Θεων τε, *hominum Pater atque Deorum*, quod EUTHALIUS juxta cum *Arateo*, reſpici putat; neque vero hi tres Poetæ tantum homines Deorum, & Jovis inprimis, genus dixere, ſed *alios* quoque Autores, tam *graecos*, quam *latinos*, in eandem ſententiam diſſeruiſſe legimus; ita PYTHAGORAS *in Carminibus aureis v. 63.* Θειον γενος ἐςι βροτοισιν, *divinum genus eſt hominibus*; & Philoſophos græcorum quandam του Θεου και ἀνθρωπων συγγενειαν, *Dei hominisque cognationem*, ſtatuiſſe, docent loca ex EPICTETO, quæ RAPHELIUS allegat *in N. N. Polyb. p. 359 ſq. & 454 ſq.* *A Graecis* vero migravit hæc ſententia ad *Latinos*; ſic enim LUCRETIUS canit L. II. v. 990 ſq.

Denique cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi,
Omnibus ille idem Pater eſt.

Atque sic M. ANTONINUS quoque agnovit in homine το τῳ Θεῳ ὁμογενες L.V. §. 21. Loca autem e CICERONE dabit LINDHAMMERUS *ad h. l.*

§. VI.

Hisce præmissis II) *ipsam* nunc sententiam expendere juvabit, & 1) quidem, quomodo ARATUS illam intellexerit? 2) quo sensu PAULUS illam adhibuerit? Quod 1) ARATUM attinet, dispiciendum *partim*, quid per *Jovem* intelligat? *partim*, qua mente *nos genus esse illius* asseveret? A) Nomen Ζευς, (cujus genitivum Διος versu primo habemus, quemque respicit articulus του in verbis, του γαρ και γενος ἐσμεν, positus quippe loco pronominis relativi, αὐτου, vel demonstrativi, τουτου more poetico, uti τον v. 1. pro τουτον) recte derivatur a ζην *vivere*, ut Ζευς dicatur, δι' ὀν ζην ἀει πασι τοις ζωσιν ὑπαρχει, quam etymologiam PLATO etiam comprobat in *Cratylo*, AUTOR anon. Vitæ ARATI, & Autor Etymologici M. Distinguit vero EUSTATHIUS ad *Iliad. α. p. 128. Jovem* ἰσορημενον, μυθολογημενον, & ἀλληγορημενον. Ad ἰσορημενον refert 3. Reges, *Jovei* dictos, a quibus mos invaluit, ut omnes Reges dicerentur *Joves*, v. g. Ἀγαμεμνων Ζευς, Ἑκτωρ Ζευς. Talem vero Jovem ARATUS intelligere non potuit, cum Jovi suo tribuat siderum creationem; Jupiter μυθολογημενος ille est, de quo tot monstrosa facta, tot turpes metamorphoses, tot scelera etiam, confinxerunt Poetæ, ut merito a LUCIANO aliisque sapientioribus inter gentiles Scriptoribus explosus fuerit. Jam ARATUS quidem hunc Jovem μυθολογημενον non ignoravit, & e mythologia quædam carmini suo inseruit, sed fortasse magis, ut Poetarum mori aliquid daret, & materiam nimis philosophicam magis poeticam redderet, quam quod nugas istas seria mente amplexus sit; hoc enim de ipso credere vix permittunt ea, quæ mox ab initio carminis de Jove suo disserit. Restat ergo ut ARATUM intellexisse dicamus Jovem ἀλληγορημενον. Cum vero ex mente veterum *Jupiter* in mythologia nunc repræsentaverit *Deum ipsum*, scil. summum illum, ac rerum omnium causam, nunc *aliquid in Deo*, quod προνοιαν aut μοιραν, *providentiam* seu *fatum* dixere, nunc *mundum*, nunc *animam* mundi, dubium est, quamnam harum notionum vocabulo *Jovis* subjecerit ARATUS? Nobis sic videtur: cum negari nequeat, emunctiorum nasium gentiles unum reapse Deum credidisse, licet consuetudine, tanquam rapido torrente, ad plurium cultum abrepti fuerint, id quod PHIL. MORNÆUS *de Ver. Rel. Christ. Cap. III. toto* prolixe confirmatum dedit ex Philosophis Pythagoricis, Socraticis, Platonicis, Peripateticis, itemque ex Poetis, nil sane obstat, quo minus ARATUM quoque ex eorum numero fuisse credamus, si præsertim attentius expendamus, quæ in proœmio

mio suo de Jove canit: R. CUDWORTHUS certe *c. l. p. 563 sq.* satis magnifice de hoc *Arati* testimonio sentit; ac licet *Doctiss. Annotator* ad eundem, *Ill.* quondam MOSHEMIUS, *ibid. n. 8. p. 594.* (postquam fassus esset, Aratum in *exordio* carminis de Jove multa præclare splendideque canere, quibus facile adduci possit aliquis, ut multitudine multo rectius & sapientius Poetam hunc de rebus divinis judicasse constituat) mox tamen ex reliquo carminis contextu probare satagat, ARATUM de Jove suo, quem paulo ante universitatem rerum replere, sideraque condidisse dixerit, deinceps tradere, illum in monte Ida educatum, a Curetibus nutritum, & Saturni filium esse, eaque ratione satis prodere, infimæ multitudinis religionem suam quoque fuisse: *nobis* tamen plus inde sequi haud videtur, quam quod ARATUS sibi male constiterit, & a Jove ἀλληγορεμένῳ quandoque delapsus sit ad μυθολογ υμενον; quod *posterius* forte genium poeticum magis redolet, quam *prius*, ut proinde dubium adhuc sit, an de religione ARATI, & vera animi de Jove sententia, ex *isto* potius quam ex *hoc* judicium ferri debeat? Veritati in animo sapientiorum e gentilibus latenti multa aliena admixta, &, quæ se invicem jugulent, ab iis dicta aut scripta fuisse, nemo mirabitur, qui, quæ PAULUS *Rom. I. 19 - 23.* hac de re disserit, probe considerat.

§. VII.

Posito certe, quod Poeta *Jovis* nomine indigitaverit Deum unum ac summum, B) conjectu haud difficile est, quo sensu homines *genus illius* esse dixerit, sc. partim ob eorum *ortum ex Deo*, partim ob *similitudinem cum Deo*; quod *a*) *ortum ex Deo* attinet, notum est, multos veterum Philosophorum credidisse divinum hominis ortum, quamquam sæpius crude satis suam hac de re mentem expressérint; audivimus Principem Poetarum, *Homerum*, Jovem appellare *hominum patrem atque Deorum*; alii hominem, & animam inprimis, vocarunt ἀποσπασμα Θεου, aliquid *ex Deo decerptum*, seu, ut latinus Poëta expressit, *divinae particulam aurae*, atque hæc notio, cruda licet, fœcunda tamen apud eos fuit variorum porismatum nobilissimorum. Ita enim EPICTETUS v. g. l. II. C. 8. ait: συ ἀπ σπασμα ἐι του Θεου, ἐχεις τι ἐν σεαυτῳ μερος ἐκεινυ Τι ὁυν ἀγνοεις σου την ἐυγενειαν; τι ὐκ ὀιδας, ποθεν ἐλλυθας; h. e tu *decerptus* es ex Deo, habes in te *partem* quandam illius; cur ergo ignoras *nobilitatem* tuam? cur haud nosti, *unde* veneris? Plura dabit RAPHELIUS *loco* supra *citato*. *b*) Ortum hunc ex Deo quandam hominis *similitudinem cum Deo* ponе sequi, iidem docuerunt, eamque vel *connatam*, vel *acquisitam*; *illam* ponebant *partim* in eo, quod anima hominis *spiritualem* ex Deo *naturam* habeat,

beat, *partim* in eo, quod *intellectu & voluntate* prædita sit, *partim* in ejus *immortalitate; hanc* vero, quoad *intellectum*, in cultura ejus per varias artes ac scientias, unde eos, qui has excoluerant, vocare solebant Θεους, θειους, δαιμονιας; quoad *voluntatem*, in studio virtutis; hinc PLATO dixit: *summum bonum est, Deo, quantum potes, similem fieri: similis autem ipsi fies, si justus sanctusque cum prudentia fueris*, quæ græce vid. in GROTIO ad *Matth. V. 48.* Quin & *corpus hominis*, quod alias *vinculum*, *carcerem*, & *sepulcrum* animæ vocabant, *aliquid* tamen *divinitatis* ab anima participare haud negabant; ita enim PROCLUS ait in *Instit. Theol. Platonicae C. 129.* Omne *corpus* est *divinum* per animam ἐκθεσμενην, *sanctificatam* & quasi *deificatam*; unde & MACROBIO corpus humanum *rerum divinarum fex* appellatur, *de Somn. scip. L. 1. C. XII.* Hæc omnia complectitur ξυγγενεια illa, seu *cognatio*, quam Platonici Deum inter ac homines esse tantopere jactitabant, hancque ARATUM quoque in animo habuisse verisimile est, quando homines του Διος γενος esse cecinit.

§. VIII.

Jam porro quæritur: 2) quo *sensu* & *scopo* PAULUS hanc sententiam adhibuerit? A) quo *sensu*? Atque hic quidem certum est: *a*) si in mente ARATI nobilissimæ cetera veritati, quam verba ejus continent, alienæ quædam ac impuræ notiones admixtæ fuerint, omnino *verba* tantum Poetæ, *non sensum* ejus, PAULUS adoptasse censendus erit; veritatem in iis latentem suam fecit, non mendacium, quod ex philosophia platonica illis forte adhæsit; porro *b*) si etiam ARATO, cum hæc caneret, sana mens fuerit, ex PAULI tamen mente illa Deum inter ac homines συγγενεια longe plura, & augustiora quoque, complectitur, quam ARATUS, revelatione destitutus, cogitando umquam potuit assequi. *a*) Quæ ARATUS de *ortu hominis ex Deo* subobscurius vidit, ea tanquam in solis disco posita exhibet S. Scriptura, quando Gen. I. 26. 27. II. 7. creationem hominis *ad imaginem Dei* describit, ac in specie Deum illi spiritum vitarum, h. e. *animam*, inspirasse memorat, quam propterea PRUDENTIUS scite *divini oris opus* appellat; pertinet huc etiam illa Dei nomenclatura, quando Num. XVI. 22. *Deus spirituum omnis carnis*, & Hebr. XII. 9. *Pater spirituum* dicitur. *β*) Quæ de hominis *similitudine cum Deo* philosophati sunt gentiles, ea longe dilucidius exponit verbum Dei, quoad *concreatam* docens, hominem esse conditum ad *imaginem* Dei; quoad *acquisitam* vero, spem nobis faciens de recuperanda imagine Dei, per lapsum amissa, *Eph. IV. 24. Col. III. 10.* & nova κοινωνια θειας φυσεως *2 Petr. I. 4.* Et quis dubitet, PAULUM hæc omnia complexum esse verbis v. 29. γενος ουν υπαρ-

χοντες

γονῆς τῦ Θεοῦ, non Διος, uti ARATUS loquitur; ſapienter enim ab ethnica hac nomenclatura abſtinet, licet, quod obiter notamus, JO. SELDENUS *de Diis Syris p. m.* 203. Deum O. M. *Jovis* ſ. Διος vocabulo *pie* deſignari poſſe, hoc ipſo PAULI exemplo evincere velit.

§. IX.

Hoc ipſum vero comma 29. B) etiam docet, *quo ſcopo* ſententiam hanc Arateam adhibuerit PAULVS: ſcil. ad refutandam *idololatriam*. Argumentum Apoſtoli hoc eſt: Quicquid *ejusdem generis* eſt cum homine, id non debemus exiſtimare, auro, ſ. argento, ſ. lapidi arte ſculpto, & invento hominis ſimile. A. Deus eſt ejusdem generis cum homine; (& viciſſim homo ejusdem generis cum Deo.) E. non debemus exiſtimare, Deum eſſe ſimilem auro, &c. *Minorem* probat ex ARATO, & quod ille παχυλως de *Jove* dixit, id PAULUS ad verum Deum, unicuique noſtrum præſentiſſimum, traducit, ac vero Deo quaſi reſtituit, non neſciens cetera, *impropriis* dici utrumque: Deus eſt genus noſtrum, & nos Dei genus ſumus; cum Deus non ſit noſtræ ſpeciei, nec nos ſimus ejusdem ſpeciei cum ipſo, quippe ἑτερουσιοι; ut adeo frigide ex h. l. animæ hominis *ex ſubſtantia Dei* progeniem probaverint MANICHÆI & SERVETUS; *major* ſua luce radiat; inter Deum enim & materiam homo eſt quodammodo *medius*; jam homo non eſt ſimilis metallo: E. Deus multo minus eſt ſimilis metallo; nam homo, Dei genus, Deo ſimilis eſt. Ita BENGELIUS in *Gnom.* GROTIUS, eodem fere ſenſu, nervum argumenti apoſtolici ſic oſtendit: duo ſpectantur in ſimulacris, *materia & opus*; *materia*, etiam præſtantiſſima, ut aurum, argentum, marmor, multo inferiora ſunt homine, & *opus* non poteſt non ignobilius eſſe opifice. E. falluntur, qui Deum his rebus putant ſimilem eſſe, & coli velle ſub iſtis ſimulacris. Plura non addimus.

§. X.

II. ALLEGATUM.

Se offert I. Cor. XV. 33. & quidem nulla citandi formula veſtitum, in verbis: Μη πλανασθε· φθειρουσιν ηθη χρηϛα ὁμιλιαι κακαι. Iterum heic I) quæritur: *unde* PAULUS hunc verſiculum habeat? EURIPIDI, *Poetae tragico*, illum tribuunt SOCRATES Sec. V. ſcriptor, in Hiſt. Eccl. l. III. c. 16. & COLOMESIUS *in Obſ. S. S. p.* 27. qui ad *iſtum* provocat, *c. l.* ἀλλα και, inquientem, το φθειρουσιν ηθη χρηϛα ὁμιλιαι κακαι, δεικνυσι, μη ἀνηκοον των Ευριπιδε δραματων τυγχανοντα (παυλον); quod firmari et-

iam posse videtur CLEMENTIS ALEX. testimonio, *Strom. l. I. p. 299.* versum hunc Ἰαμβεῖον τραγικον vocantis, id quod in *Comicum*, qualis *Menander* erat, haud quadrat. Sed hoc non obstante rectius alii, post EUSEBIUM & HIERONYMUM, GROTIUS v. g. SELDENUS, HEINSIUS, VOSSIUS, e *Menandro*, Comico veteri celeberrimo, quem *Terentius*, Comicorum Latii princeps, ita imitatus est, ut a Jul. Cæsare *dimidiatus Menander* diceretur, petitum censent; deprehenditur enim hæc gnome, HIERONYMO teste, in *Dramate*, quod *Thais* inscripsit, atque inter *Fragmenta ejus p. 78.* Plura de hoc Comico videsis in FABRICII *Bibl. gr. L. II. c. 22. p. 767 seqq.*

§. XI

Expendamus jam II) ipsum *Menandri* dictum, quod PAULUS suum fecit. 1) Ὁμιλίαι κακαὶ notare possunt vel *consortia* mala, vel *colloquia* mala; *posterius* placuit HIERONYMO, CYPRIANO, qui vertunt *confabulationes*, ERASMO, LUTHERO, PAGNINO, ARIÆ MONT. TIRINO, CASTALIONI; est etiam, qui ὁμιλίαν non *colloquium mutuum*, sed simpliciter *alloquium* s. *sermonem* notare putat, quo sensu ὁμιλίαι dicantur *sermones* ab *uno* habiti, licet in *cœtu*, sic LAUR. VALLA, laudatus a MICH. DILLHERRO *Dispp. acad. T. I. p. 278.* Sed *aliis* nimis hoc angustum videtur, unde ὁμιλίαν proprie notare putant, *conversationem*, *consortium*, *consuetudinem*, *congressum*, ut TERTULLIANUS vertit, ab ὅμιλος, *cœtus*; ita THEOD. BEZA, GLASSIUS, DRUSIUS, WOLFFIUS, MOSHEMIUS, quem & significatum JO ALBERTI in *Obs. Philol.* Veterum locis comprobat; locus certe, a CLERICO adductus ex *Æschylo*, satis illum evincit: ἐκ ὁμιλίας κακῆς κακὸν οὐδὲν, *malorum commercio nil pejus est*; quia tamen PAULUS immediate ante hoc allegatum impii profanorum hominum *sermonis* meminit, eorumque mores ac vivendi rationem pulcra *mimesi*, ex Jes. XXII. deducta, exprimit, notionem *confabulationis*, quæ & alias *conversationis* pedissequa est, a notione ὁμιλίας excludi nolim.

§. XII.

2) ἤθη χρηστὰ genuinam lectionem esse, non ἤθη χρηθ', ut versus in MENANDRO legitur, & in STEPHANI *Ed. 3.* BENGELIUS ob omnium fere Codicum consensum statuit; quid vero per ἤθη χρηστὰ intelligendum sit, jam dispiciendum est. A) HAMMONDUS *ad h. l.* opinatur, quid hisce vocibus significetur, intelligere forsan licere ex HESYCHIO in voce εὐηθης, quam interpretur βλαξ, χρηστοηθης, ἀνοητος, *stolidus*, *simplex*, *insipiens*; hinc enim colligi posse, locutionem istam non significare *bonitatem*

tatem morum, h. e. vitæ probitatem, sed *simplicitatem inconsideratam*, qua fiat, ut homines facile fallantur; apte igitur verti *bonam indolem*, quæ utplurimum facilius fallatur, & in errorem abducatur, qualis hic sit resurrectionis negatio; PAULUM ideo pærmittere: μη πλανασθε, & hoc ipso ostendere, quæ *corruptio* cavenda esset, nempe *erroris*; qui autem ἠθη χρησα vertant, *bonos mores*, rem referre ad vitæ depravationem, cui non satis commode verba PAULI aptari possint, cum agat tantum de erroribus *intellectus*; provocat etiam ad THEOPHYLACTUM, qui χρησα ἠθη interpretetur per ἠθη ἐυεξαπατητα, s. indolem, quæ facile queat decipi. BENGELIUS *in Gnom.* ἠθη χρησα quidem vertit *mores bonos*, sed largitur simul, verti etiam χρησα posse *faciles* aut *leves*, provocans ad SCAPULÆ *Lex. col. 1820.* & conferre jubens locum *Rom. XVI. 18.* Alii B) cum Interpretum parte longe maxima PAULUM non tam de *iis*, *qui* ἐυηθεις s. χρησοηθεις h. e. bonæ indolis, sed non æque prudentes sunt, quam de ipsis *moribus bonis* s. *probitate vitae* loqui existimant. CLERICUS hoc fine provocat *partim* ad id, quod eorum, qui resurrectionem negabant, mores sine dubio *mali* fuerint, adeoque christiani, sodalitia illorum frequentantes, facile, non modo ad errores *intellectus*, sed etiam vitia *voluntatis* ac *vitae* seduci potuerint, *partim* ad verba *seqq. v. 34. evigilate juste*, *& nolite peccare*; *partim* ad locum quendam ARISTOPHANIS, ubi χρησα ἠθη aperte denotent *mores bonos*.

§. XIII.

Nobis C) sic videtur: *a*) falli HAMMONDUM, quando Apostolum *nonnisi* de erroribus intellectus loqui existimat, quia contrarium docet *vers. 34.* a CLERICO recte illi oppositus; *b*) licet ἐυηθης & χρησοηθης notet *hominem* bonæ indolis, sed simul simplicem ac minus callidum, χρησα tamen, de *ipsis moribus* usurpatum, vix hoc sensu accipi posse, cum *mores* haud dici queant decipi, ac in errores *theoreticos* abduci, sed *homines* tantum bonorum morum; *c*) PAULUM monito suo non tantum erroribus intellectus, sed quam maxime etiam vitiis voluntatis & vitæ cautum voluisse, præter *v. seq. 34.* etiam præcedens v. 32. docet, in quo de *vita* hominum Epicureorum sermo est. Quia vero *d*) ex contextu patet, incredulitatem quoad præcipua religionis christianæ capita Epicureismum gignere & fovere, & ὁμιλιαι κακαι, de quibus Apostolus loquitur, procul dubio tam *fidei* quam *virtuti* ex æquo infestæ erant, utraque sententia commode potest conjungi, ita tamen, ut per ἠθη χρησα intelligantur *mores probi*, non vero, ut HAMMONDUS vult, homines χρησοηθεις, licet plerumque ii, qui præ aliis morum probitare se commendant, facilius decipiantur, quia *bonus vir semper tiro*. His de phrasi χρησα ἠθη di-

ſputatis 3) nonnihil addendum eſt de verbo φθειρασι. Nimirum ſæpe illud notat *corruptionem* ex *infectione*; unde SOPHOCLI homo, qui reliquis peſtis eſt, φθορευς dicitur, & *peſtiferum* quodque Græcis φθοροποιον, & *lues* φθορα, audit; hunc vero ſignificatum apprime hic quadrare, nemo non videt.

§. XIV.

Ecquid vero jam III.) de *applicatione* Paulina ſentiendum? *Verſu 32.* per *mimeſin* adduxerat PAVLVS ſymbolum hominum Epicureorum, quod gentiles inter potandum proclamari curaſſe, CASALIVS in Tr. *de conviviis Veterum* autor eſt. Jam, cum & MENANDRI Comœdiæ, ut infra oſtendemus, in conviviis apud eos actitatæ fuerint, appoſite profecto ex his ipſis antidoton ſumſit pro Chriſtianis ſuis, ne ex incauto cum Gentilibus conſortio fides eorum ac pietas periclitaretur; μη πλανασθε, inquit, *ne ſeduci vos patiamini*: ipſi *illorum*, quos vitare vos jubeo, Poetæ prava conſortia, ceu peſtem, vitare jubent; ac ſane non ſolus *Menander*, ſed alii quoque id fecerunt. Vid. GROTIVS *ad h. l.*

§. XV.

III. ALLEGATVM

Nobis ſuppeditat locus *Ep. ad Titum C. 1, v. 12.* Ειπε τις ἐξ αὐτων ἰδιος αὐτων προφητης Κρητες ἀει ψευσται, κακα θηρια, γαστερες ἀργαι. Jam & hic I.) quæritur: *unde* hoc allegatum habeat Apoſtolus? ſeu, *qui* fuerit ille *Propheta Cretenſium*, ad quem is provocat? Sunt 1.) ſed pauci, qui CALLIMACHVM autorem faciunt, Grammaticum doctiſſimum & Poetam inſignem, ex Cyrene in Libya oriundum, a PTOLEMÆO *Philadelpho* in Muſeum, quod Philoſophis aliisque viris eruditis munificentia regia Alexandriæ dicaverat, accitum, & in honore habitum, adeoque ante N. C. duobus & dimidio prope ſeculis clarum, ob ſcripta, quæ compoſuit, plura octingentis, ſi SVIDÆ credimus, quorum tamen pleraque non valde prolixa fuiſſe, ſuſpicari licet ex dicto illius: μεγα βιβλιον ἰσον εἰναι τω μεγαλω κακω, *magnus liber, magnum malum*: Hujus inter alia adhucdum exſtant IV. Hymni, in quorum primo, *Jovi* inſcripto, verſus 8. cum ſeq. hic eſt: Κρητες ἀει ψευσται, και γαρ ταφον, ὠ Ανα, σειο Κρητες ἐτεκτηναντο· Συ δ' οὐ θανες, ἐσσι γαρ ἀιει i. e. *Cretenſes ſemper mendaces: etenim ſepulcrum, O! Rex (Jupiter) tuum Cretenſes exſtruxerunt; Tu vero non es mortuus, ſemper enim exiſtis.* At mirum eſt, cuiquam in mentem venire

nire

nire potuisse, PAVLVM *Callimacho* allegatum versiculum debere, cum α.) Callimachus non fuerit *Cretensis*, sed Cyræneus Lybys, PAVLVS autem de proprio Cretensium Propheta, ipso etiam *Cretensi*, loquatur; & β.) apud Callimachum primum solum hemistichion citati versiculi legatur: Κρητες ἀει ψευσαι.

§. XVI.

Rectius 2) EPIMENIDES a PAVLO heic in partes vocari creditur, *Callimacho* multo antiquior; is enim, licet falso a quibusdam Homeri adeo ætatem præcessisse existimetur, *Pythagorae* tamen jam Præceptor fuit, quo *Callimachus* octoginta circiter Olympiadibus inferior est; *Cretensem* autem fuisse *Epimenidem*, omnes consentiunt, licet de urbe patria dissensus sit. Scripsit inter alia Librum περι χρησμων, *de oraculis*, à SVIDA quidem in recensione scriptorum ejus haud diserte memoratum, sed tamen ab eodem fortasse verbis: ἄλλα αἰνιγματωδη, judice FABRICIO *Bibl. Gr. L. I. C. VI. pag.* 37. subobscure indigitatum. Atque in hoc HIERONYMI adhuc ætate (ut ipse memorat in *Comm. ad h. l.*) reperiri dictus est versiculus a PVVLO citatus; idem testantur SOCRATES *H. E. L. III.* 16. & NICEPHORVS *l. X. c.* 26. Hodie vix est, qui Epimenidem a PAVLO citari dubitet, nisi quod WOLFIVM *in Cur.* suspicari videam, *nil forte certi* hic affirmari posse, cum hic versiculus proverbii instar in ore omnium fuerit, observante ANNA DACIERIA ad *Callimachum*, & suffragante JO. ALBERTI in *Obss. Philol. p.* 4. 11. Verum, sit ita, proverbium fuerit omnium ore frequentatum, Paulus tamen non tanquam proverbium allegat *ex usu communi*, ut v. g. *Petrus 2 Ep. II*, 22. sed diserte *auctorem aliquem* citat; jam vero *praedicata*, quæ isti tribuit, nemini æque conveniunt, ac *Epimenidi*. Appellat non modo τινα ἐξ αὐτων *unum ex Cretensibus*, adeoque ipsum etiam *Cretensem*, qui propterea cives sucs optime nosse debuerit, sed etiam ἰδιον αὐτων προφητην, non eo tantum sensu, quo olim omnes Poetæ *vates* audiebant, & quasi numine agi censebantur, sed &, quoniam a civibus suis, quin & tota Græcia, *pro tali* habebatur; Testantur id Elogia ejus apud varios scriptores: CLINIAS *Cretensis* apud PLATONEM *de Legg.* hunc in modum de illo verba facit: *fortasse audivisti*, EPIMENIDEM *fuisse virum divinum, qui e gente nostra erat, ac decem annis ante persicum bellum ad vos profectus, sacrificia quaedam, Dei oraculo de iis edoctus, perfecit, & Athenienses, persicam formidantibus classem, praedixit, decennio Persas nequaquam venturos, sed &, posiquam venerint, infecta re discessuros, pluraque perpessuros mala, quam facturos.* DIOGENES LAERTIVS eundem testatur *Cretensem* fuisse, *Gnosso* oriendum,

ac, *sunt*, ait, *qui dicant*, *Cretenses illi sacrificia offerre ut Deo; ajunt &, divinationis fuisse peritissimum;* APVLEJVS inclutum *fatiloquum* vocat, & DIODORVS *Siculus* θεολογον; PLVTARCHVS in *Solone p.* 84. dicit, eum fuisse θεοφιλη και σοφον περι τα θεια, την ενθουσιαστικην και τελεστικην σοφιαν; CICERO *L. I. de Divin.* cum annumerat *vaticinantibus per furorem*, & cum *Sybilla Erythraea* conjungit; DIO *Prusaeensis* vero expresse προφητην nominat; EPIPHANIVS denique *Haer.* 42. eundem vocat *veterem Philosophum, & Templi Mithrae, S. Solis, apud Cretenses sacerdotem*; Fanorum autem antistites, & divinorum Oraculorum Interpretes, qualis certe & *Epimenides* fuit, Librum scribens περι χρησμων, Græcis προφητας dictos fuisse, FESTVS nos docet. Multiplici igitur nomine PAVLVS Cretensium προφητην nuncupare potuit EPIMENIDEM; imo sunt, qui ipsum etiam vere *Prophetam in sensu stricto* fuisse, h. e. eventu suo non destituta prædixisse, haud plane negandum putent. HIERONYMVS jam tale quid suspicatus est, scribens *ad h. l. Prophetam vocavit, sive illudens, quod scil. tales Christiani tales mereantur habere prophetas, quomodo & Prophetae erant Baal; sive vere, quia de Oraculis scripserit atque responsis, quae & ipsa futura praenuncient, & ea, quae ventura sunt, multo ante praedicant; denique ipse liber* (Epimenidis sc.) *Oraculorum titulo prænotatur* (περι χρησμων) *quem, quia videbatur divinum aliquid repromittere, propterea Apostolum arbitror insuexisse, ut videret, quid Gentilium divinatio polliceretur, & in tempore abusum esse versiculo, scribentem ad Titum, qui erat Cretae, ut falsos Cretensium Doctores proprio Insulae Doctore convinceret.* BENGELIVS *in Gnom. ad h. l.* hæc annotat: *multa praedixit Epimenides, ut* DIOGENES LAERTIVS *memorat, & Prophetam egit, etiam quum haec dixit, quae* PAVLVS *citat; unde & hic v.* 13. *addit:* η μαρτυρια αυτη εστιν αληθης. Ac sane ex *Laertio* discimus, eum, cum Athenienses peste laborarent, existimarentque, eum esse θεοφιλεστατον, Diis carissimum, consultum fuisse ab iis, *hancque* respondisse adhibendam *lustrationem*: plurimas oves albas & nigras in Areopagum duxit, indeque eas liberas dimisit, ut, quocumque ferrentur, ire possent, atque in unamquamque virum constituit, qui eam sequeretur, ut, ubicunque recumberet, ibi mactata offerretur καθηκοντι Θεω, *Deo, cui conveniret*, h. e. ei, cui sacrificia debita essent, quo peracto pestis desiit; sicque etiam ex *Clinia* supra audivimus, eum vera de Persis prædixisse Atheniensibus. Certe aut *hi Historici* falsa narrant, aut ARISTOTELES, *Rhet. L. III. c.* 17. de Epimenide dicens: περι των εσομενων ουκ εμαντευετο, αλλα περι γεγονοτων, αδηλων δη. Plures prædictiones *Epimenidis* adducit ER. SCHMIDIVS ad h. l.

§. XVII.

§. XVII.

Nos ista suo jam loco relinquimus, & II) ad ipsam hujus versiculi expositionem progredimur, quo *Epimenides* omnes Cretensium *virtutes* scilicet! complectitur: Inter *tria* Cretensium *praedicata* 1*mum* hoc est: Κρητες ἀει ψευσαι. *Cretenses* olim multis nominibus apud alias gentes male audivisse, RAPHELIVS probat e POLYBIO, qui nunquam fere illorum meminit, quin simul eos vituperet; unde & primas tenent in veteri dicterio: Κρητες, Καππαδοκες, Κιλικες, τρια καππα κακιστα. Speciatim vero illos *mendacissimos*, & totos quasi ex fraude & mendacio compositos, eoque nomine longe lateque infames fuisse, adeoque ψευστας, non ut *omnis homo mendax* dicitur Ps. CXVI, 11. Rom. III, 4. h. e. ut *Aristoteles* L. IV. ἠθικων c 7. ait, ἐκ ἐν τη δυναμει, ἀλλ' ἐν τη προαιρεσει και κατα την ἑξιν *tales*, plura Veterum loca testantur. Post *Epimenidem* CALLIMACHVS, cujus versiculos hac de re supra dedimus, iisdem, queis ille, verbis eorum *mendacitatem* perstrinxit; POLYBIVS *L.* 6. ait: neque civium ingenia magis veteratoria (δ λιωτερα) quam *Cretensium*, ullo invenias loco, si excipias oppido pauca, neque publica consilia magis iniqua; OVIDII ætate in proverbio fuisse Cretensium mendacitatem, testantur hi ejusdem versus:

Nota cano: non hoc, quæ centum continet urbes,
Quamvis sit *mendax*, Creta negare potest.

Quin & alia inde nata sunt proverbia: κρητιζειν, *cretissare*, est mendacem esse: προς κρητα κρητιζειν, *cum Cretensi cretissare*, est mendacio uti erga mendacem.

§. XVIII.

Quemadmodum vero Cretenses in *vita communi* apud alios homines omnem prope fidem decoxerant, ita plus adhuc infamiæ sibi contraxerunt mendaciis suis in rebus ad *religionem* spectantibus; cumprimis intolerandum videbatur reliquis gentilibus mendacium, quando Jovem, Deorum hominumque Patrem, apud se *natum*, eundemque apud se *sepultum* fingebant, sepulcrum ei exstruentes cum hac inscriptione: ἐνταυθα Ζαν κειθ', ὁν και Δια κικλητκεται. Unde & WARBVRTONVS, *Anglus*, in egregio libro *de divina Legatione Mosis*, de origine hujus Cretensium characteris moralis: Κρητες ἀει ψευσται, hanc profert conjecturam, quod iste quidem huic genti temporibus PAVLI haud unam ob rationem tribu-

butus, adeoque latioris ambitus fuerit, ſed tamen inde ſuam originem traxiſſe videatur, quod, cum reliqui Græci Deorum ſuorum (quos probe norant nonniſi homines fuiſſe, mortales natos, tandemque mortuos, licet poſtea ob ingentia benefacta, Patriæ vel univerſo generi humano exhibita, in Deorum numerum relatos) natales ac obitum, tanquam myſterium in vulgus haud divulgandum, ſollicite occultarent, Cretenſes tamen haud veriti ſint, evulgare hæc arcana, eoque ipſo religionem ethnicam ludibrio exponere; hinc, inquam, factum putat ut ἀεὶ ψευςων nomine infamarentur. Enim vero licet CALLIMACHVS tale quid innuat, & alii quoque Scriptores ethnici, LVCANVS v. g. *de bello civ. Libr. VIII. v. ult* hoc maxime de Jovis tumulo mendacium Cretenſibus objiciant, ipſum tamen *Epimenidem*, & cum eo PAULUM, non tam eorum mendacia *dogmatica*, quam id, quod in *vita communi* homines nullius fidei fuerint, reſpexiſſe, ea propter maxime perſuaſum habemus, quod reliqui etiam characteres, κακα θηρια, γαςερες ἀργαι, ad *vitam* magis, quam ad *doctrinam* ſpectant.

§. XIX.

2*dum*) Prædicatum eſt: Κακα θηρια. A) Phraſis hæc reſpondet hebrææ חיה רעה Ezech. V. 17. c. XIV. 15 c. XXXIV. 25. B) *Malae beſtiae* erant Cretenſes, i. e. ut bene GROTIUS exponit, homines in eo *feris* ſimiles, quod aliis latenter nocerent, vel ut ESTIUS & MENOCHIUS volunt, quod generatim prompti eſſent ad nocendum aliis; ſimiliter HERACLITUS, *Epheſius*, conterraneos ſuos, *Epheſios*, θηρια ſolitus erat appellare, & DEMOSTHENES *adverſus Ariſtogitonem*, *hunc* θηριον vocat, quod ἐξορισαι και ῥιψαι ἐκ της πολεως oporteat, *hic* autem, extorris jam & in exilium pergens, cum ſuſpirio dixit: O! Pallas, quæ tribus infeſtiſſimis *beſtiis* delectaris, noctua, dracone, & populo, *tanquam populus* inter κακα θηρια ſit numerandus. Ipſe etiam PAVLVS 1 Cor. XV. 32. vitæ periculum, quod in tumultu epheſino ſubierat, Act. XIX. 29. ſq. θηριομαχιαν vocat; vulgo ſcil. receptum fuiſſe videtur, ut, quibus cum hominibus efferatis negotium eſſet, dicerentur θηριομαχειν. Unde & apud PLUTARCHUM occurrit phraſis, τυραννος θηριωδης, & apud POLLVCEM ἐχθροι μητρωδεις *L. I. Onomaſt. C. X.* uti & 2 Tim. IV. 17. *Nero*, tyrannus, comparatur *leoni*. Intelliguntur ergo homines *ferarum* magis, quam *hominum* ſocietate digni, quales alias quoque *Graecis*, XENOPHONTI *v. g.* ISOCRATI, PLUTARCHO, ACHILLI TATIO, κακα θηρια, ἀλκιμα θηρια, ἀγριωτατα θηρια, ἀτιθασσευτα θηρια dicuntur; nec aliud indigitarunt, qui de ORPHEO ſcripſerunt, quod citharæ ſuæ

ſua

ſuaviſſimo concentu mitiores reddiderit *beſtias*, h. e. homines beluino more viventes: ita enim HORATIUS *de Art. poet. v. 391. ſſ.*

Sylveſtres homines ſacer Interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire *tigres rabidosque leones.*

A Græcis hæc nomenclatura quoque tranſiit ad *Latinos*, homines, vix ac ne vix quidem homines, *malas beſtias* vocantes, velut apud PLAUTUM, CATULLUM, AMMIANUM, aliosque videre eſt. Cretenſes autem *tales* fuiſſe, iterum POLYBIUS Hiſt. l. IV. c. 8. & 53. l. VI. 44. aliique atteſtantur.

§. XX.

Pergimus ad 3*tium* prædicatum, γαϛερες ἀργαι. Diverſimode hanc phraſin exponunt Interpretes: ſunt A) qui ἀργαι dictum putant pro μαργαι, metri cauſa, ut γαϛερες ἀργαι notet ventres *edaces*; nam γαϛριμαργος eſt *guloſus*, & γαϛριμαργια, quin & ſimpliciter μαργια *guloſitas*; ubi tamen probe notandum eſt, γαϛριμαργος non debere compoſitum cenſeri ex γαϛηρ & ἀργος, cum epentheſi litteræ μ, ſed ex γαϛηρ & μαργος, ut CLEMENS ALEX. ait, *Paedag. L. II. c. 1.* γαϛριμαργια eſt intemperantia circa cibum, &, quod nomen complectitur, μανια ἐπι γαϛερα, *furor in ventrem*, nam μαργος eſt *inſanus*. Alii B) ἀργος referunt inter vocabula ἐναντιοϛημα, ita ut ἀργος non modo *ignavum & pigrum*, ſed etiam *velocem & avidum* notet; unde HESYCHIUS ἀργος exponat per ταχυς, & HOMERO κύνες ἀργοι ſint *canes veloces*, *Il. L I. v. 50. L. XVII. v. 283* pro quo *v. 578.* dicat ταχεας κυνας, & hoc pacto iterum hic foret ſenſus: ventres *edaces*, quem & characteri præced. κακα θηρια melius congruere putat BENSONIUS *ad h. l.* cum *voraces* eſſe ſoleant malæ beſtiæ Alii C) rectius inhærent ordinariæ vocis ἀργος ſignificationi, qua *otioſum, pigrum*, ſeu *deſidioſum* denotat, *ingluviem* tamen non excludentes, ſed connotatam exiſtimantes voce γαϛηρ. Nimirum γαϛερας vocat Cretenſes, ut homines *ventri* deditos, & quibus ea pars potiſſima ſit, (conf. *Phil. III. 19.*) quales tam Græci quam Latini *ventres* appellare ſolebant, ut PRICÆUS & GROTIUS docent in *Poli*; *Syn.* Additur vero ἀργαι, quia ingluvies *pigros* reddit, ſegnes ad negotia, & conſequenter inutilia terræ pondera, homines fruges conſumere natos, nec tam edentes, ut vivant, quam viventes, ut edant, atque edere quidem volentes, ſed non operari, quos PAULUS ſub cenſuram vocat 2 Theſſ. III. 10. At inquis, ſi vera

hæc ſint, quomodo PLATO *in Minoe* dicere potuit: *nullos vel Graecos vel Barbaros a* ſympoſiis *abſtinere, praeter Cretenſes atque Lacedaemonios, qui a Cretenſibus id didicerint, fuiſſe enim inter Leges Minois etiam hanc:* μη συμπινειν ἀλληλοις εἰς μεθην· *Reſp.* α) ſi omnino EPIMENIDI contradicat PLATO, iſti, ut morum ſuæ gentis teſti oculato, magis quam *huic* credendum eſt; β) Epimenidis jam ætate optimæ leges ſine dubio magnos in veritum niſus pepererunt; γ) cum PLATO pro ratione aſſerti ſui alleget Minois *legem*, & vero a bonitate Legum ad bonos civium mores non valeat conſequentia, ac præterea iſtæ ſucceſſu temporis ſæpe in deſuetudinem veniant, contra Epimenidis teſtimonium utique parum valet PLATONIS aſſertum; STRABO certe, ipſe etiam *Cretenſis*, γεωγραφ. *L. X. de Creta*, inquit, *unanimiter conſentiunt, quod priſcis temporibus* εὐνομουμενη, optimis inſtructa legibus, *fuerit, poſtea vero, latrociniis ſtudens, in deterius ut plurimum delapſa eſt*; & procul dubio etiam *ignaviae* Cretenſium, quam voce ἀργαι in iis reprehendit Epimenides, tribuendum eſt illud, quod dominium maris, quo antea potiti erant, amiſerunt, iterum STRABONE teſte *l. c.* ubi, *Cretenſes* ait, *prius navigandi principatum tenuiſſe, ita ut in proverbium abierit, de eo, qui, quae ſciat, ignorare ſe ſimulet, dicere: Cretenſis neſcit pelagus; nunc autem abjeciſſe illos rem nauticam.*

§. XXI.

Supereſt III) ut diſquiramus, *an & quomodo* allegatum hoc *inſtituto Apoſtoli inſerviat?* 1) PAVLVS poſt inſcriptionem & ſalutationem *v.* 1 -- 4. ante omnia *Tito* commendat conſtitutionem bonorum Presbyterorum in eccleſiis Cretenſium, ex ea ratione, quia his quam maxime opus ſit apud *malos* Cretenſes *v.* 5 - 13. ubi *a*) bonos Presbyteros ſecundum characteres ſuos deſcribit *v.* 6 - 9. *b*) quam neceſſarii tales ſint Cretenſibus, oſtendit α) ex multitudine *ſeductorum*, eccleſias iſtius Inſulæ infeſtantium *v.* 10, 11. β) ex *indole* Cretenſium *v.* 12, 13. Atque hanc pingere conſultum duxit verbis proprii ipſorum Prophetæ, *Epimenidis*. Egregie autem 2) Apoſtoli *ſcopo* hæc verba inſervire, patet A) ex eo, quod teſtem h. m. provocat *antiquiſſimum*, Cretenſibus *domeſticum*, & ab ipſismet pro *Propheta* habitum; *a*) *antiquitas* teſtis eo valere potuit, ut *neceſſitas* rigoris contra vitia hæc nationalia cuivis manifeſta eſſet; quæ enim, a majoribus propagata, per multa ſecula apud gentem aliquam invaluerunt, & ſic in alteram quaſi naturam abierunt, *difficilius* exſtirpantur, & *facilius*, furca licet expulſa, recurrunt, ut adeo in iis eliminandis, &, ne poſtliminio quaſi redeant, arcendis, rigore opus ſit; *b*) quia Cretenſibus hic teſtis erat *domeſticus*,

eo

eo minus exceptioni locus erat, quasi nullam gentis notitiam habuerit; c) cum Cretenses eum pro *Propheta* agnoverint, quin &, LAERTIO teste, (ut supra audivimus) ei post obitum sacrificia ut Deo obtulerint, utique testimonium ejus omni exceptione majus erat. B) Ex eo quoque patet, PAVLVM appositе hoc dictum citasse, quod ipsius adhuc ætate de illius veritate *per experientiam* constabat; unde mox post allegatum nostrum addit: ἡ μαρτυρια αὐτη ἐστιν ἀληθης, δι' ἣν αἰτιαν ἐλεγχε αὐτους ἀποτομως. Poterat quis excipere: *Epimenidem* sibimet ipsi fidem derogare hoc suo testimonio: Κρητες ἀει ψευσαι, cum & ipse *Cretensis* fuerit; hinc Apostolus ei jam *subscribit ex propria experientia*, &, hac demum permotus, Tito *rigorem* in vitiis hisce redarguendis injungit; quin & ipse per totam Epistolam *virtutes* commendat, *vitiis*, ab Epimenide notatis, *e diametro contrarias*; Κρητας ἀει ψευστας vult sanos esse in fide, non jam amplius attendentes ad *fabulas judaicas*, & *praecepta hominum*, *aversantium veritatem* C. I, 14. II, 2. III, 9. Jubet etiam eos, μηδενα βλασφημειν C. II, 3. III, 2. μη νοσφιζεσθαι, *non intervertere*, sed πασαν πιστιν ἀγαθην ἐνδεικνυσθαι C. II, 10. *porro*: κακα θηρια non vult amplius esse ὀργιλους, *iracundos*. πληκτας, *percussores*; jubet e contrario obtemperantes subditos esse C. III, 1. ἀμαχους, *a pugnis alienos*, ἐπιεικεις, *moderatos*, και πασαν ἐνδεικνυμενους πραοτητα προς παντας ἀνθρωπους v. 2. *denique*, γαστερας ἀργας non vult amplius esse *vinosos*, sed *temperantes* & *continentes*, C. I, v. 7. 8. C. II, v. 2. 3 5. 6. non amplius ad omne bonum opus *inutiles* C. I, 16. sed studiosos *bonorum operum* C. II, 14. C III, 1. 8. 14. quam *antithesin* fere continuam vix erit, qui pro mere fortuita habeat, & indoli Cretensium, a proprio ipsorum Poeta descriptæ, studiose accommodatam esse non agnoscat.

§. XXII.

Sed properandum est vel tandem II) ad quæstionem illam: num *tria* isthæc *Allegata*, quæ hactenus exposuimus, recte irrefragabilis documenti loco habeantur, *quod* PAVLVS *in omni litteratura graeca versatissimus fuerit?* Fuere omnino, qui *cum ratione* ex *istis* id sibi colligere visi sunt; Equidem quod ad PATRES spectat, vix reperias inter eos, quibus tale quid in mentem venerit, nisi cum aliquibus aut CLEMENTEM ALEX. huc trahere velis, aut HIERONYMVM, quorum *iste Stromatum L.* 1. occasione Allegati ex *Epimenide*, ὁρας, inquit, ὁπως και ἐν τοις Ἑλληνων προφηταις διδωσι τι της ἀληθειας, και οὐκ ἐπαισχυνεται προς τε οἰκοδομην και προς ἐντροπην διαλεγομενος τινων (παυλος) ἑλληνικοις συγχρησθαι ποιημασι. & haud multo post *eod. L. I.* græcæ Philosophiæ studio, cui & ipse erat impense de-

ditus, auctoritatem conciliaturus, ad sermonem Pauli Athenis dictum, & citatum in eo *Arati* testimonium, provocat; *hic* autem *in Comm. ad Gal. C. IV*, 24. in citatis profanorum Scriptorum testimoniis specimen eruditionis Paulinæ reperit. Sed *iste* quidem in utroque loco plus haud dicit, quam quod PAVLVS veritates in Ethnicorum quoque scriptis repertas in pretio habuerit, easque in usus suos verterit, qua in re neminem non habet consentientem; eruditionem PAVLI profanam ne verbulo quidem laudat, multis haud dubie id facturus, pro suo in illam amore, si tria Allegata ex profanis ad eam PAVLO tribuendam sufficere arbitratus esset; *hic* vero alibi in scriptis suis de *stilo* PAVLI *idiotico* ita disserit, ut pœnas propterea, sed immeritas, dederit GVIL. CAVE *de vita Pauli C. VIII.* Reliqui PP. e. g JVSTINVS M. TERTVLLIANVS, MINVCIVS FELIX, ORIGENES, ARNOBIVS, CHRYSOSTOMVS, AVGVSTINVS, quos inter etiam fuere, qui eruditionis profanæ nequaquam expertes erant, Apostolos, nullo excepto, homines *illiteratos* fuisse, gentilibus id contra veritatem R. C. urgentibus, liberalissime largiti sunt, ita tamen, ut conclusionem inde ab iis ductam plane inverterent, male propterea mulctati ab Eruditis quibusdam nostri ævi. Exemplo sit *Diss. sub tit. Div.* PAVLVS Σκευος ἐκλογης - *ratione Academicae suae eruditionis*, quæ *Viteb. A.* 1739. prodiit, ubi *Auctor*, inprimis §. 12. „nullo modo excusandos esse statuit veteris Ecclesiæ Christ. Doctores in eo, quod conviciis hostium non modo non restiterint, sed illa quoque approbarint, tanquam laudum plane singularium præconium, quin, adjectis novis aliis, exaggerarint„ exemplum allegans CHRYSOSTOMVM, *qui Homil. III. in 1 Cor. I.* ἡ γαρ, inquiat, κατηρυγια αὐτη (scil. των ἀποστολων ὡς ἀμαθων) ἐγκωμιον. Και ὁταν ἐιπωσιν ἐκεινοι, ὁτι ἀγροϊκοι ἠσαν οἱ ἀποστολοι, προσθωμεν και ἡμεις, και ἐιπωμεν, ὁτι και ἀμαθεις, και ἀγραμματοι, και πενητες, και ἀυτελεις, και ἀσυνετοι, και ἀφανεις. ἀκ ἐστι βλασφημια των ἀποστολων ταυτα, ἀλλα και δοξα. Ad quæ verba tota cohorrescit mente, &, quamquam ἐπιθεραπειας loco addat, persuasum sibi esse, quod plerique PP. *consilio non malo*, sed eo tantum fine, ut efficacia Evangelii eo luculentius appareret, de stilo N. T. tam abjecte senserint, mox tamen *facienda mala non esse, ut inde eveniant bona, imo tantum abesse* ait, *ut honori Spiritus S. isti sic consulant, ut non sine crimine* βλασφημιας *ipsum laedant, quasi sordibus magis cœnoque quam munditia sermonis pasceretur.* Omittimus reliquos flosculos, quibus *Patrum* nonnulli aut *turpis insciticae*, aut *supinae negligentiae, aut inconsiderantiae, futurorum grandium incommodorum* (quæ autem plane sunt chimærica) *improvidae* accusantur, & antiqua opinio: *quantum dictionis elegantiae decedat, tantum ponderis accedere rebus*, exagitatur. *Nos* patere hinc arbitramur, suave illud somnium de PAVLI *eruditione academica* in

Pa-

Patrum certe ſcriptis nil invenire præſidii. Recentius demum, ut nemo fere in tria iſta Allegata ex Autoribus græcis profanis commentatus eſt, quin occaſionem inde arriperet, eruditionem PAVLI græcam magis minusve laudandi, ita & nemo *hanc* probandam ſuſcepit, quin ad ea, tanquam indubitata *hujus* ſpecimina, provocaret; Id tantum diſcriminis obſervaſſe nobis videmur, quod 1) *aliqui* argumento a laudatis huic Apoſtolo græcorum Poetarum locis unice inhæreant, quaſi tota res eo confecta ſit, *alii* autem 2) *alia* quoque *indicia* eruditionis Paulinæ in ſubſidium advocent, ac undecumque conquirant.

§. XXII.

Quod 1) ad *trigam* illam *ſententiarum poeticarum* attinet, quas PAVLVS, partim *Athenis*, ubi cum Philoſophis Epicureis & Stoicis res ipſi erat, ſcopo dogmatico, partim in duabus Epiſtolis ad *Corinthios* ſc. & ad *Titum*, ſ. *Cretenſes* potius, ſcopo *morali*, in rem ſuam vertit, vix erit, qui *hiatum* non agnoſcat in hac illatione: PAULUS *ter allegavit* Poetas græcos. E. illos *legit*, imo *lectitavit*; E. ſtrenuus *litterarum humaniorum cultor* fuit, eo cum ſucceſſu, ut tandem *in omni litteratura graeca verſatiſſimus* eſſet. Hiat A) argumentatio a *citatione* loci alicujus ex Autore quopiam ad ejus *lectionem*; *poſſunt* enim *allegari* a nobis etiam quæ *numquam legimus* ipſi, ſed *audivimus* ſaltem, ac centies *id fieri*, quis neget? E. ad minimum nullus eſt *neceſſarius nexu* inter *allegationem & lectionem*. Atque hæc *inconſequentia* magis adhuc in oculos incurrit, ſi de ejusmodi ſententiis ſermo ſit, quæ non jam amplius in ſcriptis ſolummodo *legi* poſſunt, ſed *audiri* etiam in converſatione cum iis, qui illas inibi legerunt, aut adeo in ipſa *vita communi*, quoniam ſucceſſu temporis in *Proverbia* abierunt, multorum ore frequentata; juſtam vero ſuſpicionem eſſe, quod hoc ipſum etiam dictis Poetarum a PAULO citatis acciderit, facile oſtendi poteſt. *a*) De ARATI & MENANDRI dictis Act. XVII. & 1 Cor. XV. CLERICUS jam *in N. N. ad Hamm.* cum fiducia id aſſeruit, ſed ex rationibus haud omni exceptione majoribus, quod enim *α*) Judæi, PAULI jam ætate, ethnicorum ſcripta ad ſuperſtitionem usque abhorruerint, aliis nondum videbitur evictum eſſe, &, quodſi etiam id probari queat, quid *ad* PAULUM, inquient, hæc *ſuperſtitio? ad Paulum*, inquam, *omnia omnibus factum*, ut aliquos Chriſto lucrifaceret, eumdemque *Gentium Apoſtolum*, quem juvare forſan poterat, litteraturæ etiam profanæ haud expertem eſſe: neque etiam *β*) illis hoc exinde ſequi videbitur, quod PAULI *ſtilus* h. m. *alius* futurus, eique color aliquis ex lectione Poetarum ac Philoſophorum græcorum hæſurus fuiſſet; non

enim, inquient, Virum θεοπνευστον in loquendo scribendove ita sibi relictum fuisse, ut, quod aliis accidere solet, idem & ipsi necessario accidere debuerit, utpote qui Evangelii præconio σοφιαν τε λογε minus accommodam esse haud ignoraverit. *b*) Aliunde igitur arcessamus oportet argumentum, quod doceat, dicta Poetarum, PAULO laudata, *Gnomas* fuisse, quæ *in omnium ore* fuerint; nec sane deest, quod summa cum specie urgeri possit. Negari profecto nequit, plurima veterum Poetarum dicta successu temporis apud Græcos in *Proverbia* abiisse & *Gnomas pervulgatas*, eorum maxime Poetarum, qui inter eos erant celebratissimi, quales utique erant ARATUS, MENANDER, & EPIMENIDES. Quod speciatim ad *Menandrum* spectat, PLUTARCHUS Συμπος. *L. V. sub init.* itemque *L. VII.* refert, *Comœdias* ejus *in conviviis Graecorum frequenter actitatas, quin imo citius vinum, quam Menandri comœdias, in istis desideratas fuisse*: vid. FABRICII *Bibl. Gr. Tom. I. L. II. C. XXII. p. 774.* qui sane mos, si etiam *Corinthi* obtinuit, occasionem Paulo præbere potuit, facta mentione luxus hominum Epicureorum in esu potuque, hanc *Menandri* sententiam, in conviviis græcorum frequentatam, subjungendi; poterat enim, vel Tarsi adhuc versatus, vel postea in Apostolatu suo cum Græcis conversatus, *audire* illud ac memoria servare, ipso etiam Poeta nunquam lecto. Atque sic *Arati* etiam dictum, & *Epimenidis* in Cretenses vituperium, sententias pervulgatas, & omnium ore decantatas fuisse, ex iis, quæ *supra* de iisdem, aut plane similibus, apud alios scriptores tam Græcos quam Latinos passim obviis, dicta sunt, verisimile suspicari licet. Hæc autem si ita se habeant, quis, quæsumus, Apostolum hæc Poetarum dicta *non nisi ex lectione illorum* habuisse cum fiducia asserat? At ponamus tantisper, PAULUM ista in ipsis Græcorum Libris *legisse*, num B) e *tribus* hisce exemplis sequitur, eum exemplaria græca *lectitasse*, h. e. *nocturna versasse manu, versasse diurna*, & quidem eo cum successu, ut in literatura græca versatissimus esset? *Aliud* certe est, librum aliquem, hic & nunc, data occasione, inspicere, & quædam ex eo memorabilia sibi annotare, ac memoriæ mandare, *aliud* vero, lectitare istum tanquam *autorem classicum*, iterumque *aliud*, omnes, quorum lectione in litteratura proficere possis, ita tibi familiares reddere, ut evadas litteratissimus. Quis igitur ingentes in ista argumentandi ratione *hiatus*, &, quos hi facere jubeant, *saltus* non miretur?

§. XXIV.

Emunctiorum certe narium viri, ceteroquin ab iisdem partibus stantes, subodorati sunt, hiatus hosce 2) *aliis* adhuc eruditionis Pauli-

linæ *indicii* ſupplendos eſſe, quæ pariter ſub examen jam vocare animus eſt. A) Urgere quosdam videmus adhuc *alia* ex profanis allegata, quæ in Pauli ſcriptis reperiantur, e. g. 1 Cor. V. 6. ubi *ſenarius jambicus* occurrat *ex Comico* quodam: μικρα ζυμη ὁλον το φυραμα ζυμοι: conf. quæ ſupra §. I. de verbis: ἐν αὐτῳ ζωμεν κ. τ. λ. dicta ſunt. Addunt præterea ſuſpicionem, ipſorum opinione fundatiſſimam, quod PAULUS in præconio Evangelii & epiſtolis deperditis fortaſſe *plurima alia* adhibuerit, præſertim ubi cum gentibus res ipſi erat; ita ſane in *Diſſ.* §. *XXII. citata p.* 4. legimus: *politioris humanitatis veſtigium non unum in Epp. Paulinis*, (*praeter Aratum*, *Menandrum*, *Epimenidem*,) *etiam ex Homero aliisque Poetis impreſſum eſſe.* At ſe ipſos hi jugulant, cum & aliis Apoſtolis, absque controverſia illiteratis, talia tribuant. e. g. *Jacobo & Petro*, quorum verba Jac. IV. 6. 1 Petri V. 5. ὁ Θεος ὑπερηφανοις ἀντιτασσεται, ταπεινοις δε διδωσι χαριν, ipſiſſima perhibent *Aeſopi* verba eſſe: vid. *Diſſ.* modo memorata *p.* 5. nec miramur nos, eousque progreſſam eſſe illorum conjecturam, poſtquam impetrare nonnulli ab ſeſe potuerunt, ut & *Chriſtum* ipſum, in convertendo Paulo, proverbium, tribus in locis apud *Aeſchylum* & *Euripidem* occurrens, προς κεντρα λακτιζειν, uſurpaſſe dicerent. B) Provocant *partim* ad elegantiam ſtili Paulini præ ſtilo reliquorum Apoſtolorum, quæ omnino PAULUM in ſcholis Rhetorum græcorum, & aſſidua multaque optimorum ſcriptorum lectione, exercitatum prodat, *partim* ad philoſophumena varii generis, quæ in ſcriptis illius hinc inde deprehendantur, ac omnino hunc Apoſtolum philoſophiæ græcanicæ quoque haud expertem fuiſſe demonſtrent, *partim* ad ejus peritiam diſputandi, & egregia, quæ ediderit, boni Dialectici ſpecimina. Verum, quod *a*) *Stilum* attinet, haud quidem inficiamur, in ſcriptis PAULI, præſertim in Epiſtola ad Hebræos, paſſim plus Græcitatis, & quidem elegantioris, inveniri, quam in aliorum Apoſtolorum ſcriptis; at vero certum non minus eſt, id non tam deberi culturæ literarum humaniorum. aut aſſiduæ lectioni probatiſſimorum Græciæ Scriptorum, quam conſuetudini cum Græcis, qua uſus eſt Paulus, Tarſi quidem inde a prima juventute ſua, maxime vero poſtea in Apoſtolatu ſuo, Athenis, Corinthi, Epheſi &c. Hinc ſine dubio hæſit ipſi purior quædam & elegantior græcitas, quam illorum erat, qui, in Palæſtina nati educatique, deinceps etiam cum Ebræis magis quam Græcis converſati ſunt. Accedit, Pauli etiam ſtilum non adeo pure græcum eſſe, quin plurimis ſcateat, hebraiſmis, æque ac *Petri* v. g. & *Joannis* ſtilus, quemadmodum contra *horum* etiam ſtilus ſuis non caret elegantiis, optimo etiam ſcriptore græco haud indignis. Fortaſſe autem *b*) *philoſophiſmi*, in ſcriptis Pauli paſſim obvii, irrefragabile teſti-

ſtimonium perhibent eruditioni illius academicæ? Multi id ſibi perſuadent, & aliis perſuadere conantur, ſed in iisdem confutandis ferias nobis facit *Ven.* JAC. BRUCKERUS *in hiſt. crit. philos. Tom. III. p. 260 -- 268.* Atque ſic *e*) fruſtra quoque provocatur ad *diſputandi peritiam*, quæ ex PAULI ſcriptis eluceat; non enim illa *ſcholas Græcorum dialecticas* redolet, ſed *ſcholam* potius *judaicam*; id quod tamen, ut obiter hoc moneamus, *non ultra, quam fas eſt*, extendi volumus.

§. XXV.

Ecquid vero jam C) dicendum eſt de argumento illo, quod *Patria* PAULI, *Tarſus*, ad probandam eruditionem illius academicam ſuppeditat? Nota ſunt, quæ STRABO *Geog. L. XV. de Tarſo* refert, *eſſe* ſcil. *in ea ad fluvium Cydnum, qui mediam illam perfluat,* γυμνασιον των νεων, *Gymnaſium juvenum, tantumque Tarſenſibus ſtudium erga philoſophiam omnesque diſciplinas, quas encyclicas appellent, ut ſuperaverint Athenas & Alexandriam, & ſi quis alius nominari poſſit locus, ubi philoſopherum και των λογων, litterarum humaniorum,* (*Caſaubonus* legit φιλολογων, *philologorum*) *ſcholae haberentur -- neque domi illos ſemper manere, ſed ad ſe perficiendos itinera ſuſcipere litteraria.* Quid vero gratius accidere poterat eruditionis Paulinæ ἐγκωμιαζαις, quam de Patria PAULI iſta legere? Tam fœcunda ipſis viſa eſt hæc narratio, ut in conſectariis pro hypotheſi ſua inde eliciendis modum ſervare omnino neſciant. *Gymnaſium juvenum*, inquiunt, *Tarſi* erat, quis E. dubitet, PAULUM quoque, Tarſenſem, illud frequentaſſe? Florebant ibi omnis generis litteræ, philoſophiæ & philologiæ ſtudia: E. & PAULUS, *a pueris educatus in ſcholis Tarſenſibus*, omnibusque artibus liberalibus egregie inſtitutus eſt, ut multorum profanorum Scriptorum lectione ſatis imbueretur, ita CHR. CELLARIUS *in vita* PAULI *C. I.* quocum paria facit J. G. ALTMANNUS, *in Diſſ. de Tarſo* §. V. *ex his* inquiens, (quæ ſcil. STRABO refert) *facile colligimus, unde Paulus ingentem eruditionem in omni diſciplinarum exoticarum genere hauſerit; quemadmodum enim Moſes inſtructus erat in philoſophia & ſapientia Ægyptiorum, ita & hic in omni cognitione ſcientiarum, quae tum temporis apud Græcos ad maximum fere culmen provectae videbantur.* Solebant *denique* Tarſenſes, confecta in academia patria Encyclopædia, i. e. ſcientiarum & humanitatis curſu peracto, ad exteros, ſemet perficiendi gratia, proficiſci: E. & PAULUS ad imitationem civium ſuorum, non niſi decurſis domi litterarum juſtis ſpatiis, Hieroſolyma ſe contulit, ibique Gamalielis diſciplinæ tradidit: ita rurſum *in Diſſ. Viteb.* §. XXII. & XXIV. citata p. 30. legimus. Quis vero eſt, qui in omni hac argumentatione, & *prima* maxime, cui reliquæ innituntur, non miretur ingentes hiatus?

§. XXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0328
DFG

§. XXVI.

STRABONIS *locus* (ita pridem in *Diss. nostra inaug. p.* 10. mentem nostram de illo declaravimus) satis quidem probat, PAVLO juveni *opportunitatem*, in litteratura gentilium proficiendi, haud defuisse; *usum* vero *eadem* esse, non evincit, imo contrarium potius ab *Ipsomet* innui videtur *Act. XXII*, 3. ubi se *Hierosolymis* ad pedes Gamalielis *enutritum*, atque in *patria Lege* institutum perhibet, *de aliis juventutis suae studiis* altum silens. *Vim* hujus argumenti latius explicat *Doctiss.* C. G. THALEMANNVS *in Diss. pro Lic.* (quæ his ipsis diebus opportune in manus nostras incidit) *de Eruditione* PAVLI *judaica, non graeca, Lipsiae anno superiori edita. pag.* 10. *sq.* 22. *sq.* nec aliter ictum declinare potuit *Autor Diss.* supra *citatae*, quam ut receptam *interpunctionem* mutaret, *comma* post παρα τυς ποδας Γαμαλιηλ delendo, & verbis ἐν τη πολει ταυτη addendo, ita ut PAVLVS *l. c.* non se ἀνατεθραμμενον dicat ἐν τη πολει ταυτη (scil. *Hierosolymis*) παρα τ. π. Γαμ. (ita enim *actum*, ait, *fore de* PAVLI *studiis in Tarsensi academia tractatis, actum de tot clarissimorum Virorum Orationibus, Dissertationibus, ceterisque scriptis, in laudem eruditionis Paulinae*) sed hoc tantum, quod Tarsi, ut natus, ita & *enutritus* sit, deinceps vero *ad pedes Gamalielis* in patria Lege accurate *institutus*. Jam cardo rei non quidem in eo vertitur, an verba: π. τ. π. Γαμ. ad præc. ἀνατεθραμμενος referantur, an ad sequens πεπαιδευμενος, (quod *positus* etiam B. nostro BENGELIO placuisse cernimus *in Vers. N. T: vernacula*, ob auctoritatem Codd. quorundam latinorum) quum vero insuper contenditur, verba ἐν τη πολει ταυτη non de *Hierosolymis*, sed de *Tarso* intelligenda, & partic. δε, quæ *Hierosolyma* haud dubie *Tarso* opponat, aut exemplo nonnullorum Codicum expungendam, aut cum B. LVTHERO per *und* reddendam, aut, quia sæpe redundet, *h. l.* plane non attendendam esse, id profecto manifestam δειλειαν ὑποθεσεως prodit: *Hierosolymis* hæc locutus est PAVLVS, & hanc urbem sine dubio respicit *pronomen demonstr.* ταυτη, quia mentioni Tarsi per δε subjungitur; si autem h. m. Apostolus *Hierosolymis se enutritum* dicat, (quod ipsum etiam Act. XXVI, 4. in apologia sua coram Agrippa & Festo, adhuc significantius repetit, την βιωσιν μου, inquiens, N. B. την ἐκ νεοτητος, την ἀπ' ἀρχης γενομενην ἐν τω ἐθνει μου ἐν ἱεροσολυμοις, ἱσασι παντες οἱ Ἰουδαιοι.) ejus sane studiis Tarsensibus parum aut nihil spatii relinquitur. Fortasse autem, si qua in demonstrando lacuna supersit, expleri illa poterit provocando ad traditionem illam judaicam, juxta quam, si etiam Paulus mature admodum, & antequam in Academia patria multum proficere poterat, Hierosolyma translatus fuerit, is tamen & *heic*, in ipsa Gamalielis schola, *sapientiam graecam* adhuc ulterius excolere potuerit; ita e-

nim in *Sotah* legitur, (teste LIGHTFOOTO ad *Act. VI*, 1.) *Dixit Samuel nomine R. Simeonis ben Gamaliel: mille pueri fuerunt in domo, i. e. Schola Patris mei, quorum quingenti didicerunt Legem, & quingenti Sapientiam graecam:* quibus additur: *permisisse Judaeorum Senatum familiae Gamalielis sapientiam graecam, quoniam illi cognati erant sanguini regio.* Sed videantur, quae *laud.* supra BRVCKERVS *l. c.* adversus hanc traditionem, & ductum ex ea argumentum, solide disputat *p.* 261. 264. Dixeris forsan: quaenam igitur erat illa eruditio, quam FESTVS, *Judaeae Procurator*, in PAVLO, causam suam coram ipso perorante, tantopere vel vere miratus est vel subsannavit? μαινη, inquiens, παυλε, τα πολλα σε γραμματα εις μανιαν περιτρεπει. Resp. *Graeca* certe non fuit, quoniam Apostolus in Apol. sua v. 1. -- 23. nulla *hujus* specimina dederat; restat igitur, ut de *sola Judaica* cogitemus: Peroraverat enim de consensu doctrinae suae, quoad dogma de resurrectione mortuorum, cum doctrina Pharisaeorum, &, quoad mortem ac resurrectionem Christi, Gentiumque vocationem, cum doctrina omnium Prophetarum V. T. inde a Mose, provocans simul ad factam sibi *apparitionem divinam*, cujus mentio procul dubio praecipua *objecti* PAVLO *furoris* causa fuit. vid. nota BENGELII *in Gnom. ad h. l.* Superessent plura, sed addere illa temporis angustia vetat. Hoc certe dubio vacat: quodsi etiam aliunde, non sat em ex tribus istis Allegatis, probari posset, PAVLVM litteraturae profanae non expertem fuisse, non tamen in scriptis ejus quaeri illam debere, contra propriam ipsius protestationem 1 Cor. II. toto. Plane igitur subscribimus censurae B. nostri WEISMANNI *H. E. Tom. I. p. 50. f.* in locum quendam ex CAVEI *Antt. Apost. Sentiet, me tacente, lector christianus, quam aliena ab Apostolo, imo & quam profana sint pleraque, quae hic de ipsius eruditione dicuntur. Cogitemus interim, omnia alia nescire voluisse* PAULUM, *praeter Christum crucifixum, optima sua ante conversionem appellasse* σκυβαλα, *gloriatum denique esse in eo, quod non venerit in sublimitate sermonis aut sapientiae, annuncians hominibus testimoniam Christi 1 Cor. I. ff. Certe pessimi exempli res est, hujus Apostoli dexteritatem in concludendo & proponendo ab Autoribus classicis & literis humanioribus &c. derivare; multo minus abusus ille notorius multorum in mixtura vere profanae eruditionis cum divina exemplo Apostoli, qui paucula quaedam verba scriptorum ethnicorum ad hominem allegavit, excusari aut defendi potest.*

INDEX

INDEX

LOCORUM SCRIPTURÆ UTRIUSQUE TESTAMENTI QUORUM CONCILIATIO ET EXPLICATIO TOMO TERTIO CONTINETUR.

GEN. II. 7. ALLEG. CXVI.
- - III. 16. - - CXIV.
- - XII. 3. - - CXXIV.
- - XVIII. 18. - - CXXIV.
- - XXII. 18. - - CXXIV.
EXOD. XVI. 18. - - CXXII.
- - XXXII. 6. - - CIX.
- - XXXIV. 30. 33. - - CXVIII.
LEV. XXVI. 11. 12. - - CXXI.
NUM. XVI. 41. 49. - - CXII.
- - XXI. 5. 6. - - CXI.
- - XXV. 1-3. 9. - - CX.
DEUT. XXI. 23. - - CXXVI.
- - XXV. 4. - - CVIII.
- - XXVII. 26. - - CXXV.
- - XXIX. 4. - - XC.
- - XXXII. 35. - - XCIII.
- - - - 43. - - XCVIII.
I REG. XIX. 14. 18. - - LXXXIX.
I CHRON. XIX. 6. - - CXXI.
HIOB V. 13. - - CVI.
PSALM. XVIII. 50. - - XCXII.
- - LXVIII. 19. - - CXXVIII.
- - LXIX. 10. - - XCVI.
- - - - 23. 24. - - XCI.
- - CXII. 9. - - CXXIII.
- - CXIV. 11. - - CVII.
- - CXVI. 10. - - CXIX.
- - CXVII. 1. - - XCIX.
PROV. XXV. 21. 22. - - XCIV.
JES. VI. 9. 10. - - XC.
- - XI. 10. - - C.
- - XXII. 13. - - CXV.
- - XXV. 8. - - CXVII.
- - XXVII. 9. - - XCII.
- - XXVIII. 11. 12. - - CXIII.
- - XXIX 10. - - XC.
- - - - 14. - - CII.
- - XXXIII. 18. - - CIII.
- - XLV. 23. - - XCV.
- - XLIX. 8. - - CXX.
- - LII. 11. 12. - - CXXI.

JES. LII. 15. ALLEG. CI.
- - LIV. 1. - - CXXVII.
- - LIX. 20. 21. - - XCII.
- - LX. 1. - - CXXIX.
- - LXIV. 4. - - CV.
JER. IX. 23 24. - - CIV.
HOS. XIII. 14. - - CXVII.
ROM. XI. 2-5. - - LXXXIX.
- - - 8. - - XC.
- - - 9. 10. - - XCI.
- - - 26. 27. - - XCII.
- - XII. 19. - - XCIII.
- - - 20. - - XCIV.
- - XIV. 10. 11. - - XCV.
- - XV. 3. - - XCVI.
- - - 9. - - XCVII.
- - - 10. - - XCVIII.
- - - 11. - - XCIX.
- - - 12. - - C.
- - - 21. - - CI.
I COR. I. 19. - - CII.
- - - 20. - - CIII.
- - - 31. - - CIV.
- - II. 9. - - CV.
- - III. 19. - - CVI.
- - - 20. - - CVII.
- - IX. 9. - - CVIII.
- - X. 7. - - CIX.
- - - 8. - - CX.
- - - 9. - - CXI.
- - - 10. - - CXII.
- - XIV. 21. - - CXIII.
- - - 34. - - CXIV.
- - XV. 32. - - CXV.
- - - 45. - - CXVI.
- - - 54. - - CXVII.
2 COR. III. 7. 13. - - CXVIII.
- - IV. 13. - - CXIX.
- - VI. 2. - - CXX.
- - - 16-18. - - CXXI.
- - VIII. 15. - - CXXII.
- - IX. 9. - - CXXIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0331
DFG

INDEX.

GAL. III. 8.	ALLEG. CXXIV.		EPHES. IV. 8.	ALLEG. CXXVIII.
- - - 10.	- - CXXV.		- - V. 14.	- - CXXIX.
- - - 13.	- - CXXVI.		I TIM. V. 18.	ALLEG. CVIII & CXXX.
- - IV. 27.	- - CXXVII.		HEBR. X. 30.	- - XCIII.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821847/phys_0336
DFG

§. XXVI.

ocus (ita pridem in *Diss. nostra inaug. p.* 10. mentem no-
eclaravimus) satis quidem probat, PAVLO juveni *opportuni-*
tura gentilium proficiendi, haud defuisse; *usum* vero *eadem*
it, imo contrarium potius ab *Ipsomet* innui videtur *Act.*
se *Hierosolymis* ad pedes Gamalielis *enutritum*, atque in *pa-*
um perhibet, *de aliis juventutis suae studiis* altum silens. *Vim*
i latius explicat *Doctiss.* C. G. THALEMANNVS *in Diss. pro Lic.*
diebus opportune in manus nostras incidit) *de Eruditione*
on graeca, Lipsiae anno superiori edita. pag. 10. sq. 22. sq.
declinare potuit *Autor Diss.* supra *citatae*, quam ut rece-
nem mutaret, *comma* post παρα τες ποδας Γαμαλιηλ delen-
τη πολει ταυτη addendo, ita ut PAVLVS *l. c.* non se ἀνατε-
ἐν τη πολει ταυτη (scil. *Hierosolymis*) παρα τ. π. Γαμ. (ita
, *fore de* PAVLI *studiis in Tarsensi academia tractatis, actum de*
Virorum Orationibus, Dissertationibus, ceterisque scriptis, in lau-
aulinae) sed hoc tantum, quod Tarsi, ut natus, ita & *enu-*
ps vero *ad pedes Gamalielis* in patria Lege accurate *institutus.*
non quidem in eo vertitur, an verba: π. τ. π. Γαμ. ad
μενος referantur, an ad sequens πεπαιδευμενος, (quod *poste-*
ro BENGELIO placuisse cernimus *in Vers. N. T: vernacula*, ob
dd. quorundam latinorum) quum vero insuper contenditur,
ει ταυτη non de *Hierosolymis*, sed de *Tarso* intelligenda, &
Hierosolyma haud dubie *Tarso* opponat, aut exemplo nonnul-
expungendam, aut cum B. LVTHERO per *und* reddendam,
redundet, *h. l.* plane non attendendam esse, id profecto ma-
ὑποθεσιως prodit: *Hierosolymis* hæc locutus est PAVLVS, &
dubio respicit *pronomen demonstr.* ταυτη, quia mentioni Tar-
gitur; si autem h. m. Apostolus *Hierosolymis se enutritum* di
m etiam Act. XXVI, 4. in apologia sua coram Agrippa &
gnificantius repetit, την βιωσιν μου, inquiens, N. B. την ἐκ
ἀρχης γενομενην ἐν τω ἐθνει μου ἐν ἱεροσολυμοις, ἱσασι παν-
ejus sane studiis Tarsensibus parum aut nihil spatii relin-
autem, si qua in demonstrando lacuna supersit, expleri il-
ando ad traditionem illam judaicam, juxta quam, si etiam
idmodum, & antequam in Academia patria multum profi-
ierosolyma translatus fuerit, is tamen & *heic*, in ipsa Ga-
sapientiam graecam adhuc ulterius excolere potuerit; ita e-